R.14
6/22

42
1

Del Convto. de Carmelitas Descalzos de Triana

D. HAYMONIS EPISCOPI HALberſtatenſis Homiliæ in Euangelia dominicalia, toti⁹ anni, & de ſanctis pręcipuis, nunc recens excuſæ, & à multis errorib. reſtitutæ.



...CA UNIV... SEVILLA

ANTVERPIÆ,
In ædibus Ioan. Steelſij. Anno
1 5 5 9.
¶Cum Priuilegio.

¶Euangeliorum index tam de tempore quàm de Sãctis totius anni, quoto folio contineantur.

Dominica prima aduentus. Cùm appropinquaſſet. 4
Dominica ſecunda aduentus. Erũt ſigna. 11
Dominica tertia Aduentus. Cùm audiſſet Ioannes. 19
Dominica quarta aduentus. Miſerunt. fol. 23
In vigilia natiuitatis. Cùm eſſet deſponſata. 28
In die natiuitatis in prima miſſa. Exijt edictum. 32
In aurora. Paſtores loq. 36
In ſumma miſſa. In prin. 39
In die ſancti Stephani. Ecce ego. 48
In feſto Ioannis Euangeliſtæ. Dixit Ieſus. 54
In feſto Innocentium. Angelus Domini appa. 59
Dominica infra octauas natiuitatis. Erant Ioſeph. 66
In feſto Circuncíſionis, Pòſt quàm. 73

In

In feſto Epiphaniæ. Cùm natus. 77
In octaua Epiphaniæ. Vidit Ioannes Ieſum venientem. 86
Dominica prima poſt Epiphaniã. Quũ factus. 89
Dominica ſecunda poſt Epiphaniam. Nuptiæ factæ. 92
Dominica tertia poſt Epiphaniam. Cũ deſcendiſſet. 103
Dominica ſeptuageſima. Simile eſt regnum. 110
Dominica ſexageſima. Cùm turba. 115
Dominica quinquageſima. Aſſumpſit. fol. 118
In die Cinerum. Cùm ieiunaſſet. 123
Feria ſexta poſt Cinerum. Audiſtis. 125
Dominica prima quadrageſimæ. Ductus. 126
Dominica ſecunda quadrageſimæ. Egreſſus. 132
Dominica tertia quadrageſimæ. Erat Ieſus. 139
Dominica quarta quadrageſimæ. Abijt Ieſus. 143
Dñica in paſsione. Quis eſt vobis. 151
Dominica palmarum. Cùm appropinq. Ieſus Hieroſolymis. 4
Dominica reſurrectionis. Maria Magdalena. 150
Feria tertia Paſchæ. Stetit Ieſus. 160
Dominica in octaua Paſchæ. Cùm ſero. 163

Dominica prima poſt octauas Paſchæ. Ego ſum paſtor bo. 170
Dominica ſecunda poſt octauas Paſchę. Modicum. 174
Dominica tertia poſt octauas Paſchæ. Vado ad. 179
Dominica quarta. Si qd petieritis. 187
In diebus rogationum. Quis. 191
In feſto Aſcen. Recum. 194
Dominica infra octauas Aſcenſionis. Cùm venerit. 199
In feſto pentecoſtes. Si quis diligit. 203
Dominica prima poſt trinitatē. Homo quidam. 209
Dominica ſecunda poſt trinitatem. Homo quidam fecit cœ. 216
Dominica tertia. Erant approprinquantes. 221
Dominica quarta. Eſtote miſericordes. fol. 227
Dominica quinta. Cùm turbæ irruerent. 231
Dominica ſexta. Niſi abundauerit. 238
Dominica ſeptima. Cùm turba multa. fol. 242
Dominica octaua. Attendite à falſis prophetis. 249
Dominica nona. Homo quidam erat diues. 251
Dominica decima. Cùm appropinquaſſet. 255
Dominica vndecima. Duo homines. 258
Do-

Dominica duodecima.Exiens Ieſus.261
Dominica decimatertia.Beati oculi.266
Dominica decimaquarta. Dum iret Ieſus. 271
Dominica decimaquinta. Nemo poteſt duobus. 273
Dominica decimaſexta. Cùm appropinquaret. 279
Dominica decimaſeptima. Cùm intraret Ieſus. 286
Dominica decimaoctaua. Phariſæi audientes. 290
Dominica decimanona. Aſcendens Ieſus. 296
Dominica viceſima.Simile factũ eſt.301
Dominica viceſimaprima.Erat quidam regulus. 307
Dominica viceſimaſecunda. Simile eſt regnum cœlorum. 309
Dominica viceſimatertia. Abeũtes Phariſæi. 313
Dominica viceſimaquarta.Et ecce princeps. 317
Dominica vltima.Et cùm veniſſet. 323
In feſto Sancti Andreæ.Ambulans. 327
In feſto Purificationis Mariæ. Pòſtquã impleti. 331
In feſto annunciationis Mariæ. Miſſus eſt angelus. 3[illegible]
In natali Ioannis Baptiſtæ, Eliza[illegible]im ple. 340
In feſto Petri & Pauli,Ve[illegible] 342

In Commemoratione ſancti Pauli. Ecce nos re. 346
In feſto decollationis Ioannis Baptiſtę. Miſit. 350
In feſto Michaëlis. Acceſſerunt. 353
In feſto omnium ſanctorum. 355
De Apoſtolis. 359
De martyribus. 361
In feſto vnius martyris. 362
In feſto vnius confeſſoris. 364
In feſto vnius confeſſoris & epiſcopi. fol. 368
In feſto vnius confeſſoris non pontificis. 370
In feſto virginum. 371

FINIS INDICIS.

¶ *Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt. Matth. XXI. Capitulo.*

CVM appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymis. Redēptor noſter pro humani generis ſalute paſſurus, imminente tempore paſsionis ſuæ voluit & ipſe loco quo interficiendus erat, appropinquare: ne quis ſcilicet diceret illum mortis ſupplicium expauiſſe. Sicut enim ante conſtitutionem mundi, in ſua pręſcientia & prædeſtinatione decreuit locum vbi pateretur, & tempus. Locum Hieroſolymis, vndè alibi dicit: Non oportet prophetam perire extra Hieruſalem. Tempus in feſtiuitate Paſchali, in qua agnus immolabatur, qui in typum Domini Saluatoris præceſsit. Veniens dominus de Galilæa. *Cùm appropinquaſſent Hieroſolymis.* Ipſe & diſcipu[...] ius, & multi aliȷ cùm eo. *Et v[...]ſent Betphage ad montem Oliueti.* [...]uantùm ad literā Betphage eſt v[...]ulus in latere mons

montis Oliueti ſitus, in quo habitabant ſacerdotes, pontifices, & miniſtri, qui octonis diebus offerebant ſacrificia, & miniſtrabant in templo Domini: Vndè Betphage, domus Buccæ, ſiue domus maxillarum interpretatur, quia ſacerdotes inibi habitantes, cum vxoribus, filijs & filiabus comedebant decimas, & primitias, & oblationes, quas in templo Domini offerebat populus omnipotenti Deo. *Ad montem Oliueti.* Mons Oliueti frugifer erat, non erat ſterilis, oleū habebat, & ab oleo vocatus eſt oliuetus, mille paſsibus diſtans ab Hieruſalem. *Inde miſit Dominus duos de diſcipulis ſuis, & ait illis: Ite in caſtellum.* Hieruſalem quæ quondam ciuitas regis magni vocata eſt, imminente tempore paſsionis, deſpectiuè appellatur à Domino caſtellum: quia ibi habitabant homicidæ, qui de morte Domini tractabant. *Quod eſt contra vos.* Contra Apoſtolos erat illud caſtellum quia prædicationem illorum nolebat accipere. *Et ſtatim inuenietis aſinam & pullum cum ea, ſoluite & adducite mihi.* Hoc ſecundum literam ita factum eſt, ſicut ita legitur. Cæterū ſecundum altiorem intellectum Betphage ſignat primitiuam eccleſiam ex Iudæis collectam. Ante quàm veniret Dominus Hieruſalē, viſitare dignatus eſt Betphage, quia ante quàm veniret ad paſsionē

ædi-

ædificauit in fide ſua eccleſiam in Apoſtolis & cæteris credentibus. Vnde & Betphage domus Buccæ & domus maxillarum interpretatur, quia primitiua eccleſia ex Iudæis, id eſt, Apoſtoli, primi corpus & ſanguinem domini comederunt, dicente alibi Domino: Accipite & comedite, &c. Ille vicus in monte erat poſitus. Mons ille myſtice Dominũ Ieſum Chriſtum deſignat, qui mons Domini dicitur, propter altitudinem deitatis ſuæ, vel propter virtutes quæ in eo conſiſtunt, de quo ſcriptum eſt: Hic eſt mons in quo, &c. Per hoc nanque quòd ille vicus in monte erat conſtitutus, deſignatur, quia primitiua eccleſia ex Iudæis, quæ ſignatur per Betphage in fide redemptoris fuit collecta. Fundamentum eccleſię Chriſtus eſt. Vnde apoſtolus Paulus dicit: Fundamentũ aliud, &c. Et oleum gignebat mons ille. Per oleum deſignatur vnctio ſpiritus ſancti, qui à mõte, hoc eſt à Chriſto qui eſt mons electus proceſsit. De qua vnctione dicit Pſalmiſta: Sicut vnguentum in capite. Dominus Ieſus Chriſtus caput eſt omnium electorum, iuxta quod Apoſtolus dicit: Et ipſum dedit caput, &c. Vnguentum fuit in capite, id eſt, plenitudo ſpiritus ſancti in Domino Ieſu Chriſto, requieuit tempore baptiſmatis in ſpecie colũbę. De quo capite vnguen-

tum profluxit in barbam, quia à Domino Ieſu Chriſto venit gratia ſpiritus ſancti in apoſtolos, iuxta quod eis dixit in die reſurrectionis ſuæ. Accipite ſpiritum ſanctum. De barba in oram veſtimenti eius. Veſtimenta Domini ſunt electi. De barba deſcendit in oram veſtimenti eius vnguentum, quia ab Apoſtolis venit vnctio ſpiritus ſancti in cæteros credentes, & peruenit vſque ad vltimum electum. *Miſit duos diſcipulos.* Duo diſcipuli ad exhibenda domino animalia miſsi, duos ordines prædicatorum ſignant. Vnum ad Iudaicum populum deſtinatum, alterum in gentes. De quibus prędicatoribus dicit Paulus Apoſtolus: Qui operatus eſt Petro in apoſtolatum, & cætera, id eſt, qui Petrum fecit principem populo Iudæorum credentium in ſe, ipſe me conſtituit magiſtrum & doctorem gentium. Qui bene duo mittuntur, ſiue propter geminum præceptum dilectionis dei & proximi, quod erat toti orbi prædicandum, ſeu propter intellectum & operationem, ſeu etiam propter vtrumque teſtamẽtum nouum & vetus. Quiſquis ergo officio prædicationis in eccleſia fungitur, iſta tria debet habere, dilectionem Dei & proximi, ſcientiam veritatis & operationis. Munditia debet pollere, vtroque teſtamento debet eſſe im-

imbutus, ſi vno ex his caret, ad prædi-
cationis officium nullatenus, accedere
debet. *Ite in caſtellum*. Interdum caſtel-
lum ſignat generaliter totum mun-
dum, qui ab initio prædicationis apo-
ſtolorum contra illos erat, quia ver-
bum euangelij, quod illi prædicabant,
recipere nolebat. Ite in caſtellum, hoc
eſt, quod alijs verbis illis præcepit
poſt reſurrectionem. Euntes in mun-
dum vniuerſum, & cætera. *Et ſtatim in-
uenietis aſinam & pullum cum ea*. Iſta duo
animalia ſignant duos populos. Aſina
quę erat ſubiugalis, & edomita ſignat
ſynagogã, quæ onere legis premebatur.
Pullus laſciuus & liber, ſignat populum
gentium, qui nondum habuerat ſeſſorẽ
neque prædicationem, neque correctio-
nis frenum in ore. Illa ligamina quibus
erant animalia ſtricta, ſignant vincu-
la peccatorum, de quibus ſcriptum eſt,
Salomone dicente: Funibus peccato-
rum ſuorum vnuſquiſq; conſtringitur.
Vtrumque animal erat alligatum, quia
& populus Iudaicus, & populus gentilis
vinculis peccatorum ſuorum erat aſtrĩ-
ctus. Nulla diſtantia erat inter Iudęos &
gentiles. Omnes enim peccauerunt &
egent gloria Dei, vt ait Paulus: Iudæi
peccauerunt, quoniam ſcriptam legem
non ſeruauerunt. Gentiles peccauerũt,
quia naturalem legẽ cõtempſerant, qua

alligati erãt. Sed hæc alligatio ſoluta eſt per Domini paſsionem, quia ipſe lauit & mundauit nos per gratiam baptiſmatis. *Soluite & adducite mihi.* Quomodo ſoluerunt Apoſtoli genus humanum vinculis peccatorum ſuorum irretitum? Prędicando, baptizando eos in nomine ſanctæ trinitatis, remiſsionem peccatorum. Taliter adduxerunt eos per fidem ad Dominum Ieſum Chriſtum, vt illum inſiderent ſeſſorem. *Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos.* i. aſinã & pullum. Dixerunt Domini illorum aſinorũ. i. ſacerdotes ad apoſtolos: Quid facitis ſoluentes aſinam & pullum? ſed vt audierunt vocem Domini, ſtatim dimiſerunt eos, ſignaturqúe per hoc, quia prædicantibus apoſtolis, & populis ad fidem confluentibus multi contradicebant. Primùm principes ſacerdotum, de quibus legitur in Actis Apoſtolorum, quòd dixerunt apoſtolis, præcipiendo præcepimus vobis, ne vllo modo loquamini in nomine iſto. Deinde principes gentium, Nero, Decius, & multi alij, ſed vbi audierunt nomen Domini quidam ex Iudæis, non ſolùm ſubiectos ſuos dimiſerunt venire ad fidem, ſed & ipſi venerunt. De principibus Iudæorum ſicut Nicodemus. De principibus gentiũ ſicut Eraclitus, Conſtantinus, & multi alij.

alij. Dicite ergo quia Dominus his opus habet. Pſalmiſta dicit: Bonorum meorum non eges. Si dominus omnibus bonis noſtris non indiget, quare hic dicit, quia Dominus his opus habet? Nō ſine cauſa, opus habebat Dominus & gentibus & Iudæis, vt vtroq; populo eius ecclesia conſtrueretur, ſicut ædificata eſt tā ex ſynagoga, q̄ ex gentilitate. De quo idem Dominus alibi dicit: Et alias oues habeo quæ nō ſunt ex hoc ouili. *Hoc aūt totum factum eſt*. Quid totum factū eſt? Sedit ſuper aſinam & pullum, & venit Hieroſolymam, *vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem.* Vt oſtenderet ſuam prophetiam veracem eſſe, ideo in ſe impleuit quod per prophetā dixerat: *Dicite filiæ Syon, ecce rex tuus venit, ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis.* Quantum ad literam pertinet Hieruſalem filia Syon appellatur, quia in monte Syon eſt conſtituta. Multi erāt in Hieruſalem, qui prædicationem Domini & miracula eius crediderunt. De illis dicit ſermo diuinus. Alloquitur hîc propheta apoſtolos & cæteros credētes qui Dominum comitabantur, dicens: O apoſtoli & cæteri credentes dicite filiæ Syon, id eſt, credentibus qui habitāt in Hieruſalem. Per Hieruſalem intellige habitatores eius ciuitatis. *Ecce rex tuus*, non extraneus, non alienigena, vt He-

rodes, ſed proprius *venit tibi*, non ferox neque ſuperbus, ſed mitis & manſuetus *ſedens ſuper aſinam*, &c. Non ſedit ſuper equum frementum, non ſuper mulum, neque ſuper currum: ſed ſuper humile animal, ſuper aſinam pacis & tranquillitatis amicam. Sed ſi allegoricè volum⁹ intelligere, per Syon quæ interpretatur ſpeculatio, deſignatur eccleſia cœleſtis, quæ regnat cum Deo in cœlis. Apoſtolorum ſcilicet & martyrum, patriarcharum, prophetarum, & cæterorum iuſtorum, qui facie ad faciem contemplãtur Deum omnipotentem. Huius Syon Hieruſalem cœleſtis, filia eſt, Hieruſalem terrena: quæ adhuc peregrinatur à Chriſto in terris non videns eum, ſed quod Apoſtolus dicit: Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra, quia hinc recedens vnuſquiſque electus ab illa ſuſcipitur, ab angelis ſcilicet, patriarchis & cæteris iuſtis. Huic terreſtris Hieruſalem, id eſt, credentibus dicitur. Noli timere filia Syon, ecce rex tuus, id eſt, dominus Ieſus qui eſt rex regum, & dominus dominantium, venit tibi humilis & manſuetus, ſicut ipſe dicit: Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Sedens ſuper aſinam & pullum. Secundum literam Dominus in paruo itineris ſpatio ſuper utrumque animal ſedere nequiuit,

uit, ſed quod forſitan ſecundum literam non impletum, ſecundum ſpiritualem intelligentiam quotidie impletur: quia ſuper vtrumque animal, id eſt, ſuper Iudaicum populum, & ſuper gentilem dominus reſidens in cordibus illorum regnat per fidem. *Euntes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præceperat illis Ieſus, & adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua.* Veſtimenta Apoſtolorum poſſumus intelligere miracula quæ geſſerunt in Chriſti nomine. Vel veſtimenta Apoſtolorum poſſumus intelligere fidem, & explanationem noui & veteris teſtamenti, & gratiam baptiſmatis. Qui veſtimenta impoſuerunt ſuper aſinam, & pullum, quia fecerunt & coram Iudæis, & coram gentibus miracula, mortuos reſurgere, leproſos mundare, paralyticos curare. Ipſi & tradiderunt baptiſmi ſacramentum, & notitiam noui ac veteris teſtamenti expoſuerunt. *Et eum deſuper ſedere fecerunt.* Noluit dominus ſuper nuda animalia ſedere, ſed ſuper impoſita animalia veſtimentis, quia niſi quiſque gratia baptiſmatis ablutus fuerit, & fide ſanctæ trinitatis imbutus, non poteſt habere dominum ſeſſorem cordis ſui. *Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via.* Illa turba quæ veſtimenta ſuppoſuit pedibus aſinæ, & pulli,

pulli, qui dominum portabant ne offen derent pedibus, Iudaica gens erat. Quid deſignatur per hoc? Veſtimenta iudaicarum turbarum ſunt, circuncifio legalis obſeruationes ſabbatorum & cæterarum ſolennitatum, oblationes etiã quæ ponebantur in altari holocauſtorum quod erat exterius, boues ſcilicet & arietes & hirci. Hæc ſunt veſtimenta, id eſt, ornamenta Iudæorum quæ aſina, vel pullus cui Dominus præſidet calcat, quia modò nemo immolat carnes animalium ſuper altare Chriſti, ſed panẽ, & vinum. Omnes oblationes Iudaicas calcamus, id eſt, pro nihilo deputamus. ¶ Dicamus & aliter. Plurima turba quæ ſternebant veſtimenta ſua in via, ſignabant multitudinẽ martyrũ, qui veſtimẽta animarum ſuarũ, id eſt, corpora ſua tradiderunt ad ſupplicia pro Chriſti nomine, vt & illi placerent, & ſimplicibus exemplum patiendi præberent.

¶ Secundum moralem intellectum per aſinam & pullum deſignatur generaliter vniuerſa ecclesia, ſpecialiter verò vnaquæque anima fidelis. Dum vniuerſalis eccleſia, ſpecialiter verò vnaquæq; anima fidelis Dominum ſeſſorem habens, ad Hieruſalem, hoc eſt, ad patriam cœleſtem tendit, multi ſternunt veſtimenta ſua in via, quia macerant corpora ſua per abſtinentiam, vt venienti Do

mino ad ſe iter præbeant, & vt morian-tur ſeculo, & non viuant ſeculo. i. iuxta quod Paulus dicit: Caſtigo corpus me-um, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cũ alijs prędicauerim, ipſe reprob⁹ efficiar. *Alij autem cædebant ramos de arboribus.* Rami arborum ſignant filios gẽtilium. Illi qui ramos abſcindunt, ſignant eos, qui filios paganorum præcidunt ab in-fidelitate, & Chriſti iugo ſubdunt. E quibus fuit Hilarius Pictauienſis Epi-ſcopus, qui vnum ramum, beatum ſci-licet Martinum ab arbore infidelitatis, & ad fidem perduxit, patre verò illius in infidelitate manente. Vel certè per ramos arborum poſſumus intelligere ſententias ex nouo & veteri teſtamen-to excerptas, quæ nobis à ſanctis præ-dicatoribus proponuntur, vt ſecun-dum quod in lege, & prophetis, nec-non & in euangelio legimus & intelli-gimus, ſecundum illud & credamus, & operemur. *Turbæ autem quæ præcede-bant, & quæ ſequebantur, clamabant di-centes: Oſanna, benedictus qui venit in no-mini Domini rex Iſraël.* Sæpe legimus Dominum IESVM veniſſe Hieroſo-lymam, non tamen legimus eum ve-niſſe cum tanta gloria, ſicut in tem-pore paſsionis ſuæ fecit imminente, quando ſicut hic legimus, turbæ ra-mos palmarum deferentes cum collau-

das

dabant. Quare hoc fecit dominus? Vt animos Iudæorum excitaret ad ſe cruciſigendum. Ergo Iudæi inculpabiles ſunt de eius morte? Nō. Quia illi quod cogitabant & quod volebant facere, ex multo tempore, hoc permiſit eis filius Dei implere, ac ſi diceret eis: Si me vultis interficere, ſcio quia vultis, facite quod vultis. *Turbæ autem quæ præcedebant & quæ ſequebantur, clamabant dicentes:* Per turbam quæ præcedebat dominum, deſignatur turba Iudæorum fidelis, quæ domini Ieſu Chriſti aduentum præceſsit. Turba autem ſequens gentiles ſignat, qui poſt aduentum filij Dei venerunt ad fidem, vna vox erat præcedentium, & ſequentium turbarum. Omnes nanque dicebant. *Benedictus qui venit in nomine domini.* Quia vna fides eſt, Iudæorum credentium, qui incarnationem filij Dei præceſſerūt, & gentilium qui poſt aduentū filij Dei fuerunt. Sicut nos per fidem dominicæ incarnationis, paſsionis, reſurrectionis & aſcenſionis in cœlum, ſaluamur, quia omnia credimus præterita: ſic per eandem fidem, Iudæi ſaluati ſunt, quia ante incarnationem filij Dei, permanſerunt in fide, credentes omnia futura, quæ nos credimus præterita, ſicut nos credimus dominum Ieſum iam veniſſe in mundum, & natum, & paſſum: ita illi

illi crediderunt naſciturum & paſſurũ. Palmas deferebant ante dominum turbæ. Palma victoriam ſignat, ac ſi dicerent illi, non verbis, ſed rebus. Venis Hieroſolymam, certam victoriam reportabis de morte diaboli, crucifigeris ibi, deſcendens ad inferna, & liberabis electos, & ſeparabis diabolum, tertia die reſurges à morte, certò victor exiſtens, bonum argumentum illi fecerunt. Quid clamabant illi turbæ? *Oſanna filio Dauid.* Oſanna Hebræus ſermo eſt, compoſitus ex corrupto & integro, ex eo quòd eſt Oſi, & anna. Et interpretatur, Oſanna ſalus, Oſanna filio Dauid, ſalus conuenit filio Dauid. Dominus Ieſus filius Dauid eſt, id eſt, filius Dei. Vbi nos dicimus in Pſalmo. Domini eſt ſalus. In Hebræo habetur. Domini eſt Oſanna. Diuerſi doctores de hoc nomine diuerſa ſenſerunt. Eutherius Epiſcopus Lugdunenſis dicit, quòd Oſanna interpretatur ſalu⁹ fum, ſaluifica; vt ſit ſenſus, ſalua totum mundum, & ſaluifica populum Iſraëliticum. Beatus Gregorius dicit, quòd Oſanna interpretatur ſalua nos & bene poteſt ita intelligi. Rectè nanque, & qui præibant, & ſequebantur, Oſanna clamabant, id eſt, ſalua nos, quia ab illo & priores ſalutem quæſierunt, qui ante aduentum illius in carne crediderunt,

runt,&modò nos qui præſentes ſumus, qui poſt eius incarnationem ad fidem venimus, ſalutem ab eo quærimus ſempiternam. Oſanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine domini, id eſt in nomine Dei patris. Obedientia apoſtolorum præceptū Domini cõſequuta eſt. Euntes in mundum vniuerſum, præcepit eis poſt reſurrectionem ſuam Dominus. Collegerunt vtrumq; populum per prædicationem & miniſterium baptiſmatis,& adduxerunt illos ad Deum per fidem. Oſi verbum eſt, & dicitur ſalua nos, ſiue ſalus. Anna apud Hebræos interiectio eſt, & interpretatur obſecro, quod nos deprecamur. Quare dicit in nomine Domini .i. in nomine Dei patris? quia quicquid filius Dei egit in carne, totum ad laudem & gloriam Dei patris retulit, dicēs: Pater in me manēs ipſe facit opera. Rex Iſrael non eſt promotio ſed dignatio, quia Deus erat angelorum in cœlo. Mirum eſt quòd rex Iſraël dignatus eſt appellari in terra. *Oſanna in excelſis*. Cùm dicit Oſanna in excelſis, oſtendit quia aduentus & paſſio filij Dei, non ſolùm profuit hominibus in terra, ſed & angelis in cœlo. Hominibus profuit in terra, quia redemit eos de manu mortis, & de manu diaboli, & ad immortalitatem reduxit. Angelis profuit in cœlo, quia illorum numerus,

rus, qui pereunte diabolo erat imminutus, quotidie reſtauratur de hominibus Chriſti ſanguine redemptis. Aduentus filij Dei ad Iſraël, tunc temporis cum gloria aduentum ipſius præfigurabat in die iudicij, quando veniet cum gloria, cum angelis ſuis reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Tunc acclamabunt ei electi, veraciter dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Iſraël. Et tunc reddet eis vicem dicendo: Venite benedicti patris mei, *Mat. 25* percipite regnum, & cæt. Ad quod regnum introducere nos filius Dei dignetur.

Dominica ſecunda Aduentus.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Lucæ vigeſimoprimo.

E*Runt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis*, & cætera. Præuidens Dominus humanæ fragilitatis tribulationes & preſſuras, quæ circa finem ſeculi venturæ ſunt, longè antè eas prædicere voluit, vt tantò facilius tolerarentur, quantò ab ipſo longius prædictæ recoluntur, minus enim iacula ferire ſolent, quæ præuideri poſſunt, & electi qui circa finem futuri ſunt in carne, tribulationes & preſſuras mundi tantò leuiùs tolerabunt, quantò eas prius

ab

ab ipſo redemptore prædictas meminerint. Nam interrogatus dominus à diſcipulis de aduentu ſuo, & de conſummatione ſeculi, vt ſuprà euangeliſta retulit, reſpondit: Audituri eſtis prælia & ſeditiones præliorum, nolite terreri. Oportet primùm hęc fieri, ſed nondum ſtatim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum, & terræmotus magni erunt per loca, & cætera quæ in euangelio continentur. Et quibuſdam de perſequutione reproborum, & patientia electorum interpoſitis, adiunxit hoc quod in capite huius lectionis audiuimus, dicens: *Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis.* Vbi notandum eſt quia ad vltionem reproborum hominum, ipſa elementa mundi turbari dicuntur, quæ ſingulatim dominus enumerat, dicens: Surget gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum, ecce turbatio hominum. Terræmotus magni erunt per loca, ecce reſpectus iræ deſuper. Erunt peſtilentiæ, ecce inæqualitas corporũ. Et fames, ecce ſterilitas terræ. Terroreſq́ue de cœlo, & ſigna magna erunt, ecce inæqualitas aëris. Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, ecce motio ſyderum, præ confuſione maris & fluctuum, ecce concuſsio fluuiorum. Iuſtum eſt vt inſenſati homines, qui in cunctis

pec-

peccauerunt, id eſt, ſi peccauerunt per aëris ſerenitatem, feriantur per tempeſtates. Et ſic de reliquis ab ipſis inſenſatis rebus feriantur, vt impleatur id quod ſcriptum eſt in Salomone. Pugnabit pro eo orbis terrarum. Quod autem ſigna in ſole, luna, & ſtellis futura ſunt, alius euangeliſta Matthæus manifeſtius declarat, dicens: In diebus illis ſol obſcu- *Ma.24*
rabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo. Vbi ſpiritualiter ſolis nomine dominus Ieſus Chriſtus intelligitur, de quo ſcriptum eſt: Vobis autem qui timetis Deum orietur ſol iuſtitiæ. Et iterum: Ortus eſt ſol & congregati ſunt. Lunæ autem nomine in hoc loco eccleſia deſignatur, ſicut ſcriptum eſt in Abac. Eleuatus eſt ſol, & luna ſtetit in ordine ſuo. In die- *Aba.2*
bus autem illis, id eſt, in tribulatione ſol obſcurabitur, quia dominus Ieſus Chriſtus virtutis ſuæ potentiam tunc non manifeſtabit. Luna autem non dabit lumen ſuum, quia eccleſia miraculorum fulgore tunc reſplendebit. Vndè per Ioannem in Apocalyp. dicitur. Et factus eſt ſol niger ſicut ſaccus cilicinus, & luna tota facta eſt, ſicut ſanguis. Et Apoſtolus. Oportet *Apo.6*
hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fi- *1.Co.11*
ant. Quoniam cùm dominus potentiam virtutis ſuæ non oſtenderit: eccleſia

pro veritatis teſtimonio martyrij colore ſanguinea erit, ſicut per Iohelem pro
Iohel.2 phetam dicitur. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem antè quàm veniat dies Domini magnus & manifeſtus. Stellarum autem nomine in hoc loco hypocritæ deſignãtur, qui dum profeſsionem fidei habent in eccleſia, quaſi ſtellæ inter aſtra fulgent. Sed vltima tribulatione imminente, ſtellæ cadent de cœlo, quia plurimi tunc ab eccleſia recedent corpore, à qua priùs receſſerant mente. Permittet enim dominus Antichriſtum ſæuire in ſanctis ſuis, & ſuam ſæuitiam in eis graſſari pertinaciter, vt patientia eorum probetur. Vndè Apoſt.
2.Th.2. Qui aduerſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur deus, aut quod colitur.
Apo.12 Vndè & in Apocal. dicitur: Et miſit draco caudam ſuam, & extraxit, & cætera.
Dan.8 Hinc Daniel cùm Antichriſti tempus prædiceret, ait inter cætera. Roboratum eſt enim contra iuge ſacrificium. Et iterum: Et vſque ad altitudinem cœli leuatus eſt, & cæt. *Et in terris preſſuræ gentium*. Non ſufficient ad vindictam reproborum hominum ſigna de cœlo, ſed etiam in terris præſſuræ gentium erunt, eiſdem terræ incolis inuicem ſe præmentibus, & inuidioſa contentione in ſe conſurgentibus, ſicut Dominus ait: cõſurget pater in filium, & filius in patrem,

patrem, & filia in matrem ſuam, & inimici hominis domeſtici eius. Vnde Eſa. 3. Irruet vir in virum, vnuſquiſque in proximum ſuum, &c. Et Paulus. In nouiſsimis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Vnde Matthæus eiuſdem tribulationis magnitudinem expreſsiùs deſcribens ait: Erit tũc talis tribulatio, qualis non fuit ab initio. Nec ſolum cœlum & terra, ſed & mare & flumina ad vltionẽ reproborum hominum conſurgent. Vnde & ſubditur: *Præ confuſione ſonitus maris & fluctuum*. Confuſio ſonitus maris, & fluctuum nõdum noua exorta eſt, ſed cũ maxima ex parte quæ prædicta ſunt completa cernimus de minimis quæ reſtant dubitare non poſſumus. Iam enim gentem contra gentem, & regnum aduerſus regnum ſurrexiſſe vidimus, & audiuimus, terræ motus per loca fuiſſe experti ſumus, peſtilentiam & famem terroresq́ de cœlo, & ſigna magna fuiſſe non dubitamus. Signa in ſole & luna, & ſtellis à quibuſdam viſa eſſe referuntur. Confuſio autem ſonitus maris, & fluctuum quia nondum venit, tamen ſine dubio ventura creditur. Tradunt enim nonnulli quod circa finem ſeculi mare, flumina riuuli, iuxta qualitatem & quantitatem, voces & mugitus emittent, interitum ſuum quibuſdam luctuoſis vocibus deplorantes, & per hoc

2. Ti. 3.
Ma. 24

B non

non paruum timorem hominibus audientibus incutient. Quia enim omnia finienda ſunt circa finē mundi, & omnia cōmouebunt. Hinc per Ioānem in Apocalypſi dicitur: Et mare non erit. *Areſcentibus hominibus*, ſpiritualiter homines in vltima tribulatione areſcere, eſt reprobos à pinguedine fidei, & charitatis deficere. Multi enim in illa tribulatione à fide areſcent, qui proſperitatis tempore fideles putabantur, ſicut dominus de iactatis ſeminibus ſupra petram ait: quia orto ſole aruerunt. Hanc ariditatem fatuæ virgines patientur, quando prudētibus dicent: Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtrę extinguuntur. Rectè autem dicitur: *Præ timore & expectatione, quæ ſuper venient vniuerſo orbi*. Illa enim tribulatio vtcunque tolerabilis eſt, poſt cuius finem gaudium ſperatur. Illa dura, aſpera, & intolerabilis, quæ quum præſentialiter cruciet, in futuro maiora comminatur. Vtrunq; enim reprobis in illa tribulatione continget, quia præſentialiter mala ſuſtinebunt, & in futuro maiora expectabunt, qui & foris pœnā, & intus timorem habebunt. Nec de prę ſentibus, neque de futuris ſecuritatem habere poterunt, & ideo rectè dicitur, præ timore & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. *Nam virtutes cœlorum mouebuntur, & tunc videbunt filium ho-*

hominis venientem in nubibus, cum poteſtate magna & maieſtate. Quidam hoc loco virtutes cœlorum, magiſtros & rectores eccleſiæ intelligi volunt. Sic enim aiunt eccleſia ſpiritualiter cœlum, vt eſt illud: Cœlum mihi ſedes eſt, & anima iuſti ſedes ſapientiæ eſt, non incongruè virtutes cœlorum, rectores eccleſiæ intelliguntur, Epiſcopi ſcilicet & ſacerdotes: & de his intelligi volunt, quod ſcriptũ eſt: Angeli territi purgabuntur, angelorum nomen ſemper ſacerdotes interpretantes, iuxta illud Malac. 2. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius, &c. Commoueri autem virtutes cœlorum dicuntur, quia in illo diſtricto iudicio, etiam præſules eccleſiarum rationem exſoluent, non ſolũ pro ſuis actibus, ſed etiam pro cõmiſsis ſibi animabus, ſicut dominus ait: Homini cui multum commiſſum eſt, multum quæretur ab eo. Et ſicut alia ſcriptura dicit. Potentes potenter tormenta patientur. Nos autem virtutes cœlorum ſpiritualiter in hoc loco angelos, archangelos, thronos, dominationes & virtutes, principatus & poteſtates Cherubim & Seraphim accipimus, de quibus ſcriptũ eſt Pſal. 148. Laudate dominum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Quare virtutes moueri dicũtur? quia angeli non ſolùm aduentum do- *Sapi. 6.*

minicum comitabuntur, ſed etiam præ-
ceſſuri ſunt. Sed ſicut dicit dominus in
Mat. 13 euangelio: Mittet filius hominis ange-
los ſuos, & colligent de regno eius om-
nia ſcandala: Et iterum: Exibunt angeli,
Eſaiæ. 3 & ſeparabunt malos de medio iuſtorũ.
Et alibi: Dominus ad iudicium veniet
Prou. 31 cum ſenibus & iudicibus populi. Et Sa-
lomon: Nobilis in portis vir eius, quan-
do ſederit cum ſenatoribus terræ. Vel
certè alio modo commoueri dicuntur,
vt terror & diſtrictio iudicij oſtẽdatur.
Sicut enim verbi gratia: Cùm rex Seue-
rum & diſtrictum iudicium in ſubditos
exercet, non ſolùm illi timent, qui pro
ſuis meritis iudicãtur, ſed etiam illi qui
eius lateri adhærere ſolent. Sic cũ Deus
omnipotens in iudicio reprobos puniet
vt terror & diſtrictio iudicij oſtẽdatur:
etiam illi timere dicuntur, qui æterna
ſtabilitate firmati ſunt. Vnde bene per
beatum Iob dicitur: Columnę cœli con
tremiſcunt, & pauent ad nutum eius.
Quid ergo de talibus fiet, quãdo colum
næ cõcutientur? Quid ibi virgula deſer-
ti patietur, quãdo cedrus quæ in libano
eſt cõcutietur? Quid miſeri mortales ho
1. Pe. 4. mines futuri ſunt, angeli timebũt? Et ſi
iuſtus, vt ait Petrus apoſtolus, vix ſalua-
bitur, impius & peccator vbi parebunt?
Huius diei diſtrictionem cõſpexerat So
Sopho. 1 phonias propheta quum dicebat: Iuxtà
eſt

eſt dies domini, iuxtà & velox nimis. Vox diei dñi amara, turbabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies, &c. Et iterum: Væ qui deſyderatis diẽ dñi, ad quid vobis eam? Et quaſi fugiet homo à facie leonis, & mordet eũ coluber, Sicut dies domini, iſta tenebræ & non lux. Et ſicut Matt. 24. ait. Væ prægnantibus & nutrientibus, &c. Et iterũ. Tũc erũt duo in lecto vno, &c. Et Lucas. 23. Ecce veniẽt dies in quibus dicent: Beatæ ſteriles quæ nõ genuerunt, & vbera quæ nõ lactauerunt, tunc incipient dicere montibus: cadite ſuper nos, & collibus, operite nos. Qui ergo in hac die ſecurus eſſe deſyderat, dũ in hoc corpore viuit huiꝰ diei diſtrictionẽ ante oculos mentis neceſſe eſt ponat, tantò enim erit ibi ſecurior, quanto in obſeruandis domini mandatis modo fuerit timidior. Beatus vir qui timet dominum (inquit Porophеta Pſal. 111.) in mandatis eius volet nimis. Et ſicut ait Salomon Prouerbiorum. 28. Beatus homo qui ſemper eſt pauidus: qui verò mẽtis eſt durę, corruet in malũ. In huiꝰ diei terrore, magnam ſecuritatem eleemoſynarum largitas tribuet, quando ipſe iudex ad dexteram poſitis, dicturus eſt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origigine mundi. Eſuriui eñ & dediſtis mihi

Amo. 5.

manducare: ſitiui, & dediſtis mihi potū, hoſpes eram & collegiſtis me, nudus & operuiſtis me, infirmus & viſitaſtis me, in carcere eram, & veniſtis ad me. Bea-
Pſ. 40. tus enim, inquit Propheta, qui intelligit ſuper egenū & pauperem, in die mala liberabit eū dominus. Hinc viri iuſti voce dicitur: Fiducia magna erit coram ſummo Deo elargitio omnibus facientibus eam. Et iterum, eleemoſyna, fili, à morte liberabit, & nō patitur hominem ire in tenebras. Notandum autem quia quantò certiora ſigna manifeſtantur, tantò domini aduentus vicinior eſſe intelligitur. Sicut enim cùm rex ad aliquod palatium vel ciuitatem venturus eſt, nuntij alij atq; alij mittuntur, ſed cū illi videri cœperint, qui ex eius latere reſidere ſolent, iā rex adeſſe creditur. Sic aduentū domini cū ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & multa alia præcedētia ſunt, ſed cū angeli qui ei ſemper aſsiſtunt cœperint apparere, ſtatim aduentus domini vicinus agnoſcitur. Vndè quum dixiſſet: Nā virtutes cœlorum mouebuntur, adiunxit. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate.* Filiū ergò hominis in iudicio viſuri ſunt, quia in forma ſerui. i. in forma hominis, quā pro nobis aſſumpſit, ad iudicium venturus eſt, ſicut ſcriptū eſt. Ecce venit in nubibus, & videbit eū omnis
ocu-

oculus, & qui eũ pupugerũt. Et iterum: *Apoc.1.*
Videbunt in quẽ transfixerunt. In pote- *Zac.12.*
ſtate aũt magna & maieſtate eum viſuri
ſunt, quem in humilitate loquentẽ audi-
re cõtempſerunt. Dignus eſt enim vt ip-
ſe filius Dei, qui in forma hominis iniu- *Phili.2.*
ſtè iudicatus eſt, in eadẽ forma oẽs in iu- *Iaon.3.*
dicio iuſtè iudicet, ſicut ipſe dicit in euã-
gelio. Pater nõ iudicat quenquã ſed om-
ne iudiciũ dedit filio. Et iterum: Poteſta-
tem dedit ei pater iudicium facere, quia
filius hominis eſt, ſed pòſtquàm hæc ad
terrendos reprobos dicta ſunt, mox ad
ſaluandos electos dominus ſermonem
conuertit, dicens: *His autem fieri incipi-
entibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quo-
niam appropinquat redemptio veſtra*. Ac
ſi diceret dominus, Cùm crebris mun-
di ruinis & aſsiduis plagis eius ſigna
appropinquare videritis, nolite de
mundi interitu flere, nolite de vobis ti-
mere, quia cũ eius finis venerit quẽ non
amaſtis, inuenietis gaudium quod ſem-
per quæſiſtis. Sæpe autem in ſcripturis,
caput pro mente ponitur, ſic in Salomo- *Eccl.2.*
ne dicitur: Sapiẽtis oculi in capite eius.
Si enim corpoream viſionem attenda-
mus, non ſolum ſapientis oculi in capi-
te ſunt, ſed etiã ſtulti. Sed ſapientis ocu-
li in capite eſſe dicuntur, quia diſcretio-
nẽ ſpiritus habet in mente. Quia ſicut à
capite membra corporis reguntur, ita &

mentis cogitationes diſcernuntur. Et ſicut caput principale eſt membrum corporis, ita & mens principatut cordi. Ita ergo & in hoc loco, cùm capita iubet leuare, mentem præcipit ad ęternã remunerationẽ præparare. In quibus verbis oſtenditur, quia electi diem iudicij non
Matt. 6 tam debent timere quàm optare. Vndè quotidie poſcunt in oratione dicentes: Adueniat regnum tuum, quod illorum eſt facere qui gratia Dei ſe prçueniente,
1. Ioã. 3. bona ſe operatos eſſe recolunt. Sicut per Ioannem dicitur: Chariſsimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus in die iudicij. Et ne ad hæc intelligenda humana mens pigra remaneret, ſimilitudinem de rebus viſibilibus adiunxit. Vnde & ſubditur. *Et dixit ſimilitudinem. Videte ficulneam, & omnes arbores, cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas.* Ipſam namq; expoſuit, addẽs. *Ita & vos cũ videritis hæc fieri, ſcitote quia prope eſt regnum Dei.* Acſi diceret dominus, ſicut ex fructu arboris vicina ęſtas cognoſcitur, ita & vos ex ruinis mundi, regnum Dei proximum & vicinũ eſſe cognoſcite. Vndè bene alius euãgeliſta, ſcilicet Matthęus, vt celeritatẽ venientis dñi ad iudiciũ
Mat. 24 oſtẽderet, ait, Ita & vos cũ videritis hęc, ſcitote quia prope eſt in ianuis. Pulchrè aũt regnũ Dei cõparatur æſtati, quia ſicut

cut æſtatis tẽpore ſol lucidior & ſplendidior apparẽs mundũ illuminat, ita poſt iudicium omnis fragilitas, omniſq; tentatio tranſiet, & cùm ſol iuſtitiæ dominus Ieſus Chriſtus in claritatis ſuæ gloria apparuerit ſanctos maiori ſplendore glorificabit, quando implebitur quod dominus alibi ait, Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris mei. Et tunc impletum erit quod ait Apoſtolus. Quod nunc videmus per ſpeculũ & in enigmate, tunc videbimus facie ad faciẽ. Sicut aũt hyemis tẽpore arbores cernimus folijs nudatas, fructibus expoliatas, & penè mortuas eſſe, ita & in præſenti vita ſancti mortificantes membra ſua ſuper terrã, humiles & deſpecti apparẽt, dicentes cũ Propheta, Quoniã propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Et ſicut appropinquãte æſtate rediuiuç arbores veſtiũtur folijs, decorãtur floribus, ornantur fructibus: ita in die iudicij ſancti de terræ puluere reſurgentes, induti ſtolã immortalitatis iucũdi & floridi apparebũt, dicẽte Pſal. Iuſtus vt palma florebit, & ſicut cedrus Libani multiplicabitur, Taliter quaſi in hyeme .i. in præſenti vita ſanctos mortificãtes mẽbra ſua ſuper terram quaſi ſpiritualles arbores mortuas inſpexerat Paulus, quum dicebat: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcõdita eſt cum Chriſto in

Mat.13.
1.Co.13
Coloſ.3
Pſa.43
Rom.8.
Pſa.91.
Coloſ.3.

Deo quas iterũ appropinquante æſtate
eaſdẽ veſtiri folĳs, & decorari ſpiritua-
libus cõſyderabat floribus: quando aie-
bat. Cùm eñ Chriſtus apparuerit vita
veſtra, tũc & vos apparebitis cũ ipſo in
gloria. Similiter & Dauid Propheta ſpi-
Pſa.125 rituales arbores mortuas inſpexerat, cũ
dicebat: Euntes ibant & flebant mitten-
tes ſemina ſua. Et quaſi æſtate regno dei
appropinquante iterum viuificandas in
ſpexerat, quando dicebat. Venientes au-
tẽ venient cũ exultatione, portantes ma
nipulos ſuos. Vnde ſancta Eccleſia poſt
reſurrectionem domini fructu iuſtitiæ
Cant.2. repleri ſe gaudens in amoris cantico au
diuit à domino. Veni electa mea, formo
ſa mea, immaculata mea, tota pulchra es
amica mea, & macula non eſt in te vlla.
Iam hyems tranſĳt, imber abĳt & receſ-
ſit, flores apparuerunt in terra noſtra, tẽ
pus putationis aduenit, mane ſurgamus
ad vineas. Vel certè aliter per ficulneam
ſynagogã intelligere poſſumus. Hæc eſt
illa ficulnea, ad quam iuxta alium euan
geliſtã parabolã dominus dixiſſe legitur
quærens in ficulnea hac fructũ, & nõ in-
Mat.22 ueniens dixit: Nunquã ex te fructus na-
ſcatur in ſempiternum. Cùm ergò vide-
rimus hanc ficulneam. i. ſynagogam ex
ſe fructum crudelitatis proferre, ſci-
mus quia prope eſt regnum Dei. Quoni
am circa finem ſeculi per prædicationẽ
He-

Heliæ & Enoch, Synagoga ex parte eſt creditura teſtante Apoſtolo Paulo qui ait, Cùm plenitudo gentium ſubintra-uerit, tunc oīs Iſraël ſaluus erit. Et iterū. Rom.11
Non priùs quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Vndè & dominus per Malachiam Prophetam repromiſit dicēs: Ecce ego mitto ad vos Heliam Thesbiten, qui conuertat corda patrum in filios, & corda filiorū ad patres eorum. *Amen dico vobis, quia nō præteribit generatio hæc donec omnia fiant.* Amen propriè Hebræorum ſermo eſt, & eſt aduerbium affirmantis, & cùm poſſit interpretari verè vel fideliter, à nullo interpretatum eſt, ſed ob honorem & reuerentiam domini, quoniam hoc ſermone in ſua locutione frequenter vſus eſt, ita relictus eſt ſine interpretatione. Generatio autem fides gentis Iudæorū intelligatur. Non præteribit vt plures illorum, non ſint quoaduſque omnia quæ à domino ſunt prædicta, impleantur. Si vero ad totam humani generis maſſam referatur, manifeſtè patet quia non præteribit, genus humanum, quoadusq; omnia quæ à domino prædicta ſunt, conſummata ſint. Prædicta eñ eſt domini incarnatio, & impleta eſt. Prędicta eſt eccleſia per vniuerſum mundum futura, & oculis cernimus impletā. Prædicta ſunt ſigna in ſole & luna, & ſtel-
1.Cor.5

ſis, & impleta ſunt. Prędictus eſt ſonitus maris, & fluctuum, nulli dubium quin adueniat. Prædicta eſt dies iudicij quia nondũ impleta eſt, ſine dubio implenda creditur. Prædictum eſt vniuerſale iudicium, & vita æterna, & cõplenda expectamus. Cum quanta firmitate credenda ſint quæ à domino prædicta ſunt, ipſe manifeſtat cũ adiũgit. *Cœlũ & terra trãſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Nihil enim in rebus viſibilibus cœlo & terra durabilius. Nihil in rebus humanis velocius quã verba tranſeunt, quia nec perfici niſi tranſeundo poſſunt. Cũ ergo dominus dicit: cœlũ & terra tranſibũt, verba aũt mea non tranſibunt, oſtendit quia quæ apud nos fixa vidẽtur apud illum tranſitoria ſunt, & quæ apud nos tranſitoria videntur, in eius verbis firma & ſtabilia ſunt, quia firmas & permanentes ſententias firmat eius ſermo dũ tranſit. Sed quæritur cùm dominus ait: Cœlum & terra tranſibunt, quomodo ſtare poſsit illud quod Eccleſiaſtes ait, Generatio præterit, & generatio aduenit, terra vero in æternum ſtat? Si enim iuxta vocem domini cœlum & terra tranſibunt, quomodo terra in ſempiternum ſtare dicitur? Ad quod dicendum, quia aliud eſt cœlum aërium, aliud ſydereũ, aliud ęthereum. Cœlum ergo aëreũ terrę vicinũ eſt, vndè & aues cœli no-

nominamus, quas per aëra volitare cer-nimus. Et pluuia dicitur cadere de cœ-lo, cùm vtique de nubibus, quas cerni-mus pluat. Cœlum ergo hoc aëreum & terra tranſire dicũtur, Pſal. dicente: Ini-tio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarũ ſunt cœli. Ipſi peribunt, non vt omnino non ſint, ſed vt immuta ti in melius ſint. Ipſa verò immutatio tranſitus appellatur. Tranſire verò dici-tur non ſolùm quia ita perit, vt non ſit, ſed quod immutatur, vt in melius ſit, ſi-cut metalla aurea & argentea per ignem tranſeunt, non vt ſint, ſed vt pulchriora fiant. Quoniam cœlum & terra quę no-ſtris iniquitatibus polluta ſunt, per i-gnem in die iudicij purgãda ſunt ſicut ait Pſalmiſta: Ignis ante ipſum pręcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius. Et tantùm ardebit ignis in die iudicij in aëre, vt nonnulli credunt, quemadmo-dum aquæ diluuij occupauerunt ſuper terram. Et ipſa immutatio cœli & terræ tranſitus appellatur. Sicut enim homo amictum vel aliquod veſtimentum à ſe proijcit, vt lotum decentiùs induat, ita Deus omnipotens cœlum & terram per ignem purgabit, vt purgata in melius conſiſtant. Vndè & Pſalmiſta dicit: Et velut amictum mutabis eos, & mutabũ-tur. Hinc & per Petrum Apoſtolum dici-tur. Cœli autem qui nunc ſunt, & terra

Pſa. 10.

eodē verbo repoſita, igni reſeruati ſunt in diem iudicij. Et iterum, Dies Domini ſicut fur, ita in nocte veniet in quo cœli magno impetu tranſibunt. Elementa verò calore ſoluentur. Hinc & per Eſaiā Dominus ait. Ecce ego creo cœlum nouum, & terram nouam, non vt condenda ſint, ſed in melius immutanda, ſicut per Ioannem in Apocalypſi dicitur. Ecce noua facio omnia.

Dominica tertia Aduentus.

Homilia ſuper eo quod ſcriptum eſt, Matthæi vndecimo.

CVm audiſſet Ioānes in vinculis opera Chriſti mittēs duos de diſcipulis ſuis, ait illi. Et reliqua. Beatus Ioannes Baptiſta propter veritatem quem prædicabat, miſſus eſt ab Herode tetrarcha in carcerem veluti latro & ſacrilegus. Dicebat enim illi: Nō licet tibi habere vxorem fratris tui, id eſt, illo viuente, ob nullam aliam cauſam miſſus eſt in carcerem, niſi quia veritatem prædicabat. *Cùm ergo in carcere poſitus eſſet, & audiſſet opera Domini*, id eſt miracula quæ faciebat, cæcos illuminando, mortuos reſuſcitando, leproſos mundando, dæmones ab obſeſsis corporibus eijciendo. *Tunc miſit ad eum duos diſcipulos, &*

xit illi. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? id eſt, quem Prophetæ venturum prædixerunt? Non quòd Beatus Ioannes tunc temporis dubitare poterat de morte Domini, & de deſcenſione illius ad infernum qui iam eum prædicauerat, & baptizauerat in Iordane, & digito demonſtrauerat, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Non dubitabat Ioannes. Non enim propter ſe miſit diſcipulos ſuos ad Dominum: ſed propter inuidiã diſcipulorum, quam habebant contra Dominum. Illi diſcipuli Ioannis inuidebant Domino, vndè & dixerunt magiſtro ſuo Ioanni: Rabbi, cui teſtimonium perhibuiſti trans Iordanem, ipſe baptizat, & plures veniunt ad eum quàm ad nos. Vt ergò hęc inuidia ceſſaret ab illis, ideo miſit eos Ioannes ad Dominũ, vt videntes eius miracula, & audiẽtes eius doctrinã, crederent in eũ & ſaluarentur. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et eſt ſenſus. Egò ſcio me ab Herode interficiendum, & ad inferna deſcenſurum, manda ergo mihi vtrũ te debeo nunciare inferis, id eſt, his qui in inferno ſunt, ſicut nũciaui ſuperis, id eſt, hominibus in mũdo, vt ſicut pręcurſor tuus extiti, prędicãdo, te vẽturũ eſſe in mũdo, ita ſiã præcurſor tuus denunciando te venturum eſſe in infernum, & liberaturum

turum electos, qui ab initio mundi pręſtolantur aduentum tuum. An non cōueniet filio Dei vt guſtet mortem, an etiam hæc myſteria ad peraganda alium miſſurus ſis, aut angelum, aut archangelum, aut Prophetam, aut Apoſtolū. Beatus autem Ioannes, miniſterium ſuum perficiebat, vt ſicut præceſſerat Dominū naſcendo, prædicando & baptizando, ita præcederet moriēdo. Dominus itaq; quoniā omnia nouit antè quàm veniāt, cognoſcens intentionem Ioannis, propter quod miſerat diſcipulos ſuos ad eū ideo voluit ante eos miracula facere, ſicut & fecit, cæcis reddendo viſum, claudis greſſum, ſurdis auditū, leproſis munditiam, mortuis vitam, vt videntes eadē miracula, & audientes verbum ex ore eius, cum fide filij Dei reuerterentur ad magiſtrum ſuum, ſicut & fecerunt. *Reſpondens autem Dominus ait illis. Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis.* Aliud autem viderunt, aliud & audiuerunt. Viderunt cæcos illuminatos, ſurdos audientes, leproſos mundatos, claudos ambulates, & mortuos reſuſcitatos, audientes pauperes Euāgelizatos à Domino, id eſt, doctos. Secundum literam ita factum eſt, ſicut hiſtorica intelligentia narrat. Secundum altiorem verò intellectum prædicante Domino, & docēte qui erant cæcati corde, & in tenebris

igno-

ignorantiæ poſiti erant, receperunt lu-
men ſcientiæ & veritatis. Qui erant ſur-
di, receperunt aures audiendi verbum
Dei, iuxta quod Dominus dicit: Qui ha- *Matt.13*
bet aures audiendi audiat. Qui erant
claudi à bonis operibus, receperũt greſ-
ſum bonæ operationis. Qui erant lepro
ſi, id eſt, peccatis originalibus grauati &
polluti, mundati per fidem & gratiam
baptiſmatis. Qui erant mortui peccato
& infidelitate cœperunt viuere Deo.
Quod autem dicit pauperes euangelizã-
tur, id eſt, docẽtur, dupliciter poſſumus
intelligere, vel pauperes rerum vel pau-
peres ſpiritu, id eſt, humiles de quibus
Dominus alibi dicit. Beati pauperes ſpi- *Matt.5.*
ritu, quia veſtrum eſt regnum cœlorũ.
Euntes renunciate Ioanni, quia ego ſum
ipſe de quo Propheta prædixit. Deus i-
pſe venit & ſaluabit nos. *Euntes renuncia*
te Ioãni quæ audiſtis & vidiſtis, cæci vidẽt.
In hoc quod dicit, cæci vident, tũc im-
pletum eſt, quod Eſaias Propheta dixe-
rat. Tunc aperientur oculi cæcorum. Et
quod dicit, *Surdi audiunt*, Impletum eſt
illud eiuſdem Eſaiæ Prophetæ. Et au- *Eſa.35.*
res ſurdorum patebunt. Et quod dicit,
Claudi ambulant. Impletum eſt illud eiuſ
dem Prophetæ. Tunc ſaliet ſicut ceruus
claudus. Et quod dicit, *Mortui reſurgunt*,
impletum eſt per eundem Prophetã di-
centem, viuent mortui, & interfecti mei
reſur-

reſurgent. *Et beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me*, Ac ſi apertè Dominus diceret: Miranda ſunt valde opera quæ ego facio, ſed cauendum eſt hominibus, qui modò mea ſigna venerantur, ne tempore paſsionis meæ recedant à fide mea. Hîc ſe demonſtrauit Dominus moriturum & ad inferni clauſtra deſcenſurum, & electos liberaturum, & ad cœlos reuocaturum, quaſi diceret Ioanni: Mira quidem facio, ſed abiecta perpeti nõ dedignor, moriendo te ſubſequor. *Illis autem abeuntibus*, Id eſt, illis recendentibus. *Cepit* IESVS *dicere ad turbas de Ioanne*. Quare noluit Dominus præſentibus diſcipulis Ioannis laudare Ioannem, ſed potius recedentibus? Non ſine cauſa. Ne forte illi diſcipuli Ioannis dicerent. Certè IESVS laudatorem ſuum laudat, magiſter noſter laudauit eum, vicē laudationis illi rependit. Ne fortè illi hoc poſſent dicere, ideo noluit Dominus ante illorum præſentiam laudare Ioannem, ſed illis abeuntibus proſiliuit in laudem Ioannis dicens: *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatã?* Eſt ſenſus, nunquid ad hoc exiitis in deſertum, vt videretis Ioannem, ſimilē arũdini vento agitatæ, vt de illo quis modò dubitet (id eſt de me) quem antè prędixit filium Dei eſſe, dicens: Hic eſt filius Dei? Non talis Ioannes. *Quid exiitis in des*

deſertum videre? Beatus Ioannes in deſerto habitabat, Heremita erat, ſecus Iordanem fluuium cellulam ſuam habebat, in qua à pueritia ſua Domino ſeruiebat. Poſſumus & aliter dicere. Arundinem mox vt aura tetigerit, in partem alteram flectitur. Ioannes ergò arundo vẽto agitata non erat, quia eum, nec alicuius laus poterat facere aſperũ, nec proſpera nouerant eum exaltare in ſuperbiã vel elationem, nec aduerſa deijcere in triſtitiam. Nos peccatis impellentibus ſumus arundo vento agitata, quia cùm aliquis nos laudat eleuamur in ſuperbiam: cùm aliquis vituperat, deijcimur in triſtitiam & iram. *Sed quid exiſtis videre, hominem mollibus veſtitum?* Hæc verba Dominus non affirmando ſed negando intulit, quia beatus Ioannes non erat mollibus indumentis indutus, ſed de pilis Camelorum erat veſtimentum illius. Cibo delitioſo non vtebatur, vinum non bibebat omni tẽpore vitę ſuę. Pœnitẽtiam prædicabat populis dicẽs: Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Et rectè, quia pœnitentiam prædicabat, ipſam pœnitentiam in cibo, potu & habitu prætendebat, quaſi diceret populis ad ſe confluentibus. Si ego qui iuſtus ſum abſtinentiã ſector, & vos pœnitentiæ habitum ſumere debetis multò magis vt veniam

conſequamini. *Ecce qui mollibus veſtiũtur in domibus regum ſunt*. Et eſt ſenſus. Illi qui pro terreno regno militant, palatia regum & diuitum inhabitãt, mollia veſtimenta requirunt, adulatores regi & reginæ exiſtunt. Ioannes ergo quoniam pro cœleſti regno militat, habitaculum carceris diligit, mollia veſtimenta ſpernit, nulli adulatur, & à delectationibus ſeculi iſtius alienus exiſtit. Virtus eſt vilia indumenta induere, ille qui poteſt habere precioſa. Si enim virtus non eſſet, nequaquam Domiuus Ioannẽ de aſperitate veſtimẽti ſui laudaſſet dicẽs. Quid exiſtis videre hominem mollibus veſtitum? Et ſi peccatum non eſſet precioſa veſtimenta induere, nequaquam ſermo diuinus tam vigilanter exprimeret de diuite, qui poſt mortem torquebatur apud inferos, quòd dum adhuc viueret in corpore, purpura & byſſo induebabatur. Et beatus Petrus non ſolum viros ſed etiam mulieres ab appetitu preciofarum veſtium compeſcuit dicẽs: Nõ in veſte precioſa, non in auro & argẽto, non in torto crine. Specialiter Ioannes mollibus veſtimentis non erat indutus, quia vitam peccantium blãdimentis nõ fouit, ſed acriter increpauit, dicẽs: Genimina viperarum quis vobis demonſtrabit fugere à ventura ira: facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. *Sed quid exiſtis vide-*

videre? Prophetam? Etiam dico vobis & plus quàm Prophetam. Prophetę miniſterium eſt, futura prædicere & non demonſtrare. Beatus verò Ioãnes & Propheta fuit & plus quàm Propheta, quia quod Prophetæ ab initio mundi prædixerũt venturum eſſe in mundum, id eſt, filiũ Dei, non ſolùm ipſe prophetauit, ſed etiam digito demonſtrauit, dicens: Ecce agnus Dei. *Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparauit viam tuam ante te.* Deus pater loquitur ad filium ſuum per Malachiam *Mala.3* prophetam: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparauit viam tuam ante te: Ioannes hîc appellatus eſt angelus, id eſt, nuncius, non natura, ſed officio, quia angelus Græcè, Latinè nũcius dicitur. Ecce ergo qui aduentum ſuperni iudicis nunciare venerat, angelus vocatur, vt dignitatem ſeruet in nomine, quam explet in operatione. Et nõ ſolùm beatus Ioannes angelus eſt appellatus, id eſt, nuncius, quia ſupernum iudicem nunciabat verumetiam & omnes prælati ſanctę Eccleſię Epiſcopi & ſacerdotes, qui vitam æternam prędicant, angeli vocantur, dicente eodem Propheta Malachia: Labia ſacerdotis cuſtodiunt *Mala.3* ſcientiam, & legem ex ore eius requirũt populi, quia angelus Domini exercituũ eſt. Et non ſolum Epiſcopi & ſacerdotes ſan-

ſanctæ Eccleſiæ angeli appellantur, ſed etiam vnuſquíſque fidelis, ſiue laicus, ſiue fœmina, qui peccantes redarguũt, ſi pœnas ſupplicij minatur peccãtibus, ſi gaudia æterna promittit bene agentibus, dum verbis ſacræ eruditionis inſiſtit, profectò angelus vocatur.

Dominica quarta Aduentus.

Homilia ſuper eo quod ſcriptum eſt. Ioannis primo.

Matt.3. M*Iſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & leuitas ad Ioannem, &c.* Eo tempore quo beatus Ioannes prędicabat in deſerto pœnitentiam dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum & baptizabat, multi æſtimauerunt eum Chriſtum eſſe: iuxta quod Lucas dicit: *Luca.3* Factum eſt autem, quum baptizaretur omnis populus à Ioanne, & putaret eum eſſe Chriſtum. Reſpondit ille: Quem me arbitramini eſſe Ieſum Chriſtũ, non ſum. Quare putabant eum eſſe Chriſtum? Quia videbant eum frequentiam hominum fugere, & ſolitudinem petere, & regnum Dei prædicare, & baptiſmi gratiam tribuere. Et in tãtùm præualuit opinio, vt ad pontificum Iudæorum aures qui erãt Hieroſolymis, xxiiij. perueniret. Qui ideo

ideo *tranſmiſerunt ad eum* ſuos ſubiectos *Sacerdotes & Leuitas*, id eſt, diaconos, *vt interrogarent eum, quis eſſet.* Non recta intentione miſerunt ad eum illi principes Iudæorum, quia dolebant ſe à populo deſeri & Dominum Ieſum ſectari. Quis igitur es tu qui tale miniſterium præſumis, videlicet qui vitam æternam prædicas, pœnitentiam annuncias, baptiſmum populo præbes, quod nemo ante te fecit? *Et confeſſus eſt.* Confiteri eſt loqui. Quid eſt confeſſus? *Confeſſus eſt & dixit: Quia non eſſet Chriſtus.* Non negauit tamen ſe eius eſſe diſcipulum & præconem. Certè nō ſum Chriſtus, ſed ſeruus Chriſti ſum. His verbis Beati Ioannis humilitas demonſtratur. Si enim ſuperbus eſſet, diceret: Certè ego ſum Chriſtus. Sed quia humilis erat, humilitatem quam habuit in corde oſtendit, dicens: Non ſum Chriſtus. *Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Helias es tu?* Si hic non eſt Chriſtus: nūquid eſt Helias qui eius aduentum præcurrerre debet? Quare putauerunt eum Heliam? Quia legerant in Malachia Propheta Dominū, dicentem: Ecce ego mittam vobis Heliam Thesbitem, antequàm veniat dies Dñi magnus & horribilis, qui cōuertat corda patrū ad filios, & cor filiorum ad patres eorū. *Et dixit: Nō ſum Helias.* Oritur quæſtio. Dñs interrogatus à diſcipu- *Mala. 4*

lis

Mat.17. lis ſuis de aduentu Heliæ, Reſpōdit: He-
Marc.9. lias venit iam, & non receperunt eū, ſed
fecerunt in eum quęcunque voluerunt.
Et ſi vultis ſcire, Ioānes ipſe eſt Helias.
Ioannes verò requiſitus, vtrum eſſet He
lias, reſpondet: Nō ſum Helias. Nūquid
contraria ſunt verba Ioannis, qui di-
cit, nō ſum Helias & Domini qui dicit,
ipſe eſt? Vterq; verū dicit: Et Dominus:
quia veritas eſt, & Ioannes ſi rei verita-
tem attendamus. Ioannes in ſua perſo-
na, Ioannes eſt, & Helias in ſua perſona,
Helias eſt, quia duo homines fuerūt. Sed
Dominus propter meritum ſanctitatis
dicit Ioannem Heliam eſſe. Videamus
quomodo fuit Helias virgo, & Ioannes
virgo fuit. Fuit Helias ſanctus, & Ioānes
ſanctus. Sicut Helias in deſerto heremi-
ticam vitam duxit, ita & Ioannes. Sicut
Helias pręueniet aduentū iudicis. Sic &
Ioānes pręuenit aduentū redēptoris. Si-
cut Helias inſidias Hacab, & vxoris eius
nequiſsimę pertulit, ſic & Ioānes perſecu
tionē Herodis, & Herodiadis ſuſtinuit.
Quòd ergo Dñs dixit de vitæ merito,
quòd Ioānes idē eſſet, quod Helias, hoc B.
Ioānes dixit de proprietate ſuę perſonę,
videlicet quòd non eſſet Helias in perſo
na. Et reuera ſicut erat dignū vt loquēs
Dñs ſpiritualibus diſcipulis, ſpirituale
de Ioāne ſententiam diceret. Et idē Ioā-
nes in medio turbarum carnalium poſi-
tus

tus, loquens turbis carnalibus, non de ſpiritu Heliæ qui in ipſo erat, ſed de carne reſponderet *Propheta es tu? Et dixit nō*, Quare ſe negauit eſſe Prophetam? Quia maiorem Prophetis ſe eſſe ſciebat. Prophetæ myſterium eſt ventura prædicere, & nō demōſtrare. Omnes enim Prophetæ qui fuerunt ab initio mundi vſq; ad aduentum filij Dei, licet prędixiſſent aduentum Chriſti, nō tamē demonſtrauerunt. Beatus verò Ioannes Propheta, imo plus quàm Propheta extitit, quia quē omnes Prophetæ prædixerunt venturum & non demōſtrauerunt, ipſe nō solū prophetauit veniſſe, ſed etiā digito demōſtrauit, dicēs: Ecce agnus Dei, &c. Hic eſt filius Dei, &c. *Dixerūt ergò ei: Quis es, ſi tu non es Chriſtus neque Helias neque Propheta? Dic nobis quis es vt reſponſum demus his, qui miſerūt nos. Ait, Ego vox clamātis in deſerto, parate viam Dñi, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* Legiſtis Eſaiā Prophetā. Certè ego ſum ille de quo Eſa. Propheta prędixit, dicens: Vox clamantis in deſerto. Quare appellatur Ioannes vox? quia verbum præcedit. Sicut enim in locutione humana vox præcedit verbum, ſic beatus Ioannes præceſsit Chriſtum naſcendo, prædicando, baptizando, moriendo, & ad inferni clauſtra deſcendēdo. Et cuius vox? Clamantis. Cuius clamantis? Chriſti. Quia Chriſtus loquebatur

Act. 10

Eſa. 40

tur per os Ioannis, iuxta quod Lucas di cit: Factū eſt verbum Domini ſuper Ioānem filium Zachariæ. Verbū Dei patris filius eſt. In deſerto. Quātum ad literam eſt, in deſerto habitabat beatus Ioānes, vbi confluebat ad eū populus & prædicabat & baptizabat. Quantū verò ad altiorē attinet intellectum, ideo dicit ſe in deſerto clamare, quia deſertæ ac derelictæ à Deo genti Iudeæ propter peccati perfidiam verbū illis prædicabat, & filij Dei aduētum affuturum annunciabat. Dirigite viam Dñi ſicut dixit Eſa. Propheta. Via Dñi ad cor dirigitur cùm ſermo prædicationis humiliter attēditur. Tunc nāque viā Dñi ad cor dirigimus, cùm diuinum ſermonē humiliter audimus, & corde retinemus, & opere perficimus. Sed multi ſumus peccatis impedītibus, qui viā Domino ad nos venire volēti claudimus. Vbi enim regnat auaritia, luxuria, inuidia, rapacitas, & his ſimilia, ibi non eſt via Dei omnipotētis,
Sapiē. 1 quia nō habitat in corpore ſubdito peccatis. *Et qui miſſi fuerāt erant ex Phariſæis.* Phariſei doctores legis erant in populo Iudęorum, & inuidebant beato Ioanni, quia videbāt ſe à populo derelinqui, & prędicationē beati Ioānis ſequi. Ac ſi diceret Euāgeliſta: Illi Ioānem de ſuis actibus reprehēdunt, qui doctrinā eius neſciunt imitari: ſed potiùs inuidere. *Et interro*

interrogauerunt eum. Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neq; Helias, neq; Propheta? Legerant illi Dñm dicētē per Prophetā. Tollam vos de gentibus & cōgregagabo de vniuerſis terris, & adducā vos in terrā veſtrā, & effundam ſuper vos aquā mundā.i aquā baptiſmatis & mundabimini ab omnibus inquinamētis veſtris, & dabo vobis cor nouū, id eſt, ſpiritum ſanctum ponam in medio veſtri. Hęc verba Dei omnipotētis ſunt. Et per Eſa. Lauamini, mundi eſtote. Et hoc ad gratiā baptiſmi pertinet. Lauamini per baptiſmum, & mundi eſtote à peccatis. Quia hoc legerāt, ideo interrogauerūt beatum Ioannem: Quid ergò baptizas, ſi tu non es Chriſtus? Chriſtus debet baptizare, ſicut in Propheta legimus, & abluere omnia peccata. Et ſi tu non es Chriſtus, quare miſteriū illius vſurpas? *Reſpondit Ioan. Ego baptizo in aqua.* Beatus Ioan. corpora hominum tingebat aqua, ſed peccata non mūdabat per baptiſmū ſuum, quia purgatio peccatorū in ſola confeſsione ſanctæ trinitatis agitur, iuxta quod Domin⁹ dixit diſcipulis ſuis: Euntes in vniuerſum mundum, prędicate Euangeliū omni creaturæ. Et docete omnes gētes, baptizātes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritusſancti. Beatus verò Ioānes ideo nō baptizat in remiſſionē peccatorū, qa nō in nomine ſanctę

trinitatis, ſed in nomine ſolius filij baptizabat, dicens illi quem baptizabat: Baptizo te in eum qui venturus eſt, credas hoc eſt in Ieſum. Quos ieſus baptizauit non ſunt rebaptizati, quos verò Ioãnes baptizauit rebaptizati ſunt. Quare hoc? quia Ieſus baptizauit in nomine trinitatis. Et quid proderat Ioannis baptiſmus? Proderat, quia quoſcunque baptizabat, docebat eos de filij Dei aduentu, & mittebat eos ad Dominum, dicens: Ite ad illum, cognoſcite: ipſe eſt meus Dominus. Credite in eum, ipſe baptizabit in Spiritusancto & igne. Et quare baptizabat Ioannes, qui peccata per veniam non relaxabat? Vt, ſcilicet, præcurſionis ſuæ officium ſeruaret. Sicut enim præuenit Dominum naſcendo & prædicando, ſic debuit præuenire baptizando, vt per eius baptiſmum quod peccata non abluebat, venirēt populi ad vnum baptiſmum Chriſti, quod peccata omnia auferebat. Ego baptizo in aqua ſicut agunt modò ſacerdotes & leuitæ. Illi intingunt aquis corpora hominū, Dominus autē aufert peccata interiùs. *Medius autem veſtrū ſtetit quē neſcitis.* De Domino noſtro Ieſu Chriſto loquitur, qui in medio hominū dicitur ſtetiſſe, quia inter homines natus eſt, & inter homines mãducauit, bibit, dormiuit, ambulauit. Sed ipſe neſciebatur, quia licet hu-

humanitas eius videretur, tamē diuinitatis eius potētia non agnoſcebatur. Ideo dicit, quē vos neſcitis quia Deus eſt. Adhuc autē nō cognoſcebatur, quod Deus eſſet, poſtmodū autē per miracula quę faciebat cognoſcebatur verè Deus eſſe à quibuſdā. *Ipſe eſt qui venturus eſt.* Id eſt, qui poſt me veniet prędicare & baptizare. Adhuc non erat Dñs baptizatus. *Qui ante me factus eſt.* Id eſt, prælatus eſt mihi, antepoſitus eſt mihi, tantùm me precellit, quantùm rex, militē Dominus ſeruum, ſol luciferum, licet poſt eū ortus. Ac ſi diceret Beatus Ioannes, Ille Dominus, ego ſeruus, ille eſt creator, ego creatura, ille eſt lux, ego lucerna, ille iuſtus, ego peccator. Et quare eſſet ei antepoſitus, paulò ſuperiùs manifeſtauit, dicens. *Quia prior me erat.* Hoc eſt, qui in principio erat verbum, erat apud Deū, & Deus erat verbū. Ac ſi diceret. Tēpora Natiuitatis nō anguſtāt eum ſicut me, ideo maior me eſt. Ego antèquā naſcerer, non erā, poſtquā mortuus fuero deſinā eſſe. Ille antèquā de virgine naſceretur natus eſt ante omnia ſecula à Deo patre, & ſi mortuus fuerit, carne ęternaliter viuet diuinitate. Ideo me prior eſt. *Qui non ſum dignus corrigiā calceamēti eius ſoluere.* Ac ſi diceret: Tātę dignitatis eſt, vt nō ſum dignus diſtigare corrigiā calceamēti eius. Sed ſecūdum altiorē intellectum per cal-

ceamentum Domini quibus pedes illius tegebantur, poſſumus intelligere humanitatem, qua anima illius & diuinitas tegebatur. Per corrigiam verò calceamenti ligaturam myſterij. Calceamenta ex mortuis animalibus fiunt. Dum ergò filius Dei mortalem carnem à nobis accepit in vtero virginis, quaſi calceatus ad nos venit. De hoc calceamento dixit ille per Pſalmographum: In Idumæam extendam calceamẽtum meum. Per Idumæam hic intelligitur gẽtilitas. In Idumæam quippe filius Dei calceamentum ſuum extendit, quia per myſteria incarnationis ſuæ & per prędicationem apoſtolorum gentes ad crudelitatem perduxit. Beatus nanque Ioannes corrigiam calceamenti Domini ſoluere non valuit, quia myſteria incarnationis eius enucleare potuit, qualiter videlicet ſummus & viuificator ſpiritus Deus intra vterum matris animatus ſit, quãdo corpus & animam ſuſcepit in vtero virginis in vnitate ſuę perſonę. Hoc neque alius, neque ipſe enarrare potuit, qui eius conceptionẽ & natiuitatẽ per ſpiritum ſanctum cognouit. De hac generatione dicitur per Eſa. Prophetã. Generationẽ illius quis enarrabit? Aut nullus aut rarus. Dicamus & aliter. Qui nõ ſum dignus corrigiã calceamẽti ſoluere. Mos fuit apud veteres Iudæos, vt ſi quis eam

Pſ.107. *Eſai.53*

quæ

quæ ſibi competeret accipere vxorẽ nol let, ille ei calceamentũ ſolueret, qui ad hanc ſponſam iure propinquatis veniret. Quid ergo aliud iter homines Chriſtus niſi ſponſus apparuit? Sponſus eſt ille & ſponſa Eccleſia, iuxta quod idẽ Ioãnes dicit: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Beatus ergò Ioãnes ideo ſe indignũ teſtatur ad ſoluendam corrigiam calceamenti Domini, quia ſponſi nomen indebitè vſurpare non audet. Si diceret, Ego ſum Chriſtus, tunc vſurparet nomẽ ſpõſi. Non vendicare ſibi eam vxorem audet. i. Eccleſiã. Ideo indignũ ſe fatetur diſtigare ei corrigiã calceamenti. *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem*. Corruptè legitur iſte locus à multis. Inuenitur in libro locorũ Bethabara locus eſſe iuxta Iordanem fluuium in deſerto, vbi baptizabat Beatus Ioannes. Et interpretatur Bethabara domus aquarum, quia multę aquę ibi erãt vbi baptizabat Ioãnes. Bethania autẽ nõ eſt in deſerto vbi Ioãnes baptizabat, ſed prope Hieruſalẽ quindecim ſtadijs diſtans ab ea. Sed tamẽ ſicut inuenimus, ita dicamus. *Hæc in Bethania facta ſunt trãs Iordanem, vbi erat Ioãnes baptizãs.* Bethania interpretatur domus obediẽtię. Quicũque ergò gratiã baptiſmi perceperit, obedire mandatis Dei debet, iuxta quod Dñs præcepit diſcipulis ſuis, dicẽs: Euntes docete omnes

Deu. 25

Ioan. 3.

gentes, baptizātes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mādaui vobis. Nos igitur qui Chriſtiani ſumus, & Chriſti baptiſmū ſuſcepimus, ſtudeamus præceptis illius parere, vt ad gaudia patriæ cœleſtis, quæ promiſit electis ſuis, valeamus peruenire.

Homilia ſuper eo quod ſcriptum eſt. Matthæi primo.

Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antèquàm cōuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spirituſancto. Exordium huius Euangelij animā pulſat, quare Dominus deſponſata virgine voluit naſci, & non de ea, quæ nō habet ſpōſum? Quadruplicem ob cauſam. Prima cauſa eſt propter quod Dominus voluit naſci de deſponſata, & non de ſimplice virgine, vt per originem Ioſeph, id eſt, genealogiam eius genealogia Mariæ monſtraretur, quia conſuetudo eſt ſacræ ſcripturæ genealogiam virorum texere, non mulierum. Sicut fecit beatus Matthęus, incipiens ab Abraham, & peruenit vſque ad Ioſeph virum Marię, de qua natus eſt Chriſtus. Illa genealogia deducta vſque ad Ioſeph, ſicut pertinet ad Ioſeph, ita pertinet ad Mariam, quia de vna tribu fuerūt, id eſt, de tri-

Matt. 1.

tribu Dauid. Propinqui erãt & ſecũdũ legẽ cogebatur eam ducere vxorẽ. Nam Dñs perceperat in lege, vt vnuſquiſque de ſua tribu acciperet vxorem. Secunda cauſa eſt, propter quod Dñs voluit de deſponſata virgine naſci, vt fugiens in AEgyptũ Maria haberet ſolatiũ viri, qui eam duceret & reduceret & gubernaret more viri, quia fœmineus ſexus fragilis eſt. Tertia cauſa eſt, ne lapidaretur à Iudæis vt adultera. Quia ſi concepiſſet ſine ſpõſo & pareret, putarẽt Iudæi quod ex adulterino coitu concepiſſet, & ob hanc cauſam lapidarent eam ut adulteram. Quartam cauſam addidit Ignatius, vt partus eius celaretur diabolo, dũ eũ putaret de ſemine Ioſeph natũ & nõ de Spirituſancto conceptum & procreatũ. *Quũ ergò eſſet deſponſata.* Spondeo dicitur promitto. Quum eſſet deſponſata *Beata Maria*, & promiſſa à patre beato *Ioſeph*, vt daretur illi vxor, Maria interpretatur Domina, ſiue ſtella maris. Domina ideo dicitur, quia Dominum totius creaturæ genuit ex ſe. Certè & ipſa eſt Dña vniuerſo orbi, dicit beatus Augu. quia Dñm dominãtiũ, & regẽ regũ protulit. Stella maris ideo interpretatur, qa per mare intelligitur mũdus. Et per eius cõceptũ & partũ. i. per Dñm Ieſum illuminatus eſt mũdus, lumine cognitionis Dei. Ioſeph interpretatur auctus vel ampliaDeu. 25

pliatus, quia per hoc quod ſponſus beatæ Mariæ effectus eſt & maritus, augmentum virtutis religionis & ſanctitatis accepit, vt eſſet pater Domini adoptiuus. *Antèquã cõuenirent.* Verbũ conueniendi duobus modis poſſumꝰ intelligere. Antèquã conuenirẽt.i.antèquã coirent, vt maſculus & fœmina: nã poſteà non cõuenerunt. i. antèquã nuptiarũ ſolennia ritè celebrarẽt, vt illa quæ erat ſpõſa fieret vxor. *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* A quo inuẽta eſt? A nullo alio niſi ab eo Ioſeph. Qui vbi vidit eius vterum intumeſcere curioſitate ductus, diligenter inquiſiuit, vndè concepiſſet, illa reſpondit: De Spiritu ſancto cõcepi, habens in vtero nõ aliunde accipiẽs, niſi intrinſecus habens. *Ioſeph autẽ vir eius.* Conſuetudo eſt ſacræ ſcripturę, vt ſponſi appellentur viri.i.mariti: & ſpõſę vxores appellẽtur, & vxores ſpõſæ. Et quòd ſponſi appellãtur viri, ecce hic habetur. Quia beatus Ioſeph quũ eſſet ſpõſus, appellatur vir. Quòd ſponſæ appellentur
Deu.22 vxores, habes in Deute. dicẽte Domino ad Moſen: Si inuenerit vir puellã in agro deſponſatam, & concubuerit cũ ea: interficietur vir ille, quia humiliauit vxorem, id eſt, ſponſam proximi ſui: Quòd econtrà mariti appellentur ſponſi, & vxores ſpõſæ, habes in Iohele Propheta: Egredietur ſpõſus, id eſt, maritus,
Ioe.2.
de

de cubili ſuo: & ſponſa.i. vxor de thalamo ſuo. Quia tempore ieiunij nõ eſt ſeruiendum ſcortis Fruſtra igitur aſſumitur pœnitentia in voce, niſi ab opere cõiugali quieſcatur. *Quum eſſet iuſtus*. Niſi iuſtus eſſet, iuſtè omnia nõ diſponeret. *Et nollet eam traducere*. Poterat dicere vicinis ſuis, Certè hæc mea ſpõſa conſtuprata eſt. Et nollet eã traducere, hoc eſt crimen adulterij illi imponere. Quia legerat Eſai. Prophetam dicentem : Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, id eſt, nobiſcũ Deus. Et in Pſal. dicente Domino patri noſtro Dauid: De fructu lũbi tui ponã ſuper ſedẽ tuã, quod legerat in Prophetis, non diſcredebat impleri in ſpõſa ſua, videlicet, vt virgo cõciperet ſine viri ſemine, & pareret Deũ. Ideo noluit infamare, ſed voluit occultè dimittere eã. Quõ occultè? Vt neq; duceret eã vxorẽ, ſed permitteret manere ſpõſam, vt erat, neq; eã cauſam diceret ꝓpter quã eã derelinquebat. Dicam⁹ & aliter Ioã. Chryſ. dicit, qđ cõſuetudo fuit veterũ Iudæorũ, vt paruuli & paruulæ, q proceſſu tẽporis vẽturi erant ad copulã nuptiarũ, ſimul nutrirent in vna domo, aut in domo patris & matris pueri, aut in domo patris aut matris puellæ. Secũdũ hãc cõſuetudinẽ forſitã fuerũt B. Ioſeph & B. Maria ſimul nutriti in vna domo, vt inde modò di-

Eſai. 7.

Pſa. 131

Chryſo.

dicatur. *Voluit occultè dimittere eam*.i. à domo ſua expellere & ſeparare, vt non habitarent ſimul. *Hæc autem eo cogitante*, i. dum cogitaret, vt eam dimitteret, *ecce angelus apparuit ei*. Iſtum angelũ Gabrielem archãgelum poſſumus intelligere, qui nũciauerat B. Mariæ, dicẽs: Ecce cócipies & paries filiũ & vocabitur nomen ei⁹ Emanuel. Idẽ ipſe apparuit B. Ioſeph
Luca.1. in ſomnis. Et quare in ſomnis & nõ vigilãti, quũ paſtoribus apparuerit vigilã-
Luca.2 tibus: De quibus legimus: Paſtores erãt in regione eadẽ vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſupra gregẽ ſuũ, quibus prædixit: Ecce euãgelizo vobis gaudium magnũ, &c. Ad quod reſpondẽdũ eſt. Quia illi paſtores agreſtes erant, & in agris morabãtur, imperiti erãt & indocti: ideo manifeſtiori reuelatione indigebant, quã B. Ioſeph qui iuſtus erat, & ſcientia legis ac prophetarũ habebat, in quibus didicerat angelos ſæpe paſtoribus apparuiſſe in ſomnis Prophetis & Patriarchis, idcirco reuelatione nõ indigebat, ſicut paſtores qui agreſtẽ vitã ducebãt. Spiritualiter, Illa apparitio angeli per ſomnũ myſticè nobis innuit, qᵃ qui dormiũt ſeculo. i. à curis mundanis ſunt remoti & vigilãt Deo bonis operibus, illi merẽtur pręſentiã angelorũ ſibi adeſſe in cuſtodiã ſui. Illi taliter poſſũt dicere cũ Eccleſia in Cãticis Cãtic. Ego dor-

dormio à curis mundanis, & cor meum *Cant.3.*
vigilat in oratione, & in omni volun-
tate Dei implenda. *Ioſeph fili Dauid.* Blan
dientis affectu alloquitur B. Ioſeph an-
gelus dicens: *Ioſeph fili Dauid, noli timere,*
noli dubitare, non eſt vxor tua conſtu-
prata. Quare appellauit eũ filiũ Dauid,
& nõ filiũ Abrahę, Iſaac, & Iacob? Quia
licet Dauid paſtor ouiũ fuiſſet vt Iacob,
tamen maioris dignitatis fuit quàm Ia-
cob, Iſaac & Abraham. Quia Deo diſpo
nẽte rex fuit & Propheta. Iacob licet pa
triarcha fuiſſet, tamen non fuit rex. Vt
ergò dominus de regali progenie crede
retur deſcendiſſe, ſicut reuera eſt, ideo
appellauit eum filium Dauid. Cæci etiã
ſedentes ſecus viam clamabant, dicen-
tes: Ieſu fili Dauid miſerere noſtri. Et
pueri Hebræorum veniẽti domino Hie-
roſolymam, occurrentes cum folijs &
ramis palmarum clamabãt dicentes: O-
ſanna filio Dauid. *Ioſeph fili Dauid, noli ti-
mere accipere Mariam coniugem tuam, quod
enim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt.*
Hic appellatur Maria coniunx, id eſt, v-
xor quæ adhuc ſponſa conſiſtebat mo-
re ſcripturarum ſicut ſuperiùs diximus.
Noli timere accipere ſponſam tuam.
Poſtmodum ſicut ſequentia Euangelij
huius narrant, ſurgens à ſomno fecit
ſicut præceperat ei angelus. Conuoca-
uit amicos ſuos & fecit conuiuium nu-

ptiarum,& accepit B. Mariam in vxorē.
Attamen non cognouit eam, id eſt, non
concubuit cum ea. Et non ſine cauſa no-
Ma.20 mina illorum ſpecialiter angelus expreſ-
Ma.21. ſit, dicens. Ioſeph fili Dauid, noli timere
accipere Mariam coniugē tuam. quod e-
nim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt
Nominibus proprijs appellauit eos, quia
familiare eſt aliquem hominem amicū
proprio nomine appellare. Vt ergò an-
gelus vtriuſq; nomen. i. B. Ioſeph & B.
Mariȩ demonſtraret ſcriptum eſſe in cœ-
lis: ideo nominatim nuncupauit eos in
terra. Quod enim in ea natum eſt, de ſpi-
ritu ſancto eſt, id eſt, non concepit ex-
trinſec⁹ quod in vtero habet, ſed intrin-
ſecus virtute ſpiritus ſancti concepit fi-
lium Dei, Deus pater miſit verbum ſu-
um in vterum virginis, ipſe filius aſſum-
pſit carnem & animam in vnitate perſo-
næ. Spiritus ſanctus formauit illud cor-
pus in vtero virginali, ex ſemine virgi-
nis, ſine ſemine tamen viri. Et tamen cre-
dendum eſt, quia tota trinitas operata
eſt illud corpus, Pater & filius & ſpiri-
tus ſanctus, quia quorum inſeparabilis
eſt ſubſtantia diuinitatis, eorum eſt in-
ſeparabilis operatio. Et ſi dominus con-
ceptus dicitur de ſpiritu ſancto, quare
non dicitur filius ſpiritus ſancti? Quia
non omne quod ex aliquo naſcitur, e-
ius filius appellatur. Verbi gratia. Nam
om-

omnes qui conſiſtimus in eccleſia per fidē renati ſumus ex aqua & ſpiritu ſancto, & tamen non dicimur filij aquæ, ſed filij Dei. Sic & manus materia ex nobis ipſis naſcitur, capillus ex capite, ſed non dicitur filius capitis. Naſcuntur vngues de manibus, & tamen non dicitur filij manus. Sic & filius Dei licet opere & miniſterio ſpiritus ſancti conceptus creatur in vtero virginali, tamen ideo nō dicitur filius ſpiritus ſancti, ſed filius Dei patris, à quo ante omnia ſecula eſt genitus, ne duo patres eſſe videantur. *Pariet autem filium* virgo, quia Deus naſciturus erat in mundo, dignum erat vt de virgine naſceretur. Et quia virgo parituга erat, dignum erat vt Deum pareret. *Et vocabis nomen eius Ieſum.* Acſi diceret angelus, O Ioſeph cōiunx tua pariet filium, & inde habebis priuilegium, talē honorem habebis, veluti tu eum genuiſſes, quia impones ei nomē. Quod nomē? Ieſum. Ieſus propriū nomen eſt hominis aſſumpti à verbo. Ieſus Hebraicè, Latinè ſaluator, ſiue ſalutaris interpretatur. Huius nominis Etymologiam apparuit angelus, cùm ſubiunxit. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorū.* Nō dicit ſpecialiter populū Iudaicū, ſed populū ſuum. Quis eſt populus Dei: qui veraciter in eum credit. Omnis enim ſiue Iudæus, ſiue Gētilis, ſi veraciter credit in Deum, *Rom. 3. & 6.*

Deum, & fidem quam habet bonis operibus exornat, populus eius dicitur. Et ipſum ſaluat, non ſolùm à peccatis ſuis, ſed etiam ab omni aduerſitate huius ſeculi & futuri.

In nocte natiuitatis Domini.

Homilia ſuper eo quod ſcriptum eſt Lucæ Secundo.

E*Xijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Exijt edictum, id eſt, mandatum vel imperiale præceptum, à Cæſare Auguſto Octauiano, qui Auguſtus vocatus eſt ab augendo, eò quod auxit imperiũ Rom. Omnes enim gentes præter Armenios, & Gothos ſubiugauit Romano imperio. Non dicit de iſtis Gothis qui ſunt in occidẽtali parte. Illi Gothi, quos tũc non potuit ſubiugare ſibi Octauianus, vocãtur Aſtrogothæ, id eſt, Orientales Gothi. *Vt deſcriberetur vniuerſus orbis*, id eſt, ſub ſenſum redigerentur vniuerſi habitatores orbis. *Hæc deſcriptio prima*, quæ totum orbẽ tenuit. Prima ideo dicitur, quia quædam partes fuerant iam deſcriptæ ſub tributo, ſed non occupauerant totum mundum: hic tenuit totum mundũ. *Et facta eſt à præſide Siriæ Cyrino.* Cyrinus vocatus eſt, quia per ſingulos gradus aſcendens, peruenit vſque ad conſulatus

latus honorem, vt ſecundus eſſet à rege. Iſte dedit conſilium Octauiano imperatori, vt, quia omnem mundum ſuo ſubiugauerat imperio, omnes gẽtes red derent illi tributum. Et quia ſalubre illi conſilium dedit, ideo meruit regnum. Præſes Syriæ eſt factus .i. princeps ſuper Syriam *Et ibant omnes vt profiterentur ſinguli in ciuitatem ſuam*. Vbi dicit, profiterentur, ibi deberet habere, deſcriberentur, vt Beda dicit: Ille interpres qui de Græco ſermone tranſtulit in Latinum Euang. proſcripſit, ibi tamen nos nõ audemus aliter emendare: quia ita tentet vniuerſalis eccleſia, vt profiterentur, id eſt, deſcriberentur ſinguli in ciuitatem ſuam ſub tributo. Verbi gratia: Eſt modò aliquis in hac ciuitate natus, aut in hac regione, ex hac ducit originem patris & matris, pòſtquàm circuit perrexit in aliam ciuitatẽ, & ibi habitat: modò ille talis non daret ſuum cenſum in illa ciuitate vbi habitat, ſed in illa vbi duxit originem, & vbi natus fuit. Liberi ſoluebant tributa ſerui non quia domini ſoluebant pro ſe, & pro ſeruis. Vnuſquiſq; liber pro ſe, & pro vxore ſua, & pro omni domo ſua, & familia ſua ſoluebat vnum denariun. Per quinquennium faciebant hoc, id eſt, per quinquẽnium ſoluebant vnum denarium. Et dominus in perfecta ætate poſitus ſoluit

pro

Mat.17 pro ſe tributum, dicens Petro: Vade ad mare,&c. vſque id: Da eis pro te & me. Quaſi diceret: Pro me & pro omnibus diſcipulis, in Petro comprehendit omnes. Per quinquennium æreum, & per quinquennium argenteum,& per quindecim annos agebant hoc, & dein rediſbant ad caput. Et habebat ille denarius decem nummos noſtros in ſe, vnde & à numero decem denariorum dictus eſt denarius. Quid agebatur de illo tributo? Militibus Romanorum & illis dabatur ad ſtipendia quando pergebant in hoſtem. Vndè dicit Paulus Apoſt. Nemo ſuis ſtipendiis militat vnquam. Ex om- *1.Co.9.* nibus gentibus erāt ſcolę in Roma. Quidam exercitabantur ſagittis vt fierent ſagittarii, quidam verò cum dardis & cęteris exercitiis quæ fiunt militari cauſa. Illi viuebant de tributo quod dabatur à populis. ¶ *Aſcendit autem & Ioſeph cum Maria.* Quam iam acceperat in vxorem, ſed non cognouerat eam, *à Galilea in Iudæam ciuitatem Dauid.* Quare dicit, aſcendit? Quia Galilęa in planicie eſt, Iudæa montuoſa. In Bethlehē perrexerunt de Nazareth vbi habitabāt vt ibi ſolueret ſuū cenſum, quia inde duxerunt originem patrum, ibi natus fuit rex, de cuius familia B. Ioſeph & B. Maria orti ſunt. Licet pauperes eſſent, tamen de ſtirpe Dauid deſcenderunt, *vt profiterent:*

rentur ſinguli in ciuitatem ſuam, vt deſcriberentur ibi ſub tributum, non alio in loco. Naſciturus in carne filius Dei, ſicut ante mundi conſtitutionem elegit matrem virginem de qua naſceretur, id eſt, Maria & locum in quo naſceretur, id eſt, Bethlehem ita & elegit tempus quo naſceretur, tempus, ſcilicet pacis, quæ enim maior pax eſſe poterat, quàm vt ſub tributum vnius regis omnes gentes deſeruirent? Tanta etenim pax fuit dominicæ natiuitatis & antè & pòſt circa ſpatium duodecim annorum, vt omnia externa bella ceſſarent, & ciuilium turma quieſceret Tunc impleta eſt Prophetia Eſaiæ, quæ dicit. Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, & non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebũtur vltrà ad bellum. Subaudis ſicut anteà facere conſueuerant. Quia ante natiuitatem domini multa bella erãt in mũdo, nemo audebat de regione ad regionẽ tranſire, ſicut modo ſine exercitu. ✠ Tempus pacis elegit dñs in ſuã natiuitatẽ, quia pacem diligit. Et vt demõſtraret, quia ad hoc veniebat vt per ſuã natiuitatẽ & paſsionẽ Deo patri reconciliaret genus humanũ. Spũaliter iſte Auguſt⁹ dñm Ieſum Chriſtũ ſignat, qui auget electos ſuos virtutibus bonis. i. per ſpem & fidẽ & charitatẽ, & cætera bona, Sicut tunc regnante *Eſai. 2.*

Octauiano imperatore & præſidēte Cyrino omnes reddebāt debitum, hoc eſt, tributum in ſua ciuitate. Sic modo regnante domino IeſuChriſto in cordibus electorum ſuorum, & præſidentibus Epiſcopis & presbyteris, & cæteris præpoſitis eccleſiarum reddamus denariū noſtrum, id eſt, obſeruationem præceptorum legalium, quod deſignatur per denarium. Quorum mandatorum tria pertinent ad dilectionem Dei, ſeptem ad amorem proximi. Diliges dominū Deū tuum ex toto corde tuo. Ecce vnum pręceptū. Et vbi hęc reddere debemus Deo? In ciuitate noſtra, id eſt, eccleſia, vbi renati ſumus ex aqua & ſpiritu ſancto, & exordium religionis & ſanctitatis ſumpſimus in illa domo. Nomen & imago regis continebatur ibi, & poſtmodum præcepta legis obſeruamus, Imaginem Dei habemus in ſanctitate quia ſancti ſumus, & tūc rectè Chriſtiani vocamur, quando opera Chriſti facimus. Aſcendens autem Ioſeph in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem. Bethlehem ciuitas fuit Dauid, quia ibi natus eſt Dauid, qui & nomine & officio præceſsit in typo ſaluatoris. Dauid enim interpretatur manu fortis, vel deſyderabilis. Manu fortis ideo dicitur, quia Goliad interfecit, & multos alios debellauit. Deſyderabilis, quia pulcher aſpectu fuit:
quæ

quæ duo bene congruunt filio Dei. Ipſe dicit manufortis, quia Diaboli ſuperbiam ſtrauit, & nos ab eius poteſtate eripuit Ipſe dicitur deſyderabilis, quia ſpecioſus forma præ filijs hominum fuit. Officio typum domini ſaluatoris Dauid habuit, quia paſtor fuit, & dominus verus paſtor fuit, quia ipſe dicit, Ego ſum paſtor ouium, id eſt, ſimplicium animarum. *Factum eſt autem cùm eſſet ibi, impleti ſunt dies vt pareret*, id eſt, impleti ſunt nouem menſes. Octauo Kalendas Aprilis fuit dominus conceptus. Octauo Kalendas Ianuarij natus. Quare natus eſt dominus in Bethlehem in via? Quia dictum erat à Propheta. Et tu Bethl. ter. Iuda, &c. *Et pannis eum inuoluit.* Panni ſunt vilia veſtimenta quibus teguntur infantes. Qui totum mundum vario veſtit ornatu, vilibus induitur veſtibus. Hic exclamandum eſt nobis cum Pſalm. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Qui erat magnus, paruus factus eſt, vt nos faceret magnos in regno ſuo. Qui erat diues, factus eſt pauper, vt nos diuites faceret in fide & bonis operibus. Diuerſorium dicitur à diuertendo. *Et paſtores erant in regione eadē vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.* in regione, ſcilicet Bethlehemitica, cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum, ne aliquam cuem,

1. Re. 17
Ioā. 10.
Iohel. 7
Mich. 5
Pſa. 115.

vel

vel arietem raperet lupus. Et quædã tur
ris diſtans à Bethlehem mille paſſus, iu
xta quã erant paſcua vberrima, & voca
batur illa turris Ader, & paſtores paſce
bant ibi pecora ſua tempore hyemis. De
Mich.4 hac turre prædictũ eſt à Michea Prophe
ta. Et tu turris gregis nebuloſa, filię Syõ
ad te venient, & veniet poteſtas prima
regnum filiæ Syõ. Turrim gregis eã ap
pellauit quia circa eam accubabant gre
ges. Nebuloſa eã dixit, quia nebuloſus
eſt ibi aër. Filiæ Syon ad te venient, i. an
gelicæ poteſtates. Et veniet poteſtas pri
ma, i. Chriſtus regnum filiæ Sion, quia
Chriſtus filiæ Syon, i. præſenti eccleſiæ,
quæ filia eſt Hieruſalẽ cœleſtis, dabit re
gnum cœleſte. *Ecce angelus domini aſtitit
iuxta illos*. Iſte angelus Gabriel intelligi
tur. *Et claritas Dei circũfulſit illos*, i. ex om
ni parte reſplẽduit circa illos. Legimus
in veteri teſtamento angelos apparuiſ
ſe hominibus, ſicut B. Abrahæ, B. Moſi,
B. Danieli, ſubaudis nõ in tanta clarita
te ſicut tempore dominicæ natiuitatis.
Quare hoc? vt demõſtraretur, quia ille
naſcebatur in carne, per quem tenebræ
infidelitatis erant receſſuræ, & lux fidei
ventura. *Ecce euangelizo vobis gaudium
magnum*. Euangelizare, eſt bona docere.
Bona docebat, quia Chriſti natiuitatem
annunciabat: Gaudium magnum. Gau
dium electorum eſt Chriſtus, iuxta il
lud

lud quod ipſe dixit diſcipulis ſuis. Ite- Ioan. 16
rum autem videbo vos, & gaudebit cor
veſtrum & gaudium veſtrum nemo tol
let à vobis. *Quod erit omni populo*, nõ He-
rodi, neq; ſcribis & Phariſæis, qui do-
minum perſecuti ſunt vſque ad mortẽ,
ſed omni populo. Subaudis credenti.
Quia natus eſt vobis hodie. In nocte loque-
batur angelus. Et quare dicebat hodie?
quia nox ſæpe in ſacra ſcriptura pro tri-
bulatione vel pro aduerſitate ponitur,
dies pro lætititia vel proſperitate. *Salua-
tor* qui nos ſaluabit à poteſtate diaboli.
Qui eſt Chriſtus dominus, id eſt vnctus, *in
ciuitate Dauid*, id eſt, Bethlehẽ. *Et hoc vo-
bis ſignum*. Quia ita eſt vt dico. Multitu-
do militiæ cœleſtis. Militia dicitur pug-
na, ſicut rex habet milites cũ quibus pu-
gnat cõtra hoſtes. Similiter & dominus
Ieſus Chriſtus rex regum habet mili-
tes ſuos angelos, cum quibus pugnat cõ
tra malignos ſpiritus, ne tantum valeãt
homines impugnare quantum volunt.
Ideo dicuntur angeli milites, quia pug-
nant contra dæmones verbo, dicentes:
Recedite ab homine iſto. *Et ſubito fa-
cta eſt cum angelo multitudo cœleſtis*, id
eſt, multitudo exercituum Dei om-
nipotentis angelorum. Vno annuncian-
te Chriſti natiuitatẽ, cæteri omnes pro-
ſilierunt in laudẽ Dei omnipotententis
dicẽtes: *Gloria*, id eſt, laus *in altiſſimis Deo*
patri,

patri, qui miſit filium ſuũ ad terras pro ſalute generis humani. *Et in terra pax*, id eſt, tranquillitas mentis, quia die natiuitatis domini omnes Chriſtiani concordiam debent habere in ſe. *Hominibus bonæ voluntatis*. Qui veraciter credunt in dominum Ieſum Chriſtum, & præcepta eius cuſtodiunt, qui non faciunt aliis, quod ſibi nolunt fieri, illi ſunt homines bonæ voluntatis. Ante aduentum filii Dei non optauerunt angeli pacem hominibus, ſed potiùs quaſi diſcordantes erant, quia ſciebant eos abiectos de paradiſo à Deo omnipotente, propter peccatum primi hominis. Cùm autem humanam naturam videbãt aſſumptam à filio Dei, offerunt pacẽ hominibus, quia gaudent de eis per aduentum domini & paſsionem ſuorum numerũ repleri, qui pereunte Diabolo, erat imminutus.

In ſecunda miſſa, in nocte Nat. Domini.

Homilia ſuper eo quod ſcriptum eſt. Lucæ ſecundo.

P*Aſtores loquebantur adinuicem: tranſeamus vſque Bethlehem*. Narrat Lucas in ſuperioribus quia domino in Bethlehem nato, mox angelus eiuſdem glorioſæ natiuitatis prænuncius, paſtoribus ſuper gregem ſuum excubantibus apparuit, quiq; verum Deum ſolũ modo

id innoteſceret ortum. De quo & dicitur, quia angelus domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos. Cũ enim toties legamus in veteri teſtamento, angelos hominibus apparuiſſe, nuſquam tamen comperimus cum tanta claritate viſos. Quia ſcilicet tale priuilegium natiuitati Chriſti reſeruabatur, quia verus ſol iuſtitiæ ſua claritate mundum irradiaret. Sed ne præconium vnius angeli à paſtoribus paruipenderetur, facta eſt cum eo multitudo militiæ cœleſtis, gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis canentium. Hoc in loco paſtores typum doctorum atque rectorum eccleſiæ tenent, mox perſecutionis tribulationem inſinuat. Nato domino paſtores ſupra gregem ſuum vigilabant, quoniam Archimundritæ, id eſt, patres ſpiritualium ouium in nocte tribulationis ac perſecutionis, ſibi ſubditos regere ac gubernare ſatagunt, quatenus veniente paſtorũ principe remunerẽtur, ſecũdũ B. Pet. ſententiam. Cùm apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſsibilẽ gloriæ coronã. Tranſeamus vſq; Bethlehẽ ciuitatula erat Iudæ in qua olim potentiſsimus rex Dauid ortus fuerat. Interpretatur aũt dom⁹ panis, quæ vocata eſt quõdã Euphrata. Sed cũ ibi Iacob veniſſet ob abundantiã fertilitatẽq; paſcuæ,

Paſtores eccleſiæ doctorũ typũ gerunt.

1. Pet. 5.

appellauit eam Bethlehē, hoc eſt domū panis, quoniam in illa verus panis eſt, qui dicit: Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Poſtquàm hi paſtores natum dominum in Beth. cognouerunt illico ad videndum eum venire ſtuduerunt. Et nos ſtudeamus tranſire in Bethlehē cœleſtem, vbi verum panem cōſpiciamus. Tranſeamus autem nobiliſsimo ac neceſſario tranſitu, de vitio ad virtutes ab affectu præſentium ad deſyderiū ſupernorum, & videamus hoc verbum quod factum eſt. Verbum filium Dei accipiamus, de quo Ioan. In principio erat verbum quod factum eſt. Fides catholica habet hoc verbum, non à patre factū ſed ex arcanis ſinibus patris ſubſtantia gentium. Factum autem dicit, hoc eſt incarnatum, quoniam qui non poterat videri in diuinitatis magnificentia, humanatus eſt, quò videri poſſet. Et venerunt feſtinantes. Quòd feſtinantes venerunt, ægregium nobis monſtrat exemplum. Quotienſcunque Chriſtum quęrimus nō ſegniter aut pigrè, ſed ſtudioſe & ſolerter requiramus, Et quia iſti piè quæſierunt, idcirco inuenire meruerunt. Vnde & bene ſubditur. Inuenerūt Mariā & Ioſeph & infantem poſitū in præſepio. Natus dn̄s noſter in cunabulis reclinatus eſt, ſed in pręſepio reclinatus collocatur nec obuoluitur precioſis holoſericis, ſed

Ioan. 6

Ioan. 1.

vilibus circũdatur pãnis. Cũ enim eſſet diues ſecundum maieſtatis potentiam, pauper pro nobis factus eſt (vt Apoſto= lus ait,) vt nos ſua paupertate ditaret. Et non ſine myſterio in præſepio colloca= tus eſt, ibi enim animalia reficiũtur. Do minus ergo nõ incunabilis, ſed in præſe pio collocatus eſt, vt oſtenderet ſe cibũ eſſe piorũ iumentorum. Per Mariã & Io ſeph miniſtri ſcilicet doctores fidei no= tantur. Sicut illi dñm requirentes, Ma= riam & Ioſeph & infantem poſitum in præſepio adinuenerunt, ſic & nos pia de uotione Chriſtum quęrimus, mox cum eo miniſtros .i. doctores verbi remune= ratos reperimus. Videntes autem cogno uerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Videntes cognouerunt, quoniam viſio illius cognitio eſt. idem, eſt, videre illum & cognoſcere. Ille vi= det qui cognoſcit. Et ille veraciter co= gnoſcit, qui videre meretur, quod au= tẽ omnis noſtra perfectio in viſione & cognitione Dei cõſiſtat Pſal. aperit qui ait. Satiabor cũ apparuerit gloria tua Et omnes qui audierunt mirati ſunt, & de his quæ dicta erãt à paſtoribus ad ipſos. Paſtores ea quæ dicũtur à dño percepe= rãt, nequaquã ſilẽtio texerũt ſed omnibꝰ lõgè lateq; manifeſtauerũt. Nos ergo ſi aliquod donũ cœlitꝰ pcipimus, nõ in fru ctuoſo ſilẽtio tegamus, ſed alijs manife=

1. Co. 8.

Maria & Io= ſeph, fidei do= ctores ſi= gnant.

Ieſum videre quid.

Pſal. 26

ſtemus, quatenus multos in laude participes & in ſalute conſortes habere mereamur. Hinc eſt quod dicitur: Secretū regis celare bonū eſt, opera aūt Dei, hominibus manifeſtare gratiſsimum. Maria aūt cōſeruabat omnia verba hæc cōferens in corde ſuo. Illa quę paſtores nouerāt, vt dictum eſt, aliis intimare ſatagebat quæ virgo didicerat in ſe impleta, Chriſto filio cōgruo tēpore quō & qualiter vellet manifeſtare ſeruabat. Quòd aūt dicit, conferens in corde ſuo, tale eſt quaſi dicatur, ea quæ in ſe cōpleta nouerat, cum oraculis Prophetarū cōferebat .i. comparabat, quia in ſe facta cernebat, quæ olim per Prophetas prædicta fuerāt, ſciens ſe virginem cōcepiſſe, recolebat oraculū varis. Ecce virgo concipiet.

Tob.12. (margin note beside "reamur")

Eſa.7. Videt ſe in Bethlehem peperiſſe, reminiſcebatur illud. Et tu Bethl. ter. Iuda. *Mich.4* Recordabatur etiam illius Prophetici ſermonis. Audiebat à paſtoribus apparitionem angelorum, & tu turris nebuloſa filiæ Syon, ad te venient. *Mich.4* Filiæ Sion angelicæ ſunt poteſtates. Turris autem nebuloſa, turris gregum dicitur, propter multitudinem pecorum vndique ibi conuenientium ita vocata. Diſtat aūt hæc turris vno miliario à Bethlehem, in qua etiam hodie trium paſtorum corpora requieſcunt, qui dominū vagientē videre meruerunt. Et reuerſi ſunt paſt. glor. & laud

laud. Deum in om. quæ aud. & viderant ſicut dictum eſt ad illos. Illi ſancti paſt. poſt quàm dominum repererunt natũ, voti ſui cõpotes effecti, nõ ingrati extiterunt beneficijs Dei: ſed indefeſſas gratias illi retulerunt, dantes vtiliſsimum nobis exemplum, vt ſi quando pijs precibus dominũ quærimus, & inuenire meremur, ſecundum eius præcepta laudes ei referamus. Nam quæcunq; filius Dei in carne poſitus egit, propter nos omnia adimpleuit. Natꝰ eſt, vt primatũ diaboli auferret, cuius tyrannide mundus opprimebatur, & per ſimmilitudinẽ noſtræ carnis quam aſſumpſerat, cõſortes ſuæ diuinitatis efficeret. Baptizatus eſt, vt nobis ablutionem ſcelerum condonaret. Tentatus eſt, vt ſua tentatione noſtras euinceret tẽtationes. Mortuus eſt, vt ſua morte noſtram mortem ſuperaret. Reſurrexit, vt nobis iuſtificationẽ conferret, & reſurgendi ſpem quandoq; tribueret. Cœlos aſcendit, quo manſionem patris nobis prępararet, atque aditum introeundi faceret, in quo viuit cũ patre & ſpiritu ſancto Deus, Per omnia ſecula.

Ad ſummam miſſam Natiuitatis Do.

Homilia ſuper eo quod ſcriptum eſt, Ioannis primo capitulo.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ, &c.

Quare non dicitur in hoc euangelio: Sequentia ſancti euangelij? Quia non eſt præcedens lectio quam iſta ſequatur, quæ legitur. Hic inchoat euangelium ſancti Ioannis: ideò dicitur initium ſancti euangelij. In alijs autem euangelijs quæ leguntur in anno, ſequentia dicitur, quia præcedunt euangelicæ lectiones, quas illa ſequitur quæ legitur. *In*
Ezech.1 *principio erat verbum.* Ezechiel Propheta cum eſſet ſecus fluuium in Babylone, vidit viſiones Dei, & inter cæteras vidit ſimilitudinem quatuor animalium. Primum animal in ſimilitudinem hominis, ſecundum in ſimilitudinem leonis, tertium in ſimilitudinem vituli, quartum in ſimilitudinem aquilæ. Quæ animalia quatuor, quatuor euãgeliſtas præfigurabant. Animal quod habebat ſimilitudinem hominis, præfigurabat Matthæum euangeliſtã qui ab humana generatione Chriſti, exorſus eſt ſcribere
Matt.1. euangelium ſuum dicens: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Animal quod habebat ſimili-
Marc.1. tudinem leonis, præfigurabat Marcum euang. qui dicit in initio ſui euangelij: Vox clamãtis in deſerto. Quia ſicut leo in deſerto rugit, ita ipſe à prædicatione Ioannis qui in deſerto prædicauit, inchoauit euangelium ſuum dicens: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domi-

mini, rectas facite ſemitas eius ſcilicet Dei noſtri. Animal quod habebat ſimilitudinem vituli præfigurabat Luc. euan. quia à ſacerdotio Zachariæ inchoauit euãgelium dicens: fuit in diebus Herodis regis, ſacerdos nomine Zacharias, quia vitulus hoſtia Sacerdotum erat. Animal quod ſimilitudinem habet aquilæ, præfigurabat B. Ioan euang. qui imitatus eſt aquilam. Quomodo aquila omnibus auibus altius volare conſueuit: ita vt nubes aliquandò tranſcendat: & irreuerberatis oculis radio ſolis intendit. Sic B. Io. tranſcendit omnia terrena mentis intuitu viſibilia & inuiſibilia, & oẽs cãpos aëris, & oẽs mõtes, & colles, & oẽs cœlos, & omnes ordines angelorũ, & ad Dei patris & verbi illius contẽplationem peruenit mente, id eſt, intellectu, & dixit. *In principio erat verbum*, id eſt, in patre erat filius. Principium dicitur Deus pater, quia ab ipſo omnis creatura ſumpſit exordium vt eſſet, dicitur & filius principium, vt in ſequentibus huius euangelij habetur, vbi interrogantibus Iudæis Dominum quis eſſet, reſpondit Dominus: Ego principium, qui & hoc loquor vobis. Id eſt, principium me credite. Et ſi pater principium, & filius principium, nunquid ſunt duo principia? Non vnum eſt principium. Sicut non duo Luc. 1.

dñ, ſed vnus eſt Deus. Ita non ſunt duo principia pater & filius ſeparati à ſe, ſed vnum principium. Faciã tamẽ diſtantiam inter principium patris & principiũ filij. Pater principium dicitur, ſed nõ de principio. Sicut Deus non de Deo, lumẽ non de lumine. Omnipotens nõ de omnipotente, Filius verò dicitur principiũ, ſed de principio. i. de Deo patre, ſicut Deus de Deo, lumen de lumine, omnipotẽs de omnipotente. Et quare dicitur verbũ patris? vt incorporalis credatur ſicut & deus pater incorporalis eſt. Ideo dicitur verbũ, quia ſicut homo per verbum ſuũ manifeſtat alijs conſilium ſuum vel voluntatem, ita per verbum, hoc eſt per filium ſuũ manifeſtauit ſe hominibus, & cognitionẽ ſuam dedit. Et vbi erat illud verbum? Apud patrem erat. Non erat alicubi. Deus pater nõ genuit verbum extra ſe, ſed intra ſe, ſicut cõſilium gignitur in mente hominis. Et iſtud verbum nõ eſt tranſitorium, ſicut verbum humanum: ſed æternum: Et quod erat illud verbum? Deus erat. Sicut Deus eſt pater, ita & filius Deus eſt. *Hoc verbum erat in principio apud Deum.* Si prius principium de quo diximus in principio erat verbum, refertur ad patrem, ſequens principium referamus ad initium creaturarum Hoc ergò verbum Dei patris, id eſt, filius in principio temporis, id eſt, in

in initio quando factum eſt cœlum & terra, apud patrem erat. Et non ſolum in initio temporis, ſed etiam ante initi-um, ante omnia tempora, ante omnem creaturā fuit filius Dei apud patrem, iuxta quod ei dicit pater, Ante luciferum genui te. Vndè & ad comprobādam æternitatem filij, quam habet cum patre & ſpiritu ſancto, euangeliſta quater vſus eſt verbo præteriti temporis, erat, erat, erat, erat. *Hoc erat in principio apud Deum.* Vndè poſſumus hoc dicere, quod filius fuit apud patrem in exordio temporis? Ex ſequentibus. *Quia omnia per ipſum facta ſunt.* Cùm dicit omnia, nihil excludit. Omnia ſiue viſibilia ſiue inuiſibilia, ſiue cœleſtia, ſiue terreſtria, ſiue infernalia, per ipſum, id eſt, per verbum Dei patris facta ſunt. Iuxta quod Pſalm. dicit de eo ad Deum patrem, Omnia in ſapientia feciſti, id eſt, in filio. Et alibi: Ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. Dictio, dei, nihil aliud eſt niſi verbum illius per quod fecit omnia. Per quod factus eſt angelus in cœlo, per ipſum factus eſt vermiculus in terra. Sed angelus dignus effectus eſt cœlo, vt ibi ſtaret vermiculus terræ. *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* Et ſine ipſo, id eſt ſine verbo Dei patris, factum eſt nihil. Nihil non eſt aliquid, ſed nihil eſt peccatum, & ideo non eſt à Deo factum.

1.Co.8. Et homines cum peccant, nihil fiunt, B. Paulus Apoſt. dicit: Scimus quia idolum nihil eſt, & peccatum nihil eſt. Si nihil ſunt ideo à Deo non ſunt facta. *Quod factum eſt in ipſo vita erat*. Factum eſt cœlum. Nunquid cœlum eſt vita? Facta eſt terra. Nunquid terra eſt vita? Factum eſt mare. Nnnquid mare eſt vita? Non. Quid eſt ergo quod dicit: Quod factum eſt in ipſo vita erat? Ita intelligendum eſt: Quod factum eſt ſiue viuens vt angelus, ſiue vita carens, vt cœlum, terra, mare, omnia in verbo Dei viuebant antèquam fierent. Situt verbi gratia, ars viuit in artifice. Ponamus modo in exemplum vnum fabrum. Fabrum dico carpentarium, Vult edificare domum aut arcam, pergitur in ſyluam, conſpicit arborem, quam viderit ſuo operi congruam, dicit: Certè de hac arbore poſſum ædificare domum aut Arcam facere, illa arbor necdum eſt inciſa, adhuc in ſua ſtatura permanet, & tamen iam viuit ars in anima artificis quid de illa debebat facere. Poſtquàm autem fabricata fuerit domus ab illo ſiue arca, ſi vetuſtate perierint aut igni traditæ fuerint, iterum poteſt artifex ſimiles illis facere, Quare? quia in aïa illius qui viuit, viuit ipſa ars qui priorem domũ aut arcam fecit. Sic in Deo omnipotente qui eſt vita, viuebat omnè antèquã fieret,

qua

qualiter ergo iſtum mundum faceret & qualiter gubernaret, & quem finem vſque perduceret totum, ſciebat Deus omnipotens antèquã illum crearet. Et ſi fieri poſſet vt iſte mũdus periſſet pòſtquã factus eſt, in ſimilem ſtatum à Deo reformari poſſet. Sed Deus continet illum nè pereat. Plato dicit quod ſimilem mundum habuerit Deus omnipotens, ad cuius ſimilitudinem fecit iſtum mundum. Sed nos illum mundum quem dicit Deum habuiſſe, ad cuius ſimilitudinem iſtum mundũ fecerit, poſſumus intelligere ſuam ſapiẽtiã, in qua habuit qualiter ipſe eum crearet. *Et vita erat lux hominũ.* Vita.i. vitalis ratio quæ eſt Chriſtus, qui dicit: Ego ſum via veritas & vita: Erat lux hominum. Quare lux hominum? Quia homo ad imaginẽ Dei eſt cõditus, & habet rationalẽ mentẽ, per quã poſsit percipere ſapiẽtiã, & diſcernere inter bonũ & malũ, inter Deũ & hoĩem, inter creatorẽ & creaturã, inter tẽporalia & æterna, inter terrena & cœleſtia. Animalium aũt non eſt lux Chriſtus, quia non habẽt rationalẽ intellectũ per quẽ poſsint illuminari. Neq; etiã paganorũ, Iudæorũ, & Hæreticorum lux eſt Chriſtus, quia in tenebris ignorantiæ & infidelitatis manent. Et completur in illis quod Pſal. dicit: Homo cum in honore eſſet non intellexit comparatus eſt iumens

Plat.
Ioã. 14.
Pſa. 48

iumentis, & ſimilis factus eſt illis. *Lux in tenebris lucet.* Tenebras appellat hic infideles paganos: hæreticos, & falſos Chriſtianos, homicidas, adulteros, periuros, rapaces, & cæteris implicatos criminibus, quod infideles appellentur te-
Ephe. 5 nebræ, manifeſtat Paul quum dicit credentibus. Fuiſtis aliquando tenebræ, id eſt, infideles, nunc autem lux in domino, id eſt, fideles. Lux eſt Chriſtus, qui dicit: Ego ſum lux mundi. Lux in tene-
Heb. 4. bris lucet, id eſt, in cordibus infidelium & peccatorum hominum: quia omnia quæ cogitantur ab illis & loquuntur & agunt, omnia ſunt nuda, & aperta oculis eius. Quicquid cogitamus & operamur omnia ſcit ipſe, & ſemper præſens eſt operibus noſtris, cuius præſentiam nō cōſyderamus cū peccamus. *Et tenebræ eā non cōprehenderunt.* i. infideles, lucem quæ eſt Chriſtus nō cōprehenderūt intelligēdo. Ponamus modo cæcū in exemplum. Si poſueris cæcum contra ſolem, & in omni parte pertuſus fuerit à ſole: ipſe abſens eſt ſoli, quia non videt eum, ſol autem præſens eſt illi, quia ex omni parte illuminat eū Similiter Deus omnipotens omnia infideliū & peccatorū hoīm opera intuetur, & ipſe à nemine videtur iniquorū & malignorum, q̄a non intelligunt eū. Si hoc ſpecialiter vis referre ad Iudęos: Lux in tenebris lucet, id

id eſt, Chriſtus. Multa mirabilia fecit in populo Iudæorũ, & cœleſtem doctrinã protulit. Et tenebrę. i. Iudæi: eam lucem, i. Chriſtũ, non comprehenderunt. Com prehẽderunt corpore, quia morti tradi derunt, tamen non cõprehenderũt men te vt crederent in eum & ſaluarentur. *Fuit homo miſſus à Deo* quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Deus & homo eſt. Miſſus eſt ante illum magnus homo, id eſt, Ioannes, per cuius teſtimonium inueniretur plus quàm homo i. verus Deus. Miſſus eſt. A quo? A Deo patre & filio & ſpirituſancto. *Cui nomen erat Ioannes.* Ioãnes interpretatur gratia Dei. Et rectè interpretatur gratia Dei, quia gratiã Dei. i. Chriſtum, nũciare venerat. Gratia Dei dicitur Chriſtus, quia non noſtris meritis præcedentibus, ſed miſericordiã Dei patris ad ſalutem noſtram datus eſt nobis. Quòd Chriſtus appellatur gratia Dei, Paul. Apoſto manifeſtat in Epiſtola ad Hebr. quum dicit. Vt gratia Dei, id eſt Chriſtus pro omnibus guſtaret mortẽ. *Heb. 2.* Sicut B. Ioãnes appellatur angelus, quia aduentum filij Dei nunciauit, ſic dicitur gratia Dei, quia Chriſtum nunciare venit. *Hic venit.* Qualiter venit? Naſcendo, prædicando, baptizando. Quare venit? *Vt teſtimonium perhiberet de lumine,* id eſt, de Chriſto. Quando teſtimonium perhibuit de Chriſto? Quando vidit eũ ve- *Mala. 3.*

nientem ad baptiſmum ſuũ, & dixit: Ec-
ce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũ
di. Et in ſequentibus: Et ego vidi & teſti
moniũ perhibui, quia hic eſt filius Dei.
Vt omnes crederent per illum. Non ait, vt
omnes crederent in illum. Quia maledi-
ctus homo qui cõfidit in homine, et po
nit carnem brachiũ ſuum, & à Deo rece
dit cor eius. Sed dicit: Vt omnes crederẽt
per illum. i. per illius teſtimonium crede
rent omnes in filiũ Dei vnigenitũ. *Non
erat ille lux.* Quid ergò erat? Lucerna erat
Domino alibi teſtante. Erat ille lucerna
ardens & lucens, lucens verbo & opere,
ardens fide & dilectione. Lucerna enim
ad tẽpus accẽdi poteſt, & ad tẽpus extin
Ioan.5. gui, Ita fuit B. Ioannes ad tẽpus accen-
ſus, qa gratia Dei & ſpiritu ſancto eſt re
pletus in vtero matris ſuę. Iuxta ꝙ ange
lus dixit patri eius. Et ſpiritu ſancto re-
Lucæ.1 plebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. Ex-
tinctus eſt, quia mortuus eſt. Et ſicut lu-
cerna non poteſt habere à ſe lumen niſi
extrinſecus accipiat, ſic B. Ioannes nihil
boni habere poterat, niſi à Deo percepiſ
Matt.5 ſet. Tales fuerũt & Apoſtoli quibus Do-
minus dixit: Vos eſtis lux mundi. Sicut
enim lumina oculorũ noſtrorum in va-
nũ patẽt, niſi aut ſol in die exeat, aut lu-
cerna aut cãdela accẽdantur. Sic Petrus
& Ioãnes, & cæt. niſi à vera luce, quæ eſt
Chriſtus illuminarentur, fruſtra dicerẽ

tur eſſe lux. *Erat lux vera*.i. Chriſtus ad ad cõparationẽ cur tẽporalis lucis quæ manè oritur & veſperè decidit. Dicitur Chriſtus lux vera, quia nec initio incipitur, nec fine terminatur, ſed ſemper permanet in ſua diuinitate. *Quæ lux*, id eſt, Chriſtus, *illuminat omnem hominem* aut per naturale ingenium, aut per ſtudium & lectionem. Sicut enim nemo à ſeipſo eſſe poteſt, niſi à Deo creatus: Sic nemo à ſeipſo ſapiens eſſe poteſt, niſi ab eo illuminetur, de quo dicitur: Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum eo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Quum dicit omnem hominem, generalitatem poſuit pro ſpecialitate. Qui illuminat omnem hominem, ſubditur qui illuminari meretur. Talis loquutio eſt Pauli Apo. vbi dicit: Qui omnes homines vult ſaluos fieri, i. qui ſaluãtur. Et apparuit gratia ſaluatoris noſtri omnibus hominibus. Quibus apparuit? Subauditur qui crediderũt. *Venientẽ in hũc mũdũ*. i. naſcẽtẽ. *In mũdo erat*. Quando filius Dei accepit carnẽ & animã in vnitate ſuę perſonę. In mũdo erat per diuinitatis plenitudinẽ. Fuerũt hæretici qui dixerãt Dñm non fuiſſe antèquàm ex Maria virgine naſceretur. Hoc redarguit Euange. quũ dicit. In mundo erat. Habes de immenſitate patris exemplum, dicẽte eo per Prophetam. Cœlum & terrã ego impleo. De immen-

Chriſtꝰ vera lux dicatur.

Eccle. 1.

1. Ti. 2.

Hier. 23.
Sapi. 8.

menſitate filij Sapientia attingit à fine vſq; ad finem fortiter i. ab Oriente vſque ad Occidentem, ab Aquilone vſque ad meridiem, à ſummo cœlo vſque ad profundum abyſsi. De immenſitate Spiritus ſancti, ſpiritus Domini repleuit orbem terrarum. Sicut enim Deus pater omnia implet, ſic & filius, quia ipſe dixit: Ego & pater vnum ſumus. Nec localiter venit idem filius ad Mariam, ſed in eo loco vbi erat ibi accepit carnem & animã *In mundo erat* per diuinitatis plenitudinem & non per extenſionem. *Et mundus per ipſum factus eſt.* Mundus hîc appellatur vniuerſitas, quæ cõſtat ex cœlo & terra. Mũdus per ipſum factus eſt: Cœlum & omne quod in eo eſt, terra & omne quod in ea eſt, mare & omne q̃d in eo eſt, flumina, & omne quod in eis eſt. Hoc eſt q; ſuperius dixit: Omnia per ipſum facta ſunt. *Et mundus eum non cognouit* Nũquid cœli nõ cognouerũt qui in eius natiuitate nouã ſtellã ꝓtulerũt, Nunquid non angeli non cognouerũt. qui acceſſerunt & miniſtrabant ei? Nunquid terra non cognouit, quæ eo moriẽte contremuit? Nunquid infernus non cognouit, qui hos quos tenebat vinctos reddidit? Nunquid mare non cognouit, quod eius pedibus ſe calcabile prębuit? Nunquid ſol non cognouit, qui in eius paſsione obtenebratus eſt? Nunquid pe-

Iſa. 10.

Mat. 4

tr*æ*

træ non cognouerunt, quę in eius morte ſciſſæ ſunt? Omnia iſta cognouerunt auctorem ſuum. Sed mundus hic nō ponitur pro his elementis quæ modò diximus. i. pro cœlo & terra, ſed pro amatoribus mūdi. Sicut enim electi appellātur cœli, iuxta quod Pſal. dicit: Cœli enarrant gloriam. Similiter & reprobi appellantur mundus, hoc eſt, appellātur qđ & ipſum eſt in quo habitant. Et mundus eum non cognouit. i. Iudæi, Normani, qui plus diligunt mundum quàm Deū. Mundi amatores nō crediderunt in eū. *In propria venit.* Dupliciter poſſumus intelligere hoc. In propria venit. i. in mūdum quem fecit per diuinitatem, venire dignatus eſt per humanitatem. Venire nãq; & abire humanitatis eſt: manere verò & eſſe diuinitatis eſt, quia ſecundum diuinitatem non tranſit Deus in locum. *Et ſui eum non receperunt.* i. homines quos ipſe creauit non receperunt eum per fidem. Deberent illum recipere vt Dominum & patrem, ſed non fecerunt. Vndè etiam conqueritur per Prophetam: Si ego Dominus, vbi timor meus? Et ſi ego pater, vbi amor meus? Vel aliter. *In propria venit.* i. in populo Iudæorum incarnatus eſt quem ſibi elegit in plebem peculiarem, & cui dedit regnum & ſacerdotium, cui etiam ſe promiſit venturū. Ex illis elegit matrem virginem ex qua *Mala. 1*

naſ-

Lucæ. naſceretur, & Apoſtolos, *& ſui* i. propin-
10. qui Iudæi, *non receperunt eum*. i. non cre-
Ioan. 9 diderunt in eum. De reprobis dicitur.
Sed potius tradiderunt eum Pontio Pi-
Ioã. 19. lato, & reſpuerunt eum, dicentes: Nolu-
mus hunc regnare ſuper nos. Et hũc ne-
ſcimus vnde ſit. Et non habemus regem
niſi Cæſarẽ: Poterat quis dicere: Si ne-
mo recepit eum per fidem, ergo ſuper-
fluus fuit eius aduentus? Nõ. Multi ſpre-
uerunt eum, & multi receperunt eũ. De
illis qui receperunt eum, ſicut ſancti A-
poſtoli & cęteri credentes, dicit Euange.
Quotquot autem. i. quanticunq; *crediderũt
in eum, dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri*, vt
ſicut filius Dei eſt ipſe per naturã, ita &
illi eſſent filij Dei per gratiam baptiſma-
tis & per adoptionem. i. per electionem.
His qui credunt in nomine eius, his dedit
hanc poteſtatem, vt filij Dei appellẽtur,
qui credũt eum vnigenitũ à patre. Qui-
dam hæretici æſtimant Ioannem & Ia-
cobum angelos fuiſſe natura. Ioannem
propter hoc quod dicitur: Ecce mitto
angelum meum ante faciem tuã. Pater
hoc dicit ad filium ſuum per Mala. Pro-
phetã. Sed ad reprobandam hæreſim il-
lorum dixit Euãgeliſta. Fuit homo miſ-
ſus à Deo. Homo. ſ. ex maſculo & fœmi-
na procreatus, ſicut nos ſumus. *Qui non
ex ſanguinibus, neque ex volũtate carnis, neq;
ex volũtate viri, ſed ex Deo nati ſunt*. Duas
na-

natiuitates habemus, vnam carnalē, alteram ſpiritualem. Prima natiuitas efficit nos filios perditionis.i. filios diaboli. Secunda, qua naſcimur ex aqua & ſpiritu ſancto efficit nos filios recōciliationis & filios Dei. De prima natiuitate dicitur. Quòd natum eſt ex carne, caro eſt. De ſecunda. Quòd natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. De hac loquitur Euāgel. hîc. Qui non ex ſanguinibus.i ex ſemine viri & fœminæ, quia ſemē viri & fœminę conuertitur in ſanguinē, & inde procreatur homo. Neque ex voluntate carnis. Carnē hîc poſuit pro vxore, vt eſt illud in Gen. Quū Eua adducta eſſet ad Adā, dixit: Hoc nūc os ex oſsibus meis & caro.i. vxor de carne mea. Neque ex volūtate, id eſt, delectatione mariti & coitus, ſed ex Deo nati ſunt. Ex Deo naſcitur, quia ex aqua & ſpiritu ſancto regeneratur in baptiſmate. Quod dicit: Ex ſanguinibus, nō eſt latinum, quia ars grammatica docet vt ſanguis ſemper ſingulariter efferatur: ſed Græcos ſequutus eſt ille interpres, qui Euangelium tranſtulit de Gręco in latinum Sicut apud Gręcos inuenit, ita apud Latinos poſuit. Voluit autem Dominus loqui, ſed non Grammaticos, vt veritatem explicaret ſecundum infirmos auditores. *Et verbum caro factū eſt*, poterat aliquis dicere B. Ioā. O Ioānes prædicator veritatis, quō poteſt hoc

Gen. 2.

hoc fieri, vt homines efficiātur filij Dei? Et ad hoc ſubiungit ille. Et verbum caro factum eſt. Et eſt ſenſus, Si filius Dei filius hominis factus eſt, quid mirum ſi filij hominum efficiuntur filij Dei per fidem & dilectionem? Et verbum .i. filius, de quo ſuperius dixit. In principio erat verbum, factum eſt caro, non mutando naturam. Neq; enim diuinitas per quam facta ſunt omnia, mutata eſt in humanitatem, neq; humanitas in diuinitatem. Gloria eſt humanitati aucta, non natura mutata. Et quare dicit: Verbum caro factum eſt, & non facta eſt? Quia conſuetudo eſt ſacræ ſcripturæ vt aliquãdo carnem, aliquando animam pro toto homine ponat. Anima ponitur pro toto homine, vt illud in Geneſ. libr. Deſcendit

Ge. 46 Iacob in AEgyptum in animabus. 70. Non quód in ſolis animabus ibi deſcendiſſet, ſed ſubauditur in carne & anima Et in actis Apoſtolorũ, Luca dicẽte:

Act. 27 Eramus omnes ducentę animę. 76. Ecõtrà, carnẽ ponit pro toto homine, vt ibi: Et videbit omnis caro, id eſt, omnis homo ſalutare Dei Et hic ſynecdochicè, pars pro toto ponitur. Verbum caro factum eſt. Quod nihil aliud eſt, niſi Deus homo factus eſt, aſſumendo carnem & animã in vtero virginali in vnitate perſonæ, vt eſſent duæ naturæ Dei, & hominis, & vna perſona. Sicut enim vnuſquiſque

que noſtrum, cõſtans ex carne & anima vnus appellatur homo, ita diuinitas, caro, & anima filij Dei vna dicitur perſona in duabus exiſtens naturis. *Et habitauit in nobis*. i. conuerſatus eſt nobiſcum in terris. Natus eſt inter homines, creuit per interualla temporis, inter homines prædicauit, miracula fecit & paſſus eſt, & reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœlum vidẽtibus hominibus. Et hoc eſt quod Propheta dicit de eo: Et vocabitur Emanuel. i nobiſcum Deus. *Et vidimus gloriam eius* B. Ioann. qui hoc dixit, Dominum Ieſum Chriſtum transfiguratum vidit in monte cum Petro & Iacobo fratre ſuo, ipſe vidit eum poſt reſurrectionem, & vidit eum ante paſsionem miracula patrare, cæcos illuminare, leproſos mundare, mortuos ſuſcitare. Audiuit etiam eum verba cœleſtia depromere, & ideo coniungens ſe cũ alijs diſcipulis dicit: Vidimus gloriam eius quæ fuit in verbis & in operibus. *Gloriã quaſi vnigeniti à patre*. Quaſi non ponitur hic pro ſimilitudine, ſed pro veritate. Ac ſi diceret Euange. Talem gloriam vidimus eum habere, qualis nullum decet alium, niſi eundem vnigenitum à patre ſine tempore, & vnigenitum à matre ex tempore. *Plenum gratiæ & veritatis*, Gratiam poſſumus referre ad humanitatem, veritatem ad diuinitatẽ illius. Ple-

Eſai.7.

Mar.17

nus

nus gratiæ fuit ille homo aſſumptus à
verbo Dei, quia tanta gratia collata eſt
ei, vt ex quo concipi & formari cœpit in
vtero ex miniſterio ſpiritus ſancti, per-
fectus eſſet Deus, ſicut perfectus homo.
Plenus eſt etiam Dominus Ieſus Chri-
ſtus veritate .i. diuinitate, quia vt ait B.
Coloſ. 1 Paulus: In ipſo habitat omnis plenitu-
do diuinitatis corporaliter. Et quia ita
eſt, gratias agamus illi, quia cum eſſet v-
nigenitus filius Dei, noluit manere ſo-
lus, ſed deſcendens ad terras per incar-
nationem dedit nobis Deum patrem, &
accepit à nobis hominem matrem, & ele-
git fratres adoptiuos, cum quibus poſſi-
deret regnum patris. *Vidimus gloriã eius.*
Gloria dicitur quicquid mirabile geri-
tur à Deo, ſiue in cœlo ſiue in terra. Ver-
bi gratia. Vides ſolẽ, gloria Dei eſt, quia
Deus laudatur per hoc quod tale opus
fecit. Gloria filij fuit i. laus, mortuos re-
ſuſcitare, leproſos mundare. Illam glo-
riam vidit B. Ioannes cum cæteris, quã
nullus potuit videre antè incarnationẽ
filij Dei. Poſt incarnationem illius me-
ruerunt videre ſancti Apoſtoli cernen-
tes humanitatem filij Dei, miraculis co-
ruſcantem, intelligẽtes diuinitatem in-
tus latitantem audientes etiam cœleſtia
verba promentem. Ipſi deniq; viderunt
eam poſt reſurrectionẽ in gloria ac clari-
tate, & acceperunt ab eo ſpiritum ſanctũ

&

& propria virtute viderunt eum aſcendiſſe in cœlum. Hęc fuit gloria Dei, quia inde laudabilis extitit & extat ſemper, de quo dicit Euange. Et vidimus gloriã eius, ego & cæteri Apoſtoli. Maximè autem B. Ioannes cum Iacobo fratre ſuo & Petro, qui viderunt Ieſum transfiguratum, potuerunt dicere. Vidimus gloriã eius. Nos qui glorificatum vidimus, ſi conſideremus humanitatem illius, plenus eſt homo, ſi diuinitatem plenus eſt Deus. *Mat.17*

In feſto S. Stephani prothomart.

Homilia ſuper eo quod ſcriptum eſt, Matthæi viceſimo tertio.

Ecce ego mitto ad vos Prophetas & ſapiẽtes ſcribas, &c. Verba huius lectionis tã beato Stephano prothomartyri ſpecialiter cõgruũt, quã cũctis generatim atq; martyribus poſſunt aptari. Hæret ſanè præſens lectio ſuperiori narrationi, in qua Dominus noſter legitur principes Iudæorum Scribas ſcilicet & Phariſæos de ſuis peccatis multimodè increpaſſe, denuncians eis: Væ, hoc eſt, ſempiternum interitũ, niſi emẽdatio eorum delictis ſuccurreret. Poſt multa igitur quæ eiſdem principibus pręmiſerat, inter reliqua hoc ſubiungit, quod caput illius lectionis paulò antè præ- *Matth. 23.*

præcedit. Et vos inquiens, implete menſuram patrum veſtrorum. i. quod illi minus fecerunt vos implete. Illi ſeruos occiderunt, vos interficite Dominum. Illi Prophetas, vos illum qui prædictus eſt per Prophetas Quod non præcipiendo dixiſſe intelligitur, ſed potius prænunciando rem futurã, quæ iam ipſius præſcientia certiſsimè tenebatur. Quaſi verò aliquis eorũ quibus loquebatur hęc, ad ſuprà dicta poſſet obiicere, quomodo Deus præciperet eos implere menſuram patrum ſuorum, cùm tunc tẽporis Prophetæ deeſſent, quos interficere potuiſſent, ſubiunxit (inquiens.) *Ecce ego mitto ad vos Prophetas et ſapiẽtes et ſcribas.* Quidam doctores ita intelligunt, vt aliud Prophetæ, aliud ſapientes, aliud ſcribæ ſignificent. Prophetas ſiquidẽ poſt Do-
Act.11. mini aſcenſionem inter Apoſt. ſpecialiter nouimus extitiſſe, qualis fuit Agabus, qui per Spiritum ſanctum nũciauit
Act.12. futuram famem, Paulumq́ Hieroſolymis eius cingulo vinculatur vaticinabatur eſſe catenandum. Quales etiam extiterunt quatuor filiæ Philippi, qui fuit vnus ex ſeptem diaconibus, quæ prophetantes fuiſſe referuntur. Sapientes quoq; inter Apoſt. plures extitiſſe non dubium eſt, quos comnumerare ſuperſedimus ſiue diſtulimus. Scribæ quoq; eis non defuere, vt pote Nicodemus, Gamalie-

liel, & ipſe Paulus, qui ad pedes illius, ſacris literis eſt inſtructus. Verum fides ſanior eoſdem Prophetas quos ſapientes & ſcribas intelligit Apoſt. videlicet, ſucceſſoresq; eorum, qui Prophetæ fuerunt, quia futura premia electorũ ac ſupplicia reproborũ præſago animo & prouiderunt & prædixerunt, quãuis etiã de multis rebus futuris tẽporaliter quoq; eos prophetaſſe legimus. Iidẽ deniq; ſapientes fuerunt, quia tempus oportunũ ſciebant, quando verbum prædicationis ſuis auditoribus proferre debebant. Ijdem etiam ſcribæ extiterunt, quia legẽ Domini ſpecialiter in cordibus ſuis ſcriptam continuerunt, de qualibus alibi Dominus dicit. Omnis ſcriba doctus in regno, &c. De his ergò poſt aſcenſionem Domini plurimi ad Iudæos miſsi ſunt prædicare, è quibus occiderunt Iacobum: Petrum crucifixerũt: Stephanũ lapidauerunt, cuius hodie natalitia celebramus. Alterum quoq; Iacobum ſimili interitu peremerunt, ac cunctos Apoſtolos, vt in actis eorũ legitur, flagellis cæciderunt & perſecuti ſunt eos, donec relictis illis ad gentes tranſmigrarent, iuxta quod Apoſtol. ait: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quia repuliſtis illud, ecce conuertimur ad gentes. Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ſuper ter-

Act.12.
Act.7.

I.Para. *74.* tã à ſanguine Abel iuſti, vſq; ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ quem occidiſtis inter templum & altare. Quæritur à doctorib⁹: Cur omnis ſanguis ſanctorum ab Abel vſque ad Zach. ſuper vnam gentem Iudæorum venire dicatur, cùm illa generatio cui Dominus hoc loquebatur, neutrum eorum occidere potuerit. Et certè multos tã in veteri teſtamẽto quã in nouo martyres extitiſſe legimus, qui à Gentilibus & non Iudæis ſunt interempti. Ad quod dicendũ eſt, quia mos eſt ſacri eloquij, vt totã huius mundi vniuerſitatem in duas generationes partiatur, quarũ vnã dicit eſſe bonorum, alterã malorum. De bonorũ generatione ſcriptum habemus. Generatio
Pſa. 111 rectorum benedicetur. Et hæc eſt genera-
Iohel. 1 tio quærentiũ Dñm. Et qui nõ ex ſangui-
Matt. 3 nibus, ſed ex Deo nati ſunt. At cõtra de
Lucæ. 3 malorum generatione ſcriptum eſt. Ge-
Pſa. 77 nimina viperarum. Et generatio praua
Deu. 23 atque peruerſa, hæccine reddis Dño populæ ſtulte & inſipiens? Et gens abſque conſilio eſt & ſine prudẽtia, vtinã ſaperẽt & intelligerent ac nouiſsima prouiderent. Et væ gẽti peccatrici. Multaq; his
Eſai. 1. ſimilia. Duas generationes B. Augu. ſub nomine duarũ deſcribit ciuitatũ: quarũ vna quæ appellatur Hieruſalẽ incipit ab Abel vſque ad vltimum electum in fine mundi naſciturum, & habet regẽ Chriſtum,

ſtũ. Altera quæ Babylõ dicitur, inchoãs
à Cain trãſit vſque ad nouiſsimũ repro
bũ, habétque regẽ diabolũ. Omnes ergò
qui in malitia ſunt vniti, in illa genera-
tione reproborũ numerãtur. Ecõtrà, o-
mnes qui ſe in bonitate æquiparant, in
vna eadẽ ſimiliter electorũ generatione
cõputantur. Ecce ergò ꝙ omnis ſanguis
iuſtus, id eſt, vindicta ſanguinis iuſti, re
quirenda ſit ab hac generatione omniũ
reproborum: inter quos etiã illi numerã
tur quibus hęc verba Dñs loquebatur.
Verũ & id quærendũ eſt, quis fuerit ille
Zacharias filius Barachię, quẽ Dñs hîc
cõmemorat. Plures nãque legimus hoc
nomine vocitatos, vt illũ qui eſt penè vl
timus in ordine duodecim Prophetarũ,
& filius dicitur Barachiæ. Verùm quo-
modo inter templum & altare occiſus
ſit non apparet, præſertim cùm id tẽpo-
ris vix ruinę ipſius tẽpli ſubſtiterint, cũ
nuper à Chaldæis penè fuit cõplanatũ.
Alij hunc Zachariã patrem Ioãnis intel 4. Reg.
ligunt, aiúntque illum à Iudęis inter tẽ- 11.
plum & altare occiſum, eò ꝙ Dñi nati- 1. Para.
uitatẽ auſus fuerit prædicare. Cuius rei 24.
aſſertio firma nõ habetur. Plerique qui ſa
nius ſentiunt, hunc Zach. illũ eſſe autu-
mãt qui à Ioas rege Iudę in libr. Reg. &
Paral. interfectus narratur. Cui & ſi lo-
cus conſentit occiſionis, tamẽ quærẽn-
dũ eſt cur Barachiæ & nõ potiùs Ioiadę

filius dicatur, quem patrem habuiſſe in præfatis lib. legitur. Scriptũ nanque eſt: Non fuit recordatus Ioas patris Ioadæ quę ſibi feciſſet bona, ſed interfecit filiũ eius, nulla cauſa iuſta exiſtente. Ad hoc tamẽ dicere poſſumus, vel ꝙ Binomius fuerit, vt multos ſanctorum in veteri ac nouo teſtamento binis nominibus appellatos inuenimus. Vel certè ꝙ Ioiada interpretatur iuſtitia Dei, & Barachias benedictio Domini. Nihil obſtat, vt is qui iuſtitiam Domini perfectè cuſtodiebat, benedictus etiam Domini appelletur. Quod ſiue alio modo ſit intelligendum, id tamen mouet, cur à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ dicat ſanguinem omnium iuſtorum à praua generatione requirendum. De Abel enim quęſtio nulla eſt quod ille martyr prius effectus fuerit. De Zacharia verò valde quærendum eſt, poſt quẽ multi martyres in populo Iudæorum extitiſſe legũtur, quales fuerunt Mach. quales & ipſi pueri qui in ipſo primordio natiuitatis Domini pro eodem ſunt iugulati. Sed hæc quæſtio ſoluitur, ꝙ per duos homines, duo martyrum ordines deſignentur. Per Abel quidem qui paſtor fuit & in campo fuit occiſus, deſignantur hi qui de laicali habitu ad martyrium rapi meruerunt. Per Zach. verò qui ſacerdos, extitit, & in tẽplo lapidatus,

tus eſt, intelliguntur qui ſacerdotali vel clericali dignitate ad martyrij gloriam in vtroq; ſexu, vel in vtroq; populo proueċti ſunt. Et quare hi duo tantum ponuntur nimirum propter piaculi æqualitatē, vterq; nāq; ſimili iniuſtitia interemptus eſt. Ille à fratre inuido, iſte à rege ingrato. Quęri tamen poteſt cur tam ipſe Dñs in Euange, quàm Apoſt. in Epiſtolis ſuis Abel ſpeciali iuſtitię titulo exorneat, vbiq; illum iuſtum appellantes. Ad quod dicendum ꝙ tātus martyr qui Dei filium in tribus ſpecialibus & præcipuis virtutibus præfiguraret, cōueniēter tanto myſterio decoretur, fuit enim ſacerdos, virgo & martyr. In quo eius typum geſsit, qui eſt flos virginitatis, qui eſt ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec, qui martyr pro nobis fieri, fuſo in cruce ſanguine, dignatus eſt. Quòd verò dicit de Zachar. quem occidiſtis inter templum & altare, conſiderandum eſt quod altare hic accipere debeamus. Duo ſiquidem altaria erant in templo Domini. Vnum holocauſtorum exterius quod erat æneū, alterum interius incenſi, quod erat totum aureum. Magis autem hoc ita accipere debemus, vt intelligamus Zachariam inter templū interius & altare holocauſtorū exterius fuiſſe occiſum. Vel ſi figurate accipere volumus, per tēplū

populus, per altare ſacerdotes deſignatur. Inter conſenſum ergò populi & ſacerdotum, quaſi inter templum & altare Zacharias interfectus eſt. Ipſi eñ in hoc probantur morti illius cõſenſiſſe, quòd regẽ ab hac temeritate nõ prohibuerũt.

Mic. 4.

Amen dico vobis, veniẽt hæc omnia ſuper generationem iſtam. i. ſuper generationẽ peſſimam, omnium reproborum. *Hieruſalẽ, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te miſſi ſunt*. Prædicens Dominus ſuperuenturã captiuitatẽ & euerſionem impiæ ciuitati propter interfectionem Chriſti, & Prophetarum, vicinum eius interitum plangens deplorat affectu dicens Hieruſalem, Hieruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt. Non autem ædificia ciuitatis planxiſſe credendum eſt, ſed vt per id quod continet, id quod cõtinetur intelligamus, populi ruinam condoluit, quã è proximo à Romanis principibus erat paſſurus. Quæ occidis Prophetas (inquit) Multos Prophetarum à Iudæis diuerſis mortibus legimus interemptos. Secuerunt Eſa. ſerra lignea viuũ: vel quia eos principes Sodomorum, & populum Gomorræ vocauerat, vel quoniam Deũ Sabaoth ſuper ſolium excelſum & eleuatũ ſe vidiſſe dixerat Amos quoq; Prophetam aduentum Domini prædicantem, & populum pro ſuis ſceleribus increpantem.

tem trãſmiſſo ferreo vecte per tempora 3.Re.21
necauerunt. Michæam nihilominus im-
pij fugientẽ ipſum in AEgyptum perſe-
cuti ſunt, ibique eum occiderunt. Lapi-
dauerunt in AEgypto Hiere. & Ezech. in
Babylone. Nabaoth quoque & reliquos,
quos longum eſt memorare, quorũ inte-
ritum Pſal præuidẽs, dicebat in ſpiritu. Pſa.78
Effuderunt ſanguinem ſanctorum tuo-
rum, tanquã in circuitu Hieruſalẽ, & nõ
erat qui ſæpeliret. *Quotiens volui congre-
gare filios tuos, quemadmodum gallina con-
gregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Quo-
tiens hîc pro ſæpe, id eſt, frequenter accĩ-
pitur. Mirum ſanè eſt ꝙ Dominus dicit,
Volui congregare filios tuos & noluiſti,
cùm vtique de illo ſcriptum ſit: Omnia
quæcunque voluit, fecit. Hoc ideo dictũ
eſt, quia vnicuique hominum liberũ ar-
bitrium à Deo tribuitur. Ac ſi diceret:
volui ex mea parte, ſed noluiſti ex tua,
ſed licet Iudæa filios ſuos à Chriſto col-
ligi noluerit, Dominus etiã ipſa nolẽte,
quoſcunq; voluit ex ea collegit, quia in
cœlo & in terra, nõ quædã voluit & fe-
cit, quædã voluit & nõ fecit: ſed omnia
quæ voluit, fecit, ꝙ autem Iudæi filios
ſuos à Chriſto colligi noluerint, pluri-
ma Euãgelij loca teſtãtur: è quibus vnũ Ioã.12.
eſt, quod Iudæi inuidentes Domino di-
cebãt: Ecce mũdus totus poſt eũ vadit, &
ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in
 eum,

Ioan. 9 eum. Propter quod etiam ſtatuerunt, vt quicũque eũ Chriſtũ eſſe diceret, extra ſynagogam pelleretur. *Quemadmodũ gallina congregat pullos ſuos ſub alas.* Notanda ſanè cõparatio, ꝙ Dominus ſeipſum in hoc loco gallinæ comparare dignatur. Quod genus volucris vltra omnia volatilia in filios ſuos magnũ dilectionis impẽdit affectũ, adeò vt pro illis infirmetur, ſuamq́ ægritudinẽ raucitate vocis exprimat. Solent etiã gallinæ pro pullis ſuis contra miluũ ex ęquo pugnare. Quod vt ad myſteriũ inflectam⁹, gallina eſt mater noſtra Dei ſapiẽtia quę eſt Chriſtus, qui tãto affectu erga nos quos creauerat, ductus eſt, vt pro nobis infirmaretur, nõ ſolũ corpus mortale accipiendo ſed etiã moriẽdo, quæ etiã mater noſtra quotidie aliis. i protectionib⁹ ſuis nos fouẽs, cõtra diabolũ pro nobis pugnat, qui deſignatur per miluũ, ne nos in ęternũ interitũ rapiat. Cui in Pſa. cantam⁹. Cuſtodi me vt pupillã oculi, ſub
Pſa. 16. vmbra alarũ tuarũ protege me. Pulchrè
Mat. 13 quoq; ſe hic gallinæ comparat, qui Herodem alibi vulpem appellat, dicẽs: Ite, dicite vulpi illi i Herodi. Quemadmodum vulpes pullis inſidiatur, ita Herodes Dño Ieſu Chriſto iuges prætende-
Luc. 23 bat inſidias, vt eũ morti traderet. Vnde & in paſsione illius ſpreuit eũ, veſteq; alba indutũ remiſit ad Pilatũ. Et facti ſunt in

in ipſa die amici qui antè diſcordabât.
Sub alas ſuas Si autem gallina Dñm Ieſum Chriſtum intelligimus; quid alas illius gallinæ eſſe dicemus? Nihil cõgruẽtiùs quã aut Moſen aut Aaron per quos Iudaicus populus de Ægypto eſt eductus. Aut certè Eſd. & Neemiam quibus *Eſd.1.* præſidentibus captiuitatem Babyloniæ euadere meruerunt. Sub talibus alis omnipotens Deus Hieroſolymitarum & Iſraëlitarũ populum congregare & protegere materno affectu voluit. ſed illi ſalutis ſuæ ſemper immemores fuerũt, vt non ſolum Prophetas, ſed etiam ipſum filium Dei nequiſsimè traderent interfectioni. Vndè beatus Stephanus eoſdem ita alloquens increpabat: Dura ceruice *Act.7.* & incircuncifi corde & auribus, vos ſemper ſpirituiſctõ reſtitiſtis. Et paulòpóſt quem Prophetarum non perſecuti ſunt patres veſtri? Et occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iuſti. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Domum Iudæorum vel Hieruſalem vel tẽplum in ea conſtructum debemus accipere, quæ domus primum à Deo quidẽ, qui eam cuſtodiebat, derelicta eſt. Vnde & in templo voces angelorum auditæ leguntur dicentium: Tranſeamus ab his ſedibus. Deinde verò propter peccatum dñicæ paſsionis vaſtãtibus Romanis à proprijs habitatoribus eſt deſerta, & ita

deſtructa vt non relinqueretur lapis ſu-
per lapidē. Factū eſt igitur Dei iudicio,
vt qui alis huius gallinę protegi deſpe-
xerūt, à regibus gentiū, tanquā à vulpi-
bus deuorarētur, & eorū dómus tanquā
nidus vacuus diriperetur. Quā miſeriā
Propheta Hier. lōgè antè præuidens de-
flebat, dicens: Propterea mœſtū factum
eſt cor noſtrū in dolore, ideo obtenebra-
ti ſunt oculi noſtri propter mōtē Sion,
quia diſperijt, vulpes ambulauerunt in
eo. i. reges gentiū. Itē&q; alibi Dñs per eū-
dem Prophetā loquitur dicens: Reliqui
domū meā, dimiſi hæreditatē meā, facta
eſt hæreditas mea quaſi ſpelunca Hienę:
quæ eſt beſtia humanis carnibus veſcēs,
& effodiens ea de ſepulchris. *Dico enim vobis non me videbitis amodo donec dica-
tis: Benedictus qui venit in nomine Domini.*
Hæc verba ſi ad literā accipiantur, maxi-
mā difficultatem habēt. Legimus poſt-
quàm Dominus hoc dixit Iudæis, ſæpe
illum ab eis viſum, nunquam tamen po-
ſteà in laudē illius ab eodem populo le-
gimus decātatum: Benedictus qui venit
in nomine Domini. Et certè illud quod
in Euangelio leguntur turbæ clamaſſe:
Oſanna filio Dauid, benedictus qui ve-
nit in nomine Domini, ita factum erat,
quando hoc prædicebat. Proinde ſpiri-
tualiter hęc verba Domini intelligenda
atque exponenda ſunt. *amodo*, inquam,
id

id eſt, ab hoc tempore meæ paſsionis, *nõ me videbitis*, hoc eſt, deitatem meam non intelligetis, *donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hoc autem non ante finem mundi, ſed circa ipſum terminum mundi adimplebitur, ſcilicet quando Iudęi ad vitam æternam prędeſtinati, prædicante Helia & Enoch, cæteriſq; doctoribus gẽtium relicta paterna perfidia fidem Chriſti recepturi ſunt, iuxta quod egregius prædicator dicit: Cùm plenitudo gentium introierit, tunc omnis Iſraël ſaluus fiet. Tunc itaque, id eſt, cùm in Chriſtum crediderint, fatebuntur illum benedictum, in nomine patris veniſſe. Fatebuntur autem hoc corde, ore & opere. Nam in cogitationibus ſuis & ſermonibus atque operibus Dominum Ieſum Chriſtũ declarabunt, qui in nomine Domini, hoc eſt, vice Domini patris genus humanũ venit ſaluare. Habent igitur Iudęi tẽpus pœnitentiæ ſibĩ cõceſſum, & ſi in Chriſtum credere voluerint, videbunt illũ, hoc eſt intelligent maieſtatem illius quomodo ſcilicet pater manet in filio, filius in patre, & Spiritus ſanctus procedit ab vtroque. Et *Ioã. 14.*
quomodo in his tribus perſonis vna eſt ſubſtantia, vnáq; deitas, vna poteſtas. Et quomodo de Maria virgine natus, paſſus, crucifixus fuerit & ſepultus, & tertia die reſurrexit à mortuis, atque

in cœlũ aſcendens ad iudicandũ genus humanum quando venturus ſit.

In feſto diui Ioannis Euangeliſtæ.

Homilia ſuper eo verbo, Ioannis. XI.

D*Ixit Ieſus Petro ſequere me*. Poſtquã Dominus celebrauit vltimũ cõuiuium cũ ſeptem diſcipulis ad mare Tyberiadis poſt reſurrectionẽ ſuã, ſignificauit Petro, qua morte clarificaturus eſſet Deum, dicens illi: Cùm eſſes iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. Et ſtatim ſubiunxit. *Sequere me*, Id eſt, imitare me, vt ſicut ego pro tua redemptione pati non timui, ſed potiùs crucem aſcendere curaui pro tua ſalute, ita & tu pro confeſsione nominis mei crucis paſsionem ſubire non formides, quia in tantum glorioſior eris apud me, in quantum mea veſtigia ſecutus fueris. Mortuus ſum pro te, morere pro me. Qualia feci tibi, talia retribue mihi. *Conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulum quẽ diligebat Ieſus*. Ex his verbis Euangeliſtæ datur nobis intelligi, quia vt dixit Ieſus Petro. Sequere me, ſurrexit de lo

eo cõuiuñ & cœpit abire Secutus eſt aũt eum Petrus etiam inceſſu corporis ſecu-tus eſt, & ille diſcipulus quem diligebat Ieſus: Ioannes ſcilicet, qui ſcripſit hoc e-uangelium. Conſuetudo eſt illorum qui ſacras ſcripturas ſcribendo relinquerunt vt quando volunt perſonam ſuam de-monſtrare, ſic de ſe, quaſi de alio loquã-tur. Sicut fecit Moſes qui dixit: Erat au-tem Moſes vir mitiſsimus ſuper omnes hoies qui morabantur in terra. Non di xit ego erã. Et Iob: Vir erat in terra Hus nomine Iob. Non dixit: Ego eram in ter ra Hus. Similiter & B. Ioã. ſic de ſe qua-ſi de alio loquitur, cùm dicit: *Vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus.* Omnes di ſcipulos dilexit dominus quibus dixit: *Iob.1.* Sicut dilexit me pater & ego dilexi vos. *Ioã. 13.* Diligebat autem eum, non exceptis cæ-teris ſingulariter ſolum, ſed præ cæte-ris familiarius vnum. Sed hunc præ cæ-teris dilexit ob meritum caſtitatis, quia virgo electus eſt ab ipſo, virgo in æuum permanſit. Tradunt nanque hiſtoriæ, quod volentem eum nubere vocauerit dominus de nuptiis ad ſe ſequendum, & ideo dignum erat, vt quem ab amore carnali abſtraxerat, ſuo amore dignũ fa ceret. Qui & recubuit in cœna ſupra pe ctus eius. Hoc factũ eſt ante paſsionẽ do *ibidem* mini. Pridie nanque cùm pateretur, cũ cœnaret cum diſcipulis ſuis recubuit ſu

pra pectus eius B. Ioan. Tunc dixit Ieſus: Vnus veſtrum me traditurus eſt. Innuit huic, id eſt, Beato Ioanni Petrus, vt interrogaret dominum, quis eſſet eũ traditurus. Et dixit ille: Domine quis eſt qui tradet te? Reſpondit ei dominus. Cui intinctum panẽ porrexero, ipſe eſt me traditurus: In hoc quod Beatus Ioã. ſupra pectus dominicum requieuit, indiciũ maximè dilectionis fuit, quia præ cæteris à domino diligebatur. Figurabatur etiam quia altiùs erat præ cæteris Euangeliſtis euangelium ſuum ſcripturus. In pectore enim Ieſu ſunt omnes
Coloſ.1. theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi.
Ioan.1. Ex pectore Ieſu hæc hauſit Beatus Ioannes fluenta doctrinæ quæ poſtmodum nobis eructauit, dicens: In principio erat verbum, Cæteri nanq; euangeliſtæ, quaſi cum Deo in terra ambulant, quia pauca de diuinitate eius, tamen plura de humanis actibus ſcripta nobis reliquerunt. Ioannes verò quaſi cum domino ad cœlum volat velut aquila, quia myſterium diuinitatis narrat, *Et dixit: Domine, hic autem quid?* Ac ſi diceret B. Pet. Domine dixiſti mihi, quia per mortem crucis ſequi debeam veſtigia tua, & ego ſcio quia alta ſum facturus, crucifigendus ſum: volo autem vt dicas mihi, iſte meus frater & condiſcipulus Ioãnes, per quam mortem tranſiturus ſit ad patriã

cœleſtem. *Hic autem quid?* id eſt, quid eſt paſſurus, per quod genus mortis tranſibit ab hac vita? Dic mihi. *Reſpondit ei dominus: Sic eum volo manere*. Ac ſi diceret, Nolo eum per occiſionem crucis conſummari ſicut te, nolo eũ gladio feriẽte vitã finire tẽporalẽ, nolo vt lapidetur, nolo vt vſtuletur, neq; vt præcipitetur, ſed tã diu volo illũ manere in præſenti ſeculo ſine morte corporis, donec lõgo ſenio confectus, me vocãte, in pace trãſeat ad vitam perpetuam. Non ideo dixit dominus quaſi B. Ioa. nulla aduerſa huius ſeculi eſſet perpeſſurus pro Chriſti nomine, quia legimus eum, in actis Apoſtolorum flagellatum cum cæteris Apoſtolis, quando ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniã digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Legimus in Eccleſiaſti. hiſtoria de Epheſo Romam eum adductum, & ibi à Domitiano in feruentis olei dolium miſsum. Vndè Chriſti gratia ſe protegente, ita exiuit illæſus à dolore corporis, ſicut fuit alienus à corruptione carnis. Legimus etiam eum à Domitiano principe propter euangeliũ in Patmos inſulã relegatũ, vbi humano deſtitutus auxilio, diuina meruit cõſolatione releuari, vbi ſcripſit Apocalypſim, de ſtatu præſentis eccleſiæ atque futuræ. Legimus etiã eum ibi bibiſſe venenum, quo hauſto nihil

Act. 5.

hil ei nocuit. Hæc omnia legimus eum pertuliſſe: ideo poſsimus ſcire quia non dixit dominus: Sic eum volo manere, quaſi ipſe nihil tribulationis eſſet habiturus, ſed propterea dixit: Sic eum volo manere, id eſt, tam diu volo eum expectare donec in pace eccleſiæ conſtitutus ſuſcipiam eum ad gaudia æterna. *Quid ad te?* pertinet de illo per quam mortem tranſiturus ſit ad vitam? *Tu me ſequere,* per mortem crucis. *Exiuit ergò ſermo iſte inter fratres.* Fratres hic appellantur apoſtoli, qui vnum Deum habebant patrem quibus dominus alibi dicit: Omnes autem vos fratres eſtis. *Exiuit ergò ſermo iſte inter fratres,* id eſt, inter diſcipulos: *quod diſcipulus ille non moritur.* Non rectè intellexerunt apoſtoli verba domini quibus dixit: Sic eum volo manere donec veniam Putauerunt enim quod dominus dixiſſet B. Ioan. non moriturum donec ipſe veniret ad iudicandum genus humanum, & tunc ſine morte corporis aſſumendus eſſet ad patriam cœleſtem, non bene interpretantes verba domini. Sed qualiter eſſent intelligenda, B. Ioan. curauit manifeſtare dicens: *Et non dixit moritur, ſed ſic eum volo manere,* id eſt, nolo eum conſummari per tormenta paſſionis, *donec in pace veniam,* redditurus ei cœleſtia. Legimus in libris patrum, quod cùm eſſet B. Ioan. in ſenectute poſitus,

ſitus, quia quadraginta ſeptem annis vi
xit, poſt aſcenſionem domini, tunc ve-
nit ad eum dominus quinta feria (iam
erant cæteri Apoſtoli cũ eo in cœlis) &
dixit ei dominus: Ioan. tempus eſt, vt e-
puleris ſuper menſam meam cum fratri
bus tuis, tamen expecta vſque ad diem
reſurrectionis meæ, id eſt, dominicum,
& tunc veniens ad me. Quod audiens B.
Ioan. adueniente die dominica, iuſsit ve
nire omnes credentes tam clerum quã
populum de Epheſo in Eccleſiam, quæ
in eius nomine dedicata fuerat, & mo-
nuit eos à pullorum cantu vſque ad ho-
ram tertiam & celebrauit miſſam, & be-
nedixit eis, & tradidit myſteria corpo-
ris & ſanguinis domini. Ad vltimum va
lefaciens eis deſcendit in ſepulchrum ſu
um quod iuſſerat ſibi parari iuxta alta-
re: & facta oratione, immenſa claritas de
cœlo occupauit totum illum locum in
quo erat ſepulchrum per ſpatium hora-
rum duarum. In illa claritate venit fili⁹
Dei, ſicut promiſerat, cum duodecim A-
poſtolis, & traduxit eum ſecum ad cœ-
lum, tam à dolore mortis extraneus fu-
it B. Ioan. quàm fuerat à corruptione
concupiſcentiæ carnalis alienus. Sub-
lato ſplendore apparuit locus ſepulchri
complanatus ſicut cætera terra. Et
eſt incertum vtrum corpore & anima,
an in anima ſola fuerit aſſumptus. Deus
ſcit.

ſcit. *Hic eſt diſcipulus qui teſtimonium perhibet de his*, id eſt, de miraculis Chriſti, & verbis ſuperioribus dictis. Teſtimonium perhibuit B.Ioan.Chriſto per quadraginta ſeptem annos poſt aſcenſioné domini ad cœlos prædicando euangelium, abſque vllo adminiculo ſcriptionis. Teſtimonium perhibuit poſtmodum ſcribendo, teſtimonium perhibuit exponendo auditoribus ſuis. Teſtimonium perhibuit Chriſto vſque ad finem ſeculi, quando euangelium ſuum recitatur in ſancta Eccleſia. Videamus modò quid deſignāt iſti duo diſcipuli. Pet. qui plus dilexit dominum quàm cæteri Apoſtoli, & Ioannes qui plus eſt dilectus à domino quàm cæteri, duas eccleſias ſignant & vitas. Per Petrum qui cum labore paſsionis præſentem vitam finiuit, deſignatur præſens eccleſia, quæ à Chriſto peregrinatur in terris, & adhuc tri-
2.Tim.3 bulationibus atteritur. Quia qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. Deſignatur etiam per Petrum actiua vita. Per Ioannem verò qui ſine dolore paſsionis tranſijt ab hac vita, deſignatur eccleſia futura, quæ regnat iā & regnatura eſt cum Chriſto in æterna quiete. Deſignatur etiam per eum
Actiua contemplatiua vita. Actiua vita eſt in-
vita. digenti eleemoſynam præbere, eſurientem reficere, ſitientem potare, nudum ve-

veſtire, pauperem colligere, infirmum viſitare, mortuum ſepelire, inſcium docere, per preſſuras tribulationum ad cœleſtem patriam tendere. Contemplatiua vita, eſt orationi & lectioni & lachrymis inſiſtere, à ſecularibus immunem ſe reddere: ſicut fecerunt ſancti Apoſtoli, qui omnia reliquerunt pro nomine Chriſti. Et ſicut fecerunt boni Heremitæ, & faciũt modò boni monachi, qui in contemplatione Dei omnipotentis poſiti, habentes victum & veſtitum, his contenti ſunt, & toto niſu corporis ad cœleſtem patriam tendunt. Actiua hic in præſenti ſeculo incipitur, & in futuro finitur. Cõtemplatiua autẽ hic incipitur, & in futuro augetur: & quod hic ex parte ſumitur, illic perfectè capitur, quod hic videtur per ſpeculum & in enigmate, illic videbitur facie ad faciem. Plus dilexit dominus Ioannem quã Petrum, qui diligit plus eos, qui iam in contemplatione illius poſiti ſunt in cœlis, quàm eos qui peregrinantur in terris. *Et ſcripſit hæc*, quæ ſuperiùs ſcripta ſunt. Quærendum eſt quæ cauſa compulit beatum Ioannem ſcribere hoc euangelium cùm ille (vt ſuperius diximus) miſſus fuiſſet in Patmos inſulam, iuſſu Domitiani impiiſſimi Cæſaris. Surrexerunt in Sancta Eccleſia quam ipſe ædificauerat ſua præ-

Vita cõtemplatiua.

Ioannes cur euãgelium ſuũ ſcripſerit.

di-

dicatione Hæretici, Marcion, & Ebion, & Cherintus, & alij Antichriſti, & cœperunt fidem Eccleſiæ maculare ſuis peruerſis doctrinis. Dicebant enim: Si Chriſtus natus eſt temporaliter ex Maria virgine, ergò erat tempus quando non erat. Cùm autem per Dei diſpoſitionē Domitianus mortuus fuiſſet, & Nerua pius rex ſucceſsiſſet in eius locum, iuſsit omnia acta Domitiani maligni Cęſaris irrita haberi. Et inter cætera accepit B. Ioan. de Patmos inſula ad patriam reduci. Cùm autem reductus fuiſſet ad propriam ſedem Epheſum, conuenerūt ad eū Epiſcopi & presbyteri Aſiani & religioſi laici, etiam de longinquis regionibus tranſmiſerunt ſuos legatos ad eū obſecrantes, vt ſcriberet eis aliquid de coæterna Chriſti diuinitate, quam habet cum patre & ſpiritu ſancto quia ſatis habebant de humanitate illius ab alijs euangeliſtis. Iam ſcripſerat Matthęus euangelium ſuum Hebraico ſermone Marcus & Lucas in Græco, in quibus ſufficienter habebant de humanis actibus filij. Quod ille dixit ſe non aliter facturum, id eſt, non ſcripturum illis, niſi indicto ieiunio omnes communiter dominum deprecarentur, vt ſpiritu ſancto repletus, vera & digna Chriſto poſſet ſcribere. Quo facto, id eſt, cum quatriduanum ieiunium peregiſſent, tunc gratia

tia ſpiritu ſancti B. Ioan. inebriatus dixit: In principio erat verbum) Oſtendit per initium huius euangelij, & per ſequentia eius, dominum Ieſum Chriſtũ qui temporaliter eſt natus ex matre, ante omnia tempora genitum ex patre, & coæternum illi. Tunc omnis error hæreticorum reſecatus eſt per dicta illius. *Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.* Ne alicui ambigendum, id eſt, dubitandum eſſet de dictis illius, ipſe proprio ore confirmare ſtuduit adiungens ſuam perſonam dicens nobis: Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius. Vera enim loquutus eſt, quia Deus regebat linguã eius. Studeamus autẽ & nos pia ſide intelligere ea quę ſcripſit, & opere implere ea quæ docuit, vt ad gaudia æterna peruenire valeamus quæ promiſit. Quare non poteſt mens humana Deum comprehendere? quia maius eſt illud quod comprehendit, eo quod comprehenditur. Verbi gratia. Accipe alicuius digitũ in manu tua, maior erit manus quę concludit digitum, quàm qui concluditur. Similiter ſi mens humanana potuiſſet Deum comprehendere intellectu, maior eſſet mens quàm Deus.

In feſto ſanctorum Innocentum.

Homilia ſuper eo quod ſcriptum eſt, Matthæi primo.

A*Ngelus domini apparuit in ſomnis Io-ſeph dicens: Surge & accipe puerum,* & cæt. Iſte locus hęret ſuperiori libro. Matthæus euangeliſta dicit, quòd Magi per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Cùm illi receſsiſſent per aliam viam non per iſtam per quam venerant. *Ecce angelus domini* Gabriel videlicet miniſter dominicæ incarnationis *apparuit Ioſeph in ſomnis*, qui vir iuſtus erat, & manifeſtiori reuelatione non indigebat, idcirco loquutus eſt ei angelus in ſomnis. Spiritualiter autem per hoc quod in ſomnis apparuit ei ſignatur, ꝙ illi qui ſeruiunt Deo, merentur habere angelorum cuſtodiã ſibi præſentem adeſſe, & illi tales poſſunt dicere cum eccleſia: Ego dormio ab actione huius ſeculi, & cor meum vigilat in Dei omnipotentis ſeruitio. *Surge*, dixit quia dormiebat. *Accipe puerum & matrem, fuge in Aegyptum, & eſto ibi vſque dum dicã tibi, et reuertaris. Futurũ eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eũ. Qui ſurgens à ſomno accepit puerum & matrem eius & fugit in Aegyptum nocte*, quia nolebat ſciri à populis. Quòd dominus Ieſus in ætate perfecta præcepturus erat verbo credentibus in ſe: hoc ipſe in infantia poſitus, primus impleuit opere. Et hoc eſt quod Lucas dicit, quia cœpit Ieſus facere & docere. Primũ fecit, poſteà docuit.

Act.1.

Quòd

Quod erat præcepturus electis ſuis: Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, hoc ipſe primũ impleuit, quia fugit perſecutorẽ ſuum Herodem, vt daret exemplum ſuis fidelibus, vbi oportunũ fuerit fugiendi inſidias hoſtiũ nõ imputabitur eis in culpã, quia caput eorũ Chriſtus primum hoc egit. *Et erat ibi vſque ad obitum Herodis.* Quantũ temporis ibi moratus fuerit, euangeliſta tacet, & ideo taceamus nos. Secundũ literã ita factum eſt, ſicut hæc verba euangeliſtæ teſtãtur, ſed videamus quid ſpiritualiter ſignificent. B. Ioſeph qui ducatũ prębebat beatæ Mariæ, ſignat ordinem prędicatorum: Apoſtolorum ſcilicet & cæterorum doctorum. Maria ſignat eccleſiam, quæ Apoſtolis ſubiecta fuit in fide. Puer. i. dominus Ieſus quid aliud ꝙ myſteria incarnationis ſuæ? Aegyptus quæ interpretatur tenebra vel meror, ſignat gentilitatem quæ in tenebris ignorantiæ & infidelitatis, & peccatorũ manebat. Herodes qui pueros occidit, & dominum Ieſum Chriſtum in Aegyptũ fugauit ſignat Iudæos. Odiũ Herodis, ſignat odium Iudæorũ, quod habuerunt contra Chriſtum & contra Apoſtolos illius, qui voluerunt Chriſtum interficere. i. nomen Chriſti de terra delere dicẽtes. Mittamus lignum in panem eius, id eſt, lignum crucis in carnem eius, & eras-

Matt. 10.

Sap. 2.

damus eum de terra viuētium. Per hoc quod B. Ioſeph relinquens Iudæam, cū puero & Maria in Aegyptū receſsit præfigurabatur iam quod ſancti prædicatores Apoſtoli ſcilicet & Apoſtolici viri cū Maria, id eſt, cum eccleſia ſibi ſubiecta, & cum puero, hoc eſt, cū euangelica prædicatione & fide dominicæ incarnationis receſſuri erant à populo Iudæorum, propter illorum perfidiam & tranſituri ad populum nationum, qui per Aegyptum ſignatur. Et in nocte receſsit B. Ioſeph: Illa nox ſignat incredulitatem Iudæorum. Per hoc ergo quod in nocte receſsit Ioſeph, præſigurabatur iam quia in nocte infidelitatis & in tenebris peccatorum relicturi erant ſancti Apoſtoli Iudæo. Vſque ad obitum Herodis fuit in Aegypto B. Ioſeph, quia tamdiu manebit ordo doctorum in gentibus, donec plenitudo earum introeat, & ſic om-
Rom. 11 nis Iſraël ſaluus fiet. Obitus Herodis, ſignat terminum odij Iudæorum, quod habuerunt & habent modò cōtra Chriſtum & contra eccleſiam. Cùm mortuus fuerit Herodes, id eſt, cùm mortua fuerit infidelitas in cordibus Iudæorum ad prædicationem Heliæ & Enoch, tūc reuertetur ad Iudæos Chriſtus cum Ioſeph, id eſt, cum ordine prædicatorum. Ita tamen reuertetur vt non deſerat gentiles, quia lapis angularis vtrunque popu-

pulum cõtinet per fidem. Ideo fugit dominus in Aegyptum vt impleretur illud, quod per Oſeam Prophetam prædictum eſt à Deo patre. Ex Aegypto vocaui filium meum. Sed nihil eſt: Ex Aegypto vocauit Deus pater filium ſuum, quando, ſicut in ſequentibus habetur, *Venit angelus ad Ioſeph, & dixit ei: Surge & accipe puerum & matrem eius, & vade ad terram Iſrael*. Hoc ſecundum literam. Sed altiore intellectu iterum per Aegyptum intelligamus hunc mundum. Tũc nanque de Aegypto Deus pater vocauit filium ſuum, quando quadrageſimo die reſurrectionis eius nimis mirabilem aſſumpſit eum de hoc mundo ad cœlũ, & collocauit eum ad dexteram ſuam, vt viam nobis faceret eundi ad patrem, ideo ipſe primus præceſsit. *Tunc Herodes videns quod illuſus eſſet à Magis*. Hæc ſententia iungitur ſuperiori, vbi dicitur quòd admoniti Magi in ſomnis ne rediꝛent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Tunc Herodes videns quod illuſus eſſet, id eſt, deriſus à Magis, quia non ſunt reuerſi ad eũ, ſicut ipſe præceperat, iratus eſt valde. *Et mittens* ſuos milites *occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem Iudæ*. Interfectio paruulorum non fuit in anno facta quo dominus natus eſt. Vndè hoc poteſt ſciri? Ex aduentu Magorum qui Oſee. 11.

venerunt tertio decimo die natiuitatis filij Dei ad eum. Si ipſi anteà venerũt ſicut reuera eſt, & anteà ſunt reuerſi ad propria quã ipſa interfectio fieret, quare celebratur feſtiuitas paruulorum ante feſtiuitatẽ, qua Magi venerunt? Quia poſt illam facta eſt cõpleto anno à natiuitate filij Dei, & quarta die ſequentis anni adueniente, fuit eadem interfectio peracta. Quare non continuò fecit hoc Herodes, vbi Magi non ſunt reuerſi ad eum? Qui cogitauit in corde ſuo, Certè falſa viſione ſtellæ deluſi ſunt illi Magi: non inuenerunt quod quæſiuerũt, ideo erubuerunt ad me reuerti. Quum autẽ quadrageſimo die natiuitatis ſuæ filius Dei delatus fuiſſet ad templum & munera legalia pro eo fuiſſent oblata, & Symeõ accepiſſet eum brachio, & dixiſſet: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in re-
Lucæ .2 ſurrectionem multorum in Iſrael: & Anna prædicaſſet de eo omnibus qui expectabant redemptionem Iſrael quũ hæc omnia fuiſſent ad notitiã Herodis perlata, dixit ille: Certè verum eſt quod Magi dixerunt. Tunc forſitan accidit aliqua aduerſitas in regno ſuo, ideo nõ potuit perficere quod cogitabat. Quum autem vnus annus dominicæ natiuitatis pertrãſiſſet, & tres dies ſequentis anni, timens regnum amittere propter regem natum, qui nũciatus fuit à Magis,
ti-

timens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus ſinibus eorum, vt ſaltem potuiſſet inter illos eum necare. Cogitauit autem perfidus ille in corde ſuo. Certè ille puer qui fuit tantæ potentiæ vt ſtellam nouam in ortu ſuo produceret, & per eā ducatū Magos ad ſe adorandū à finibus terræ adduceret, bene poteſt ſe in ſtaturā pueri duorē annorū facere, vel etiā in ſimilitudinem pueri vnius anni, etiā vnius noctis. Et ideo iuſsit interfici omnes pueros *à bimatu & infrà*, hoc eſt, à puero duorū annorū vſq; ad puerū vnius noctis, vt inter illos interficeretur dominus Ieſus Chriſtus. *Secundū tēpus ſtellæ, quod exquiſierat à Magis*. Spiritualiter mors paruulorum ſignat precioſam mortem ſanctorum de qua ſcriptum eſt: Precioſa in conſpectu domini mors, & cæte. Quod paruuli occiſi ſunt demōſtratur, quia nemo poteſt animam ſuam ponere pro Chriſto, niſi innocens & humilis. Iuxta quod dicit: Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis, &c. Illi qui bimi occiſi ſunt, ſignāt ſanctos martyres, qui duo habuerunt intellectum & operationem ſanctam. Qui verò infrà occiſi ſunt, id eſt, aut vnum aut dimidium annum habentes, aut vnam noctem, ſignant eos qui tantummodo ſimplicem fidem habentes, tradiderunt

Mors paruulorum.

Pſal. 12.

Mat. 12

opera ſua ad ſupplicia pro Chriſti nomine, & ab eo coronati ſunt. Mira res, Chriſtus qui quærebatur euaſit & paruuli occiſi ſunt. Pręfigurabatur per hoc quia ſancti Dei licet corpore interficiendi eſſent à ſuis perſequutoribus, tamen Chriſtus nullo modo poſſet in cordibus illorum interfici: quibuſcunque enim modis interfecti fuiſſent, Chriſtus ab eorum cordibus non potuit auferri. In Bethlehem interfecti ſunt illi pueri, & in omnibus terminis eius. Bethlehem quod interpretatur dom⁹ panis, ſignat hic primitiuam eccleſiam ex Iudęis, quę fundata eſt ab Apoſtolis & à Chriſto in fide. Per hoc quòd non ſolum in Bethlehem ſed circa montes & in finibus eius interfecti ſunt paruuli, præfiguratũ eſt, quia non ſolùm in Iudæa vbi cœpit origo eccleſiæ, perſecutio malorum hominũ erat deſęuitura, ſed etiã vſq; ad fines terræ ventura, & ſanctorum patientia remuneranda, ceu etiam in omnibus finibus eccleſiæ, id eſt, in omnibus partibus mundi. *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiam Prophetam dicentem. Vox in Rhama audita eſt, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos.* Rhama locus eſt iuxta Gabaa ciuitatem Saulis, ſed hic non ponitur pro loco ſed pro interpretatione nominis. Rhama nanq; interpretatur excelſum. Vox

Hier. 3. & 31.

Vox in Rhama audita eſt, id eſt, in exceſſo morientium patrũ & matrum propinquorum: vox in magno fletu prolata eſt vſque in cœlum. Quæ vox? *Ploratus & vlulatus. Rachel plorans filios ſuos.* Quæritur quare Rachel dicitur ploraſſe filios Iudæ quaſi ſuos cum de Lya natus ſit Iudas, cuius ſtirps Bethlehem inhabitat. De Rachel Beniamin, qui habitat in Iſrael. Duobus modis ſoluitur hæc quæſtio. Rachel ſepulta fuit iuxta Bethlehem & ideo propter vicinitatem ſepulchri illius appellabant eam filij Iudæ matrem quę matertera illorum fuit. Vel aliter, tribus Iudæ, & tribus Beniamin ſemper iunctæ fuerunt, & quando perrexerunt in captiuitatem ſimul perrexerunt, & quando de captiuitate reuerſi ſunt, ſimul reuerſi ſunt, quando erat lætitia in Iuda erat in Beniamin: & quãdo erat in Beniamin, erat in Iuda. Et Herodes pręceperat nõ ſolũ in Bethlehẽ interfici pueros, ſed etiã in finibus eius. Per hãc occaſionẽ intelligimus multos, etiã de filijs tribus Beniamin fuiſſe trucidatos: Ideo dicitur ploraſſe Rachel filios ſuos, quẽadmodũ homines ſtirpis illius faciebant. Nã mille anni erant, ex quo illa facta erant. Et ideo per Rachel poſſumus intelligere homines ſtirpis illius ſicut diximus, qui plorabant filios ſuos quos videbant interfici. *Et noluit*

luit conſolari quia non ſunt ſubauditur mortui. Dupliciter hoc intelligamus ſecundum literam. Quidam erant tunc in populo Iudæorum, qui ſciebant Chriſti aduentum imminere, quia videbant reges defeciſſe de tribu Iuda, & videbāt alienigenam Herodem regnare. Qui licet deflerent per compaſsionem mortis interfectiones filiorum ſuorum, tamen in hoc gaudebant, quia ſciebant eos æternaliter cum Chriſto regnaturos, pro quo interficiebantur, De iſtis dicitur. Et noluit conſolari: quia non ſunt, ſubauditur mortui. Licet mortui ſint carne, viuunt anima cum Chriſto. E contrà erant inſipientes & idiotæ, qui neſciebant aduentum Chriſti imminere, qui videntes filios ſuos interfici ab impiiſsimo Herode, putabant eos æternaliter perituros, ſicut moriebantur carne ita credebant quod morerentur anima. De iſtis poteſt intelligi quod dicitur: Et noluit conſolari, quia non ſunt victuri cum Chriſto, ſed æternaliter perituri. Spiritualiter. Rachel quæ interpretatur ouis ſiue videns Deum, Eccleſiam ſignat quæ ouis cēteſima appellatur, quam bonus paſtor venit quærere, & inuentam in humeris poſuit, & ſic reportauit ad gregem. Ipſa etiam dicitur videns Deum, quia in præſenti ſeculo videt Deum fide & dilectione, & ad hoc laborat
ſemi

ſemper, vt Deum mereatur videre in æterna contemplatione. Hæc Rachel, id eſt, præſens eccleſia plorat per affectum compaſsionis ablationem filiorum ſuorum, ſanctorum. ſ. martyrum, quia ſi fieri poſſet vellet eos habere ſecum. Beatum. ſ. Petrum & Paulum, vt illorum doctrina & exemplo plurimi erudirentur. Sed quia ſcit eos ęternaliter à Chriſto coronatos, non vult conſolari de illis, ad hoc vt qui ſemel euaſerunt ærumnas huius ſeculi coronãdi à Chriſto, iterum reuertantur ad eam ad has miſerias ſufferendas, quas ipſa patitur in præſenti vita. *Defuncto autem Herode.* Iſte Herodes miſerans mortem ſuam percuſſus eſt graui morbo, vt Ioſephus narrat, & interfecit quoſdam de filijs ſuis, quoſdã aũt reſeruauit Archelaũ, ſcilicet, Herodẽ, Philippũ, & Lyſaniã. Cùm aũt appropinquaretmorti, vocauit generũ ſuũ & dixit illi: Scio Iudæos de mea morte gauiſuros, quia interfeci filios eorũ, iube ergo magnũ cõuiuiũ præparari, & cõuoca oẽs principes regni mei ad cõuiuium. Expleto cõuiuio mitte oẽs in carcerẽ, & cũ ſpiritũ extremũ exhalauero interfice oẽs, vt velint, nolint, Iudæi habeant q lugeant in morte mea. Poſtmodũ aũt cùm quadam die purgaret pomũ ſolito more, & vidiſſet homines abeſſe, cõuertit cultrum quod tenebat in ventrẽ, &

& propria manu ſe interfecit. *Illo defuncto angelus domini Gabriel apparuit beato Ioſeph in Aegypto, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius & vade in terram Iſrael, defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri*. Hic datur nobis intelligi, quia non ſolum Herodes voluit dominum interficere, ſed & principes ſacerdotum. Poſtmodum autem per triginta circiter annos multa Iudæis intulerat, etiã dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ perſequi non deſtitit, vndè diuina vltione percuſſus, exteriùs quidem lẽto igne cremabatur. Interiùs verò vaſto incẽdio cremabatur, in tãtum vt omnia viſcera eius per cultũ paulatim defluerẽt, verẽda quoque eius vermibus ſcaturirent. Hydropiſis namq; totum corpus illius arripuerat, inflatio pedum ingens erat, anhelitus quoq; fœd⁹, ita vt aliquis medicorum cauſa medẽdi vix accedere poſſet. Cumq; variæ curationes mitterẽtur, nõ ſolũ nihil ei proderat, verũetiã magis ac magis deterior habebatur. Vndè viſum eſt medicis, vt cauſa leuaminis in dolio pleno olei poni deberet. Quod cũ factum fuiſſet, ita penè diſſolutus eſt, vt etiã ipſi oculi à ſuis ſedibus euellerẽtur. Vndè in irã cõmotus, aliquos medicorũ corã ſe interfici fecit. Sed inter hæc oĩa mala, famẽ ſitimq; intolerabilẽ ſuſtinebat. Et quod grauiꝰ erat oĩs cibus potuſq;

tusq; in faſtidium ei erat. Inſomnietatē
talem ſuſtinebat, vt dies noctesq; perui-
giles duceret. Quod ſi parū obdormiiſ-
ſet phātaſmata patiebatur, vt obdormi-
uiſſe pœniteret. Cū'q; tot ac tātis malis
preſſus iam deſperaſſet, quinquagenas
dragmas militibus diſtribui fecit, famu
lis quoque & ſeruis plurima dona lar-
gitus eſt. Erat autem amicis luctus, ini-
micis gaudium Nam in ipſa mortis an-
guſtia cōſtitutus duos filios ſuos, quos
in cuſtodia tenebat occidi præcepit, vt
qui extraneis homicida fuerat, in pro-
pijs fieret parricida. Sciēs autē Iudęos de
ſua morte gauiſuros, vocauit ſororem
ſuam Salomen, & virum ſuum Alexan-
drum, & ait: Noui Iudæos de mea mor-
te gauiſuros, ſed honorabiles exequias
habere potero ex luctu plangentium. Si
vos meis parēre volueritis præceptis,
mox vt ego ſpiritum exhalauero, om-
nes Iudæos quos in cuſtodia poſui in-
terficite, vt qui nolunt ex mea morte fle
re, ſaltem de nece ſuorū parentū flere co
gātur Igitur nō valens tantorū tormen
torū pœnas ferre, iuſsit balneū ſibi præ-
parari. Quod ingreſſus, iuſsit ſibi ꝓpter
intolerabilem famē pomū afferri. Quo
allato, iuſsit ſibi dari cultrum. Quo ac-
cepto circmuſpectis omnibus, ne quis
prohibere poſſet ferictis ictū, ſe propria
manu vibrauit in pectore. Et ita quidē

Fœlix, miſerã vitã finiuit. Et ſtatim ad
iuſsionem eius, omnes proceres Iudæo-
rũ interfecti ſunt iuſto Dei iudicio exi-
gẽte, vt qui in necẽ Saluatoris & paruu-
lorum conſenſerant, ſimul etiam cum
eo terminum vitę darent. Et ideo ait An-
gelus Ioſeph in Aegypto: mortuus eſt
qui quærebat animam pueri, oſtendens
etiam in necem Saluatoris & paruulo-
rum principes Iudæorũ conſenſiſſe. No-
tandum quia quando admonuit ange-
lus Ioſeph, vt pergeret in Aegyptũ, fu-
ge dicitur, & hoc in nocte, quãdo verò
Reuertere dicitur in terram Iſraël, neq;
fuga nec nox nominatur. Quia pòſt quã
ad optatam patriã ſancti peruenerint,
nihil triſte, nihil tenebroſum ſuſtinebũt.
Quia verò propter perſecutionem fu-
git, & rurſus in terrã ſuam reuerſus eſt,
oſtenditur propter perſecutionem ſan-
ctos à ſuis ſedibus fugandos, & rurſus
ad ſuas ſedes reuocandos. Sicut legi-
mus factum de Athanaſio Alexandri-
no, & Hilario Pictauienſi. *Audiens autẽ*
quòd Archelaus regnaret. Archelaus iſte
qui poſt Herodem ſuccesſit, frater eſt il-
lius Herodis, qui cum Pilato in paſsio-
ne domini amicitias iunxit. Sed poſtea
accuſatus à Iudæis ab Auguſto Cæſare
Lugdunum, quæ eſt Galliarum metro-
polis, exilio damnatus, ibi vitam turpi-
ter finiuit. Et interpretatur vincens leo,
&

& ſignat Antichriſtum, qui vt leo, terri-bilis apparebit, vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. In eam partem qua Archelaus regnabat Chri-ſtus venire noluit, quia in illis cordibus Chriſtus habitare contemnit, qui Anti-chriſtum ſuſcepturi ſunt. Poſt interfe-ctionem Archelai Chriſtus in terram I-ſraël reuertitur, quia poſt interfectionẽ Antichriſti, Synagoga creditura eſt vt ait Apoſtolus: Cùm plenitudo gentium ſubintrauerit, tunc omnis Iſrael ſaluus erit. *Et veniens habitauit in ciuitate ſua Na-zareth.* Si fixũ de ſcripturis teſtimoniũ poſuiſſet, magis per prophetã diceret quã per prophetas. Nazarenꝰ quippe ſan-ctus interpretatur. Et omnes Prophetæ ſanctũ dñm prædicant, in cuius perſona ait Dauid: Non dabis ſanctum tuũ vide-re corruptionem. Et iterum: Cuſtodi a-nimam meam de morte. Inuenitur autẽ hoc teſtimonium iuxta ſeptuaginta a-pud Eſaiam, vbi dicitur: Egredietur vir-ga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Nazaræus dicitur dominus, eo quòd Nazareth eius ſanctiſsima con ceptione conſecrata eſt.

Rom. 11 *Pſal 15* *Pſal. 85* *Eſa. 11.*

Dominica infra octa Nati. Domini.

Homilia ſuper eo verbo.

Lucæ 2.

E*rant Ioſeph & Maria mater Ieſu mi⸗rantes ſuper his quæ dicebantur de il⸗lo, &c.* In textu Euangelij vbi ſcri⸗buntur euangelia per ordinem, ibi in⸗choat hoc Euangelium ita. *Erant pater & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo.* Sed beatus Hieronymus dixit, non debere ita legi eo die ad miſſam vt diceretur: Erat pater eius & mater, pro⸗pter ſimplicem populi intelligētiam, ne fortè putaret vulgaris populus Ioſeph patrem ſaluatoris fuiſſe Sed potius dixit ita debere legi. *Erant Ioſeph & Maria ma⸗ter Ieſu mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo.* Pater domini noſtri Ieſu Chriſti appellatur Ioſeph, non quòd verè pa⸗ter eius fuerit iuxta Fotinianos, qui di⸗xerunt, dominum Ieſum Chriſtum de ſemine Ioſeph eſſe natum. Sed opinio⸗nem, id eſt, famam populi poſuit euan⸗geliſta, quia ab hominibus tunc tempo⸗ris, qui videbant beatam Mariam in cō⸗iugio poſitam æſtimabatur pater do⸗mini Ioſeph. Multò coniunctiùs potuit dici beatus Ioſeph pater Domini, quàm ſi eſſet aliunde adoptatus, ex alterius vxore generatus. Solent homines qui non habent proprios filios, liberos a⸗micorum ſuorum in proprios adoptare & hæredes efficere. Ita inuenimus in li⸗bro Iudicum. Et ſi ille talis per adop⸗tionem filius hominis appellatur, licet

ex

ex alterius vxore generatus, quãto ma⸗gis Dominus Ieſus potuit filius Ioſeph adoptiuus appellari, qui de eius ſponſa eſt natus? Multo magis. Et quid mirum, ſi B. Euangeliſta Lucas Ioſeph patrem Domini ſaluatoris appellat, cũ beata Maria in ſubſequentibus legatur dixiſſe: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Erãt igitur Ioſeph & Maria mater Ieſu mirantes ſu⸗per his quę dicebantur de illo. i. de Chriſto, quia nunquã talia dicta fuerant de homine nato in ſeculo. Quæ ſunt quæ fuerũt dicta de Chriſto? Quæ dicta ſunt à Prophetis, que dicta à Gabriele archãgelo, qui dixit ad beatam Mariam: Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomẽ eius Ieſum, hic erit magnus & filius altiſsimi vocab.tur. Et dabit illi Domi⸗nus Deus ſedem Dauid patris eius, & re⸗gnabit in domo Iacob in æternũ, & re⸗gni eius non erit finis. Quæ dicta ſunt à paſtoribus, que dicta ſunt à Magis, quæ dicta ſunt ab Elizabet, quę dixit ad Ma⸗riam: Et vndè hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Quę dicta ſunt à Si⸗meone, & quæ ſunt dicta ab Anna. Hæc ſunt quæ dicta fuerunt de Chriſto, de quibus omnibus mirabantur B. Ioſeph & beata Maria, & dicebãt ita: Certè multa bene dicuntur de Domino noſtro Ie⸗ſu Chriſto filio noſtro. *Et benedixit illis*

Simeon Euangeliſta non dixit quam benedictionem illis dederit, tamē nos poſſumus dicere, quòd hanc benedictioné dederit illis. Benedicti vos ſitis à Domino qui tam bonum filium genuiſtis. Et dixit ad Mariam matrem eius. *Ecce poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionē multorum in Iſraël.* Hic puer poſitus eſt in ruinam incredulis, quib' ipſe dixit. In peccato veſtro moriemini. Ruina enim dicitur ruēs ad ima. In ruina poſitus eſt dñs Iudęis, quia noluerūt in eū credere, quibus dixit: Si nō veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatū non haberent, nūc autē excuſationem non habent de peccato ſuo. Ruina ergò .i. perditio fuit illis Dominus, quia non crediderunt in eū: quia propter hoc ꝙ noluerunt in eum credere ruerunt .i. in æternam damnationem abierunt. Vndè & ipſe Dominus à Propheta appellatus eſt petra ſcandali i. petra ruinæ. Idipſum eſt ſcandalum, quòd ruina. Iudæis, ſicut diximus, Dominus fuit ruina .i. perditio: illius dānatio qui non crediderunt in eum. Reſurrectio autem multorum fuit in Iſraël Multorum ideo dixit quia non omnes crediderunt in eum. Illi autem qui crediderunt in eum tam ex Iudæis quam ex gentibus, illis fuit reſurrectio. Duæ ſunt reſurrectiones, ſicut & duæ mortes. Vna eſt reſurrectio animarum quę fit in præſenti

ſenti ſeculo quando reſurgant homines in anima: dico de infidelitate ad fidem, de peccato ad iuſtitiam, de vitijs ad virtutes. Verbi gratia. Eſt aliquis Paganus antequàm veniat in morte infidelitatis iacet & in morte peccati: quum autem baptizatur ſurgit de infidelitate ad fidem, de peccato ad iuſtitiam, de vitijs ad virtutes, de diabolo ad Chriſtum. *Ioan. 5.* De iſta reſurrectione dicit Dominus alibi. Venit hora & nunc eſt in præſenti ſeculo, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui crediderint, qui præceptis illius obedierint, & vſque in finem in bonis operibus perſeuerauerint, viuent in æterna gloria. De hac reſurrectione dicit Ioannes Euangeliſta. Beatus qui habet partem in reſurrectione *Apo. 20* prima, in quam ſecunda mors, id eſt, æterna damnatio, non habet poteſtatem. Ecce de prima reſurrectione quæ eſt animarum. Altera reſurrectio eſt corporum, quæ eſt futura in die iudicij. Illa *Ioan. 5.* eſt generalis de qua Dominus dicit: Venit hora quando omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent, &c. Ita diſtinguendũ eſt procedent de ſepulchris ſuis qui bona fecerunt in reſurrectionẽ vitę. qui verò mala fecerunt, in reſurrectionem iudicij. Et in reſurrectionem electis in Iſraël, id eſt, in populo Iſraëlitico. Mors animæ eſt, *Ezec. 18*

de

de qua ſcriptum eſt. Anima quæ pecca-
Ioã. 10 uerit, ipſa morietur. Quando anima pec
cat tunc moritur, quia vitã, id eſt, Chri-
ſtum, amittit, qui dicit: Ego ſum via, ve-
ritas, & vita. Qui ergò hîc fideliter reſur
git in anima, id eſt, de peccatis ad veniã,
in die iudicij fideliter reſurget in corpo
re ad gloriam æternam percipiendam.
Et in ſignum cui contradicetur, ſubauditur
ab incredulis & ab hæreticis & à paga-
nis. Quod eſt ſignũ? Crux Chriſti. Nos
dicimus crucifixũ Chriſtum eſſe, ſignũ
eſt cui contradicunt Iudæi. Nos Chri-
ſtiani ſumus, & à Chriſto Chriſtiani vo
camur. Quicquid legimus de Chriſto,
ſiue in veteri teſtamento, ſiue in nouo to
tum verum eſſe credimus? Credimus ꝙ
Dominus Ieſus natus ſit de virgine ma-
ria Vndè hoc credimus? Quia prædictũ
Eſai. 7. eſt à Propheta Eſaia. Ecce virgo conci-
piet & pariet filium. Et Gabriel angelus
dixit ad B. Mariam. Aue gratia plena do
minus tecũ, benedicta tu in mulieribus.
Natus eſt Dominus de virgine. Ipſa vir
ginitas beatæ Mariæ ſignum eſt, cui cõ-
tradicunt Marcioniſtæ: Marcion hære-
ticus fuit, qui dixit quòd Dominus non
fuit natus de virgine, ſed de corrupta
muliere. Crucifixus eſt Dominus, ſignũ
eſt cui contradicunt Iudæi, qui dicunt:
certè nondũ natus eſt Chriſtus, nec cru
cifixus: quia ſi fuiſſet Deus, nullo modo
poſ-

potuiſſet crucifigi. Vndè legimus Iudæos beato Paulo dixiſſe. Nam de ſecta hac, id eſt, de doctrina hac quam tu prędicas de Chriſto, nobis notum eſt, quia vbique ei contradicitur, Et idē beatus Paulus dicit: Nos quidem prędicamus Chriſtū crucifixū, Iudæis ſcādalum, gētibus autem ſtultitiā. Quod ergò nobis ſignū ſalutis eſt? Propterea quia credimus omnia vera eſſe quæ de Chriſto dicūtur, ſiue in veteri teſtamento, ſiue in nouo, ille eſt ſignum cōtradictionis qui hoc nō credunt, ſed potiùs contradicunt *Et tuā ipſius animam pertranſibit gladius.* Nulla hiſtoria narrat, quod beata virgo Maria gladio materiali tranſuerberata, ab hac vita migrauerit. Quare ergo Simeon dicit: Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius? Gladius carnem tranſuerberare poteſt, animam non poteſt Sed ſciendum eſt, quia gladius diuerſas ſignificationes habet in ſacro eloquio. Hic autē pro dolore paſsionis accipitur. Quum Dominus crucifigeretur, ſtabat Maria iuxta crucem, ſicut Euangeliſta teſtatur, quando ei dixit Dominus: Mulier, ecce filius tuus i. caro, quàm de te aſſumpſi. Modò apparet quomodo moritur, quā virtutem habeat, & quā poteſtatem quā fragile ſit & quàm infirmum. Quum autem videret eum pendentem in cruce, & ad vltimum mortuum perſpiceret

Act. 17
1. *Cor.* 1

tunc

tunc dolor immaniſsimæ tribulationis penetrauit cor eius. Et tunc impletũ eſt, quod Simeon illi prædixit. *Et tuã ipſius animam pertranſibit gladius*. i. dolor dominicæ paſsionis. Vſque hodie & vſquè ad diem iudicij animæ electorum tribulationem patiuntur, dum plures vident per vitia ad tartara ruere, & pauciores per virtutes ad cœleſtia conſcendere. Et quare iſta omnia aduenient? Vt reuelentur. i. vt denudentur, & aperiantur, vt manifeſtentur: *Ex multis cordibus cogitationes* Ante incarnationem filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti in mũdo incertum erat, quò quis eum animo deſideraret. Vbi autem incarnatus apparuit, ſtatim cœperunt cogitationes ſingulorum

Matt.2. manifeſtari. Audita eius natiuitate, mox Herodes rex turbatus eſt, timens terreno priuari regno, & omnis Hieroſolyma cũ illo turbata eſt. Paſtores veniẽtes Bethlehem Deo laudes retulerunt. Magi à finibus terræ Hieroſolymã veniunt ad adorandum Deum Bene & cũ muneribus venerũt, quia deſiderabant eũ. Illo prædicante in mundo, alij confluebant ad eum, quaſi ad magiſtrum veritatis, alij refugiebant ab eo, quaſi à ſeductore, blaſphemantes illũ, & dicentes: Sa

Ioan.8. maritanus es tu, & dæmonium habes. Illo crucifixo pro ſalute generis humani diſcipuli triſtabãtur, & Iudæi exultabãt

gaudebāt, dicētes: Ecce quod ſemper optauim⁹ & ſemper deſiderauimus, iā videmus & cernimus. Illo reſurgēte à mortuis Iudęi qui fuerant gauiſi de morte eius, illi ſunt cōſternati: & diſcipuli qui fuerant triſtati, illi ſunt lætificati. Illius prædicatione per diſcipulos in totū orbē manifeſtata, gētiles ſunt lætati, & Iudęi triſtati. Sicq; cōpletū eſt illud qd Simeō prędixit: Ecce poſitus eſt hic in ruinā, & in reſurrectionē multorū in Iſraël & in ſignū cui cōtradicetur. Et tuā ipſi⁹ anim ā pertranſibit gladius, vt reuelētur ex multis cordibus cogitationes. *Et erat Anna propheteiſſa filia Phanuel de tribu Aſer.* De viris dicimus Prophetam, de fœminis Prophetiſſam. Anna hęc orādo & ieiunando Prophetiæ ſpiritum meruit à Domino cōſequi. *Filia Phanuel.* Secundū carnē nobilis erat genere hęc Anna, Ideo cōmemoratur genealogia eius. *De tribu Aſer.* Aſer fuit filius Iacob octauus duodecim Patriarcharū in ordine naſcēdi. De huius ſtirpe nata eſt hæc Anna. *Hæc* (ſubauditur Anna) *proceſſerat in diebus ſuis*. i. diu vixerat, prolongauerat tēpus ætatis ſuæ. Procedere enim eſt longè ire. *Et vixerat cum viro ſuo annis ſeptē à virginitate ſua*. i. à tēpore amiſſę virginitatis, manſit cum viro ſuo annis ſeptem. *Et hæc vidua erat.* Pōſtquàm mortuus eſt vir ſuus *vſque ad annos octoginta*

quat

quatuor. Quæ non diſcedebat de tẽplo quod
erat in Hieroſolymis, propter inſtantiã
orandi & frequentem aſsiduitatem, di-
cit Euangeliſta *Quæ non diſcedebat de tem-
plo*. Niſi aut neceſsitatis cauſa, ad man-
ducandum, aut bibẽdũ, aut ad dormiẽ-
dum, aut cæteras corporis neceſsitates
explendas. *ieiunijs & orationibus ſeruiens
nocte ac die*. Talem viduam laudat B.
Paul. Apoſtolus, quæ poſt mortem viri
ſui non cognoſcit alterum virum, ſed in
oratione & ieiunio & vigilijs conſiſtit,
nec in delitijs viuit, illã verò quę in de-
2. Ti. 5. litijs viuit reprobat, dicẽs. Vidua in de-
litijs viuens mortua eſt. Si illę moriun-
tur quæ in delitijs viuunt, quid faciunt
illæ quæ tres vel quatuor maritos, poſt
Paulus mortem maritorum ſuorũ cognoſcunt?
virgo Et quomodo poterat B. Paulus Apoſto-
permã- lus ſcite mala viduarum, qui virgo fuit
ſit. & virgo permãſit? Virgo enim fuit, quia
1. Co. 7. gratia Dei præuenit eum. Vndè ipſe di-
Spũalis cit. Vellẽ omnes homines eſſe ſicut meiſ-
intelli- pſum Id eſt, ſic vellem omnes homines
gentia. eſſe virgines, ſicut & ego ſum. Sic ſcien-
dum eſt, quia ſpiritus ſanctus qui in il-
lo erat nunciabat illi mala viduarum.
Recurramus ad ſpiritualem intelligen-
tiã Anna interpretatur gratia eius. Cu-
ius gratia? Dei gratia. Et ſignat ſanctam
Eccleſiam, congregationem iuſtorũ, quę
nõ ſuis meritis, ſed gratia Dei ſaluatur,

iux-

iuxta quod beatus Paulus Apoſtolus di- *Ephe.2*
cit: Gratia Dei ſalui facti eſtis per fidem
& hoc non ex vobis. Dei enim donum
eſt. Prophetiſſa erat Anna. Et ſancta Ec-
cleſia Prophetiſſa, quia quotidie Pro-
phetat, id eſt, per prædicatores ſuos præ-
dicat pœnas reproborum, & præmia ele-
ctorum. Et bene filia Phanuel, Phanuel *Pſal. 4.*
interpretatur facies Dei. Et ſancta Eccle-
ſia filia faciei Dei dicitur, quia quotidie
dicit Deo. Signatum eſt ſuper nos lumē
vultus tui Domine. Quo affectu filia fa-
ciei Dei dicitur Eccleſia? Quia vultum
Dei, id eſt, ſimilitudinem Dei habet in
ſe. De tribu Aſer. i. de familia Aſer fuit
Anna: quia ſancta Eccleſia ad Chriſtum
pertinet, ipſe caput Eccleſiæ & Eccleſia
corpus eius. Homo ad imaginem & ſimi-
litudinem Dei factus eſt, iuxta quod i-
pſe Dominus dicit in Geneſi. Faciamus
hominem ad imaginem & ſimilitudinē
noſtram. De tribu Aſer fuit Anna. Aſer
interpretatur pinguis panis: & ſignat
Dominum noſtrum Ieſum Chriſtū, qui
eſt panis viuus, & verus qui dicit: Ego
ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi.
Etiam ergò Anna de tribu Aſer fuiſſe di-
citur, quia ſancta Eccleſia ad Chriſtum
pertinet, illius corpore & ſanguine quo-
tidie reficitur. Hæc proceſſerat in die-
bus ſuis. Non poſſum per ſingula verba
ire. *Et vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à*

virginitate ſua. Vir ſanctæ Eccleſię Chri-
Zach. 6. ſtus eſt, de quo dicit Zacharias Prophe-
ta. Ecce vir oriens nomen eius. Ipſe eſt
Pſal. 18. ſponſus de quo dicit Pſalmiſta. Tanquã
ſponſus Dominus procedens de thala-
mo ſuo. Sponſa eius eſt Eccleſia. Vnde
Ioan. 3. Ioannes Baptiſta dicit: Qui habet ſpon-
ſam ſponſus eſt. Illi ſeptem anni, quibus
Anna manſit cum viro ſuo, ſignant om-
ne tẽpus quo verſatus eſt Dominus cor-
poraliter cũ ſancta Eccleſia in mũdo, à
tẽpore ſcilicet incarnationis ſuæ, vſque
ad aſcẽſionẽ ad cœlos. *Et hæc vidua erat.*
Vidua eſt modò Eccleſia ſancta, quia per
fidem peregrinatur à Domino adhuc in
terris: tamẽ quotidie moriũtur electi, &
tranſeunt animæ illorum ad virum ſuũ
Chriſtũ vſque ad annos octoginta. O-
ctogenarius numerus ex ſeptenario &
duodenario conficitur. Septem deinde
ſeptuaginta fiunt, & ſeptẽ bini quatuor-
decim. Iunge ſimul. 70. & 14. 84. fiunt.
Septenarius numerus pertinet ad omnẽ
curſum iſtius ſeculi, quod per ſeptẽ dies
voluitur, & deſignat iſte ſeptenarius nu-
merus, omne tẽpus ab aſcenſione Dñi
ad cœlos, vſq; ad finem ſeculi. Duodena-
rius numerus, pertinet ad doctrinam A-
poſtolorum. Dum ergò ſancta Eccleſia
generaliter, ſpecialiter autem vnaquæ-
que anima fidelis per omne tempus i-
ſtius vitæ prædicationibus duodecim
Apoſ

Apoſtolorum inſtruitur, extollitur, & ornatur. Myſticè Anna per annos octo-ginta domino ſeruire perhibetur. Et hęc Anna, *ipſa hora ſuperueniens*, quia Dominus delatus in tēplū à parentibus & munera legalia pro eo ſunt oblata, confitebatur. i. laudabat Dominum. *Et loquebatur de illo*. i. de Chriſto *omnibus qui expectabant redemptionem Iſraël*. Omnibus bonis, & omnibus credētibus, qui toto deſiderio cordis & corporis expectabant aduentū filij Dei in carne qui redimeret eos per ſanguinem ſuū, de morte ad vitam omnibus illis prędicabat Dominū, dicens: Certè hic eſt filius Dei, ille qui redimet vos de poteſtate diaboli. Prophetauerat virgo Maria, dicens. Magnificat anima mea Dominū. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Prophetauerat copulata coniugio Elizabeth, dicens. Et vndè hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Prophetauerat Simeon, prophetauerat Zacharias, dicēs: Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuę Iſraël Nato Domino in carne, nō ſolum angeli perhibuerunt laudem, ſed etiam omnis ętas. Dignū ergò erat, vt vidua & vetula Dominū prophetaret. Vt quia Dominus omnē ętatem, & omnem ſexum, & omnem conditionē redimere venerat, omnis ætas, & omnis ſexus, & omnis

Lucæ. 1.

omnis conditio, teſtimonium laudis e-
Pſa. 84 ius proferrent. Tūc impletum eſt quod
Pſal. eis prædixit. Laudate Dominum
de cœlis, laudate eum in excelſis. Iuue-
nes & virgines ſenes cū iunioribus lau-
dent nomen Domini, quia exaltatū eſt
nomen eius ſolius, confeſsio eius ſuper
cœlum & terram. *Et vt perfecerunt omnia
ſecundum legem Domini.* Quæ perfecerūt?
Obtulerūt pro eo munera in templo ſe-
cundum legis pręceptum, par turturum
aut duos pullos colūbarum. Cùm hoc
perfeciſſent *reuerſi ſunt in Galileam in ciui-
tatem ſuam Nazareth* Multa hîc præter-
miſit Lucas, ſcilicet, quòd Ieſus poſt quā
oblatus eſt in templo, & munera legalia
pro eo ſunt oblata, monente angelo Ga-
briele portatus ſit à Ioſeph in AEgyptū,
propter perſecutionē Herodis. De AE-
gypto iterum eodem monente angelo,
reuerſus in terram Iſraël. Iterum etiam
monente eodem angelo, ſeceſsit in par-
tes Galileę in ciuitatē Nazareth: Vt ad-
impleretur quod dictum eſt per Prophe-
tam: Quoniam Nazaręus vocabitur.
Quare hæc prætermiſit Lucas? quia ſcie-
bat à Matthæo eſſe ſcripta. *Puer autem
creſcebat & confortabatur.* Confortabatur
in corpore creſcendo, quia fortior eſt
puer quā infans. Creſcebat in corpore
per ætatum momēta, ſicut homines. De
infantia venit ad pueritiam, de pueritia
ad

ad adoleſcentiam, de adoleſcentia in iu-
uentutem, de iuuentute in perfectã æta- *Coloſſ.* 1
tem. *Plenus ſapientia & diuinitate.* Quia in
ipſo ſunt omnes theſauri ſapiẽtię & ſciẽ
tię reconditi. Apollonius proponit quę-
ſtionem Zachæo: Quare Dominus non
ſtatim factus eſt perfectę ętatis, ſicut fu-
it quando triginta annos impleuit? Cui
reſpondit Zachæus: quod ſi natus Do-
minus continuò eſſet perfectus, nõ cre-
deretur veram carnem ſumpſiſſe, quia
natura humana habet per ætatum mo-
menta creſcere. Quod Ioannes Euange- *Ioan.* 1.
liſta dicit, plenus veritate: hoc Lucas di-
cit, plenus ſapientia, hoc eſt plenus diui
nitate. Quia ſicut dicit beatus Paulus
Apoſtolus. In ipſo habitat omnis pleni- *Coloſſ.* 1
tudo diuinitatis corporaliter. *Et gratia
Dei erat in illo.* Gratia Dei gratis data. Tã 1. *Tim.* 2
ta gratia eiuſdem mediatoris Dei & ho-
minũ homini Ieſu collata eſt, vt ex quo
cœpit cõcipi in vtero virginis Marię, il-
la humanitate aſſumpta à verbo Dei in
vnitate ſuę perſonę, perfectus eſſet Chri
ſtus.

In feſto Circunciſionis Domini,

Homilia ſuper eo verbo,
Lucæ. 2.

Poſtquàm cõſummati ſunt dies octo, &c.
Põſtquàm conſummati ſunt. i. cõ-
pleta natiuitate dies octo, vt circũci

deretur puer. Ritus .i. conſuetudo & religio circūciſionis à beato Abrahā ſumpſit exordiū. Qui cū eſſet poſitus in præputio, credidit Deo & reputatū eſt ei ad
Gen. 17 iuſtitiā, & amic⁹ Dei appellatus eſt. Tūc dixit ei Dn̄s: Circuncide carnē præputij tui: omnis maſculus de ſemine veſtro circuncidatur. Maſculus cuius caro præputij non fuerit circunciſa, peribit anima illius de populo ſuo, quia pactū meū irritū fecit. Pactum dicitur pacis actum. Et quomodo puer octo dierum, qui nullā diſcretionem adhuc boni maliue habebat, poterat præuaricari pactum .i. præceptum Domini? Sed pactum hîc intelligere non debemus pactū circūciſionis, ſed pactū .i. præceptum quod Deus iniit
Gene. 2. cum primo homine Adam in paradiſo, quando præcepit illi, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autē ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quacunque enim die comederitis ex eo, morte moriemini. Hoc præceptū trāſgreſſus eſt homo Adā, & cōtinuò factus eſt mortalis, qui antè erat immortalis, continuò factus eſt miſer, qui antè erat beatus, in ipſo enim omnes peccauimus & Dei mādatum tranſgreſſi ſumus, quia in lūbis illius eramus & de ſemine illius propagati ſumus. De hoc pacto dixit Domi-
Roma. 5 nus: Peribit anima illius de populo ſuo .i. de cætu ſanctorum, ſi non fuerit ſubie-

iectum remedium circunciſionis, quia pactum meum irritum fecit, id eſt, præceptum hominibus in paradiſo à me datum. Adam præuaricante tranſgreſſus eſt, in quo omnes peccauerunt. Illa circunciſio quæ tunc temporis fiebat in genitalibus membris, ab omnibus peccatis mundabat homines, & à peccatis originalibus & à peccatis actualibus. Et quid opus fuit Dño circuncidi-cũ nullum peccatum omnino haberet, quod per eius circunciſionẽ tolleretur? Sed vt demõſtraret legẽ Moſis iuſtam, ſanctã ac bonã eſſe, ideo voluit circunci di octauo die ſecundũ legis præceptum quod ipſe dixit: Non enim veni legẽ ſol- *Matt. 5.* uere, ſed adimplere. Vndè & B. Paulus *Gala. 4* Apoſtolus dicit: Vbi venit plenitudo tẽporis, miſit Deus filium ſuum factũ ex muliere. i. ex ſemine virginis, quia Spiritus ſanctus formauit illud corpus in vtero virginis Mariæ ex ſemine eiuſdem virginis factum, ſub lege. i. circunciſum ſecundũ legis mandatum. Munera ſunt pro eo oblata in templo, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorũ reciperemus. Simili modò voluit Dominus baptizari, non neceſsitate cogente, ſed propria volũtate, vt daret nobis exemplũ baptizãdi. Et nõ ſine cauſa voluit baptizari à ſeruo ſuo Ioanne, vt daret exemplum regibus & principibus

potentibus illius ſeculi, non dedignari baptizari ab ignobilibus perſonis. Illa circuncifio ſecundum legem omnia peccata (vt diximus) mundabat & originalia & actualia, ſicut modò facit baptiſm9 in ſancta Eccleſia, quando baptizãtur homines in nomine ſanctæ Trinitatis. Tamẽ in hoc diſtabat illa circuncifio ab ipſo baptiſmate, quod modò facit ſancta Eccleſia: quod ex illis qui circũcidebãtur, poſt mortem carnis nullus intrabat in regnũ cœlorum: ſed in ſinũ.i. in requiem ibant, vbi erat Abraham: in ſuperiorib9 locis inferni manebãt: & præſtolabantur aduentum filij Dei. Iſta terra & iſte aër ad comparationem cœli ſuperioris eſt infernus. Nullus ſicut diximus intrabat in regnum cœlorum, donec aduenirer qui legem dederat. i. Dominus Ieſus Chriſtus, & per mortẽ ſuã deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium. i. diabolũ, vt liberaret electos, deinde aſcendens ad cœlos per ſemetipſum aperiret ianuam regni cœleſtis, & aditum illuc introeundi hominibus patefaceret. Iſte autem baptiſmus tantam gratiam confert, vt ſi ſtatim ille qui baptizatur de fonte deſcendens mortuus fuerit, ſine vlla dilatione temporũ tranſeat in regnum cœlorum. Filij Iſrael qui de Ægypto tranſeuntes mare rubrum perrexerunt in eremum circunciſi

ciſi fuerāt, filij autē eorum qui per quadraginta annos nati ſunt in eremo, non fuerunt circunciſi à Moſe. Quare? Quia non credebāt ꝙ Dominus potuiſſet eos introducere in terram promiſsionis, ſicut promiſerat, cùm autem tranſiſſent Iordanem circunciſi ſunt à Ioſue in Galgalis. Quare hoc? Quia tunc viderunt eſſe completum quod Dominus illis promiſerat, ꝙ introducturus eos eſſet in terram promiſsionis. Illa circunciſio, quæ ſecundum legis præceptum habebatur per petram fiebat, cultellis petrinis circunciſus eſt populus à Ioſue. Quid ſignabat illa petra qua circuncidebatur populus? Chriſtum ſignabat. De eo dicit Paulus: Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus. Et rectè per illam petram ſignabatur Chriſtus, quia per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, mundamur ab omnibus peccatis noſtris. Et bene octaua die fiebat illa circūciſio. Octaua dies ad myſteria Dominicæ reſurrectionis pertinet, quæ octaua die facta eſt. Sexta enim die fuit Dominus crucifixus, ſeptima quieuit in ſepulchro, octaua reſurrexit à mortuis, idē primus qui & octauus. Rectè igitur illa circunciſio quæ ſignabat gratiam baptiſmatis octaua die fiebat, quia nos in ſpirituali noſtra circunciſione, id eſt, in ſacro baptiſ-

Ioſue. 5

2. Co. 10

mate in fide dominicæ reſurrectionis baptizamur, quando dicit ſacerdos illi qui baptizandus eſt. Credis in Deũ patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ, & in Ieſum Chriſtum filium eius Dominum noſtrũ, qui reſurrexit à mortuis? Reſpondet: Credo. Ego baptizo te in nomine patris & filij & ſpiritusſancti. Sicut ergò credimus filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum iam veniſſe in mundum & natum eſſe de virgine Maria, & paſſum pro ſalute humani generis, & reſurrexiſſe à mortuis, & aſcendiſſe ad cœlos, & venturum ad iudicandũ, ſicut nos credimus totum iam eſſe factũ, excepto quod adhuc nõ venit ad iudicium. ita & illi ſancti qui præceſſerunt aduentum Domini, totũ hoc crediderunt eſſe venturum. Et ideo per eãdẽ fidem per quã nos ſaluamur, per eãdem ſaluati ſunt & illi Aliter. Illa circũciſio typum gerebat generalis reſurrectionis, quæ in die iudicij futura eſt, quãdo omnes homines reſurgent de puluere terræ, alij ad gloriam ſempiternam, alij ad pœnas perpetuas, quãdo omnes electi mundabũtur ab omni fœce peccatminum, & ab omni fece mortalitatis. Et tunc introducentur cũ muneribus. i. cum bonis operibus, in templum. i. cœleſtẽ Hieruſalẽ dicente ſibi Domino: Venite benedicti patris mei, percipite re-
Mat. 25

gnum

gnum,&c. *Poſtquàm ſunt conſummati dies octo vt circunciderετur puer.* Quis eſt puer, niſi ille de quo dixit Eſaias ꝓpheta: Puer natus eſt nobis? Quęrēdū eſt, quare Dominus ſuſcepit circunciſionē lege decretā, qui nihil debebat legi, neque obnoxius erat peccatis? Iā ſuperiùs diximus, vt oſtenderet legem ſanctam iuſtam, ac bonam eſſe. Vel ideo ſuſcepit circunciſionem, vt faciliùs reciperetur à Iudæis. Si enim non eſſet circunciſus, nullo modò reciperetur eius prædicatio à Iudæis. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Quòd Dominus Ieſus die circunciſionis ſuæ augmētum nominis ſui promeruit, ad imitationem priſcorum hominū factum eſt. Abraham nanque in die circunciſionis ſuę augumentum nominis ſuis promeruit. Abraham primùm vocatus eſt Rā, deinde Abram, deinceps Abraham. Quòd primùm vocatus ſit Ram, habemus in libro Iob. Et iratus indignatusquè eſt Eliu, filius Barachiæ Buſites de cognatione Ram: Ipſe eſt Abraham. Abraham ſicut diximus die circunſionis ſuæ augmentum nominis ſui à Domino promeruit: vt qui anteà vocabatur Abram, i. pater excelſus, die circūciſionis ſua vocaretur Abrahā, id eſt, pater multarum gentiū. Similiter & Sara vxor eius die circunciſionis viri ſui amplificationē nominis ſui promeruit,

Eſa. 9.

Gen. 17.

Iob. 32.

vt quę anteà vocabatur Sarai.i.princeps tãtùm vnius domus: poſtmodũ vocaretur Sara. i. princeps omnium credentiũ

I.Pet.3. fœminarum. Vndè dixit beatus Petrus mulieribus credentibus. Sicut Sara obediebat Abrahæ Dominum eum vocans, cuius filiæ eſtis, benefacientes & non timentes vllam perturbationem. Sara primùm vocata eſt Sarai, ſublata ergo iota i elemento, addita eſt litera quę per a legitur. Sara Sarai vocata eſt à Domino. Decem nomina habuit Ieſus Chriſtus Dominus apud Hebræos, è quibus de vno nomine ſuo dedit vnam literam Abrahę i. A & alterã Sarai vxori eius. i. Saræ. Ieſus Hebraicè Latinè interpretatur ſaluator ſiue ſalutaris. Quare ſaluator? Quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum

Qui filij Chriſti. à peccatis eorum. Quis eſt plebs eius? Omnes credentes in eum qui fidem habent, & ipſam fidem bonis operibus adornant, ipſi ſunt populus eius, ipſi ſaluantur ab eo, non ſolum à peccatis, ſed ab omnibus aduerſitatibus præſentis ſeculi, & futuri, & ab omnibus aduerſitatibus corporalibus, & ſpiritualibus. *Quod vocatum eſt ab angelo priùſquàm in vtero conciperetur.* In vtero virginis Ma-

Lucæ. 1. riæ qui genitus eſt ante omnia ſecula à Deo patre. Venit angelus Gabriel ad beatam Mariam & dixit ad eam: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedi-

cta

cta tu inter mulieres, & benedictus
fructus ventris tui. Ecce concipies & pa-
ries filium, & vocabis nomen eius Ie-
ſum. Hic erit magnus & filius altiſsi-
mi vocabitur. Si volumus hoc ad nos
referre, antèquàm conciperemur in vte-
ro ſanctæ Eccleſiæ, id eſt, antèquàm re-
naſceremur ex aqua & Spiritu ſancto,
anteà prædeſtinatione, id eſt, præſentia
Dei omnipotentis, nobis impoſitum eſt
nomen, vt à Chriſto Chriſtiani vocare-
mur, à ſaluatore ſaluati, iuxta quòd i- *Eſa. 65.*
pſe prædixit per Eſaiam Prophe. Et ſer-
uos meos vocabo alio nomine, ſcilicet
Chriſtiano. Cùm audimus circunciſio-
nem, non ſolùm intelligere debemus in
circũciſione caſtitatẽ corporis, ſed & ca-
ſtitatem cordis. Vndè beatus Stepha- *Act. 7.*
nus dixit Iudæis: Dura ceruice & incir-
cunciſi corde, & auribus, vos ſemper Spi-
ritui ſancto reſtitiſtis, ſicut & patres ve-
ſtri. Ita ergo ſectanda eſt à nobis cir-
cunciſio, vt ab omnibus vitijs nos cu-
ſtodiamus, & corpore, & corde, adiu-
uante Deo noſtro Ieſu Chriſto, qui vi-
uit & regnat in ſecula ſeculorum. Amẽ.

In feſto trium Regum.

Homilia ſuper eo verbo,
Matthæi vndes
cimo.

C*Vm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iu*-*dæ in dieb⁹ Herodis regis.* Tria in hoc verſiculo demonſtrãtur ab Euãgeliſta, quę veritatẽ hiſtoriæ cõfirmãt: perſona, locus & tẽpus. Perſonã oſtendit cũ dicit. Cũ natus eſſet Ieſus. Locũ oſtendit cũ ſubiũgit, in Beth. Iudę. Tẽpus oſtendit quũ addit: In diebus Herodis regis. *Cùm* igitur *natus eſſet in Bethlehem Iudæ.* Bethlehem Iudæ ideo dicitur, ad diſtinctionem alterius Bethlehem quæ in Galilęa eſt facta in tribu Zabulõ. Hęc Bethlehem de qua hîc loquitur Euangeliſta, in tribu Iuda eſt poſita, quæ prino alio nomine vocata eſt Effrata. Pôſtquã autem Iacob patriarcha reuerſus fuiſſet de Meſopotamia Syriæ, fixit iuxta eã tabernaculum ſuum, & pauit ibi pecora ſua. Præuidẽs autem per Spiritum ſanctum naſciturum in ea Dominũ Ieſum Chriſtum ſecundũ carnem, vocauit eã Bethlehem. i. domũ panis, propter eũ panẽ qui ibi deſcẽdit, qui dixit: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Beth interpretatur domus, lehem panis. Si aliter volumus intelligere, per Bethlehẽ, quæ interpretatur domus panis, deſignatur ſancta Eccleſia. Quotidie Dominus in Bethlehem naſcitur, quia quotidie oritur in cordibus electorum ſuorum, illuminãdo eos ad cognitionẽ ſuam, iuxta quod in ea ſcriptũ eſt: Erat lux vera quę illu-

illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quotidie reficitur eccleſia ſancta corpore & ſanguine Domini. *In diebus Herodis regis.* Quare hic ponitur nomen Herodis regis, qui reprobus fuit? Vt demōſtraretur prophetia Iacob eſſe impleta, qui dixit: Non auferetur ſceptrum i. regia maieſtas de tribu Iuda, nec dux. i. princeps de fœmore eius. i. generatione eius, donec veniat qui mittendus eſt i. Chriſtus, & ipſe erit expectatio gentium. Ex quo patres Iudęorum qui exierunt de terra Aegypti ſub duce fuerunt iubente Domino, vt duces & principes haberent homines ſuę gentis, quorum primus fuit Moſes, deinde Ioſue, deinde cæteri vſq; ad Saulē regē. Saul fuit primus rex Iſraëliticæ gentis, cui ſucceſsit Dauid in regnum, de cuius ſtirpe regnauerunt in populo Iudæorū, vſq; ad vltimum Sedechiam, id eſt, vſque ad captiuitatem, qui cæcatus à Nabuchodonoſor rege Chaldæorū ductus eſt in Babyloniā more ferarū in fouea. Quādiu autem Iſraël fuerunt in captiuitate in Babylonia, nō habuerunt reges, nec duces, nec principes, nec ſacerdotes: ſed tantummodo Caſtroſſos, qui recipiebant dona à populo & regi dabant, quia non erat ibi templū Dñi, & ſub poteſtate alienigenarū erāt. Quū verò poſt ſeptuaginta annos ad iuſsionem Cyri

regis Perſarũ de captiuitate reuerſi fuiſſent, cœperunt ędificare ciuitatem ſuam Hieruſalem & tẽplum Domini reſtaurare. Poſtmodum autem non habuerunt Reges, nec Duces ſicut anteà, ſed Pontifices, qui rerum ſummam regebãt, quos Dauid conſtituit. Vigintiquatuor Pontifices habebant, quorum vnus regebat populum & ſummo ſacerdotio fungebatur, ſicut fuit Iudas & Ionathas frater eius, & Simon & cæteri vſq; ad Hyrcanum Regem ſimul & Pontificem, qui impoſuit ſibi coronam regiam, ſimiliter & ſacerdotalem mitram, quem iſte Herodes dolo & fraude interfecit. Et venit Romam, & traditum eſt ei regnum Iudęorum ab Octauiano Cęſare Auguſto ad gubernandũ, vt tributis pręeſſet, & Romano pareret imperio. Et regnauit iſte Herodes in populo Iudæorũ triginta ſeptẽ annis, cuius triceſimo primo natus eſt Dominus in Bethleẽ ſecũdum carnẽ, ſicut pręſens Euãgelica lectio narrat. Vt autẽ prophetiã Iacob demõſtraret Euangeliſta eſſe cõpletam in Chriſti natiuitate, hîc ideo poſuit nomẽ Herodis. *Ecce Magi ab Oriẽte venerunt Hieroſolymã, dicẽtes.* Magi ſunt philoſophi, qui de ſingulis rebus philoſophantur. A magica arte dicuntur Magi. Magica ars diabolica eſt. Hanc vim habet, vt ſolis verbis & incantationibus, ſine gladio, ſine

Par. 24.

Magi.

ſine veneno, ſine præcipitatione, ſine lapidatione, ſine vſtulatione homines interficiant, vento aërem commouent, per mittente Deo, & mentes hominum conturbant, miſeros amare & amari faciunt. Vel magi dicuntur malefici, qui elementa aërum conturbant, & per ſolas incantationes occidunt homines abſq; veneno. Forſitan iſti mali magi tales fuerunt. Sed quid factum eſt? Beatus Paulus dicit hoc: Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia. Illuminati ſunt à domino, & ideo venerunt à finibus terræ adorare eum. Ab oriēte venerunt iſti magi. Nō narrat euangeliſta de qua regione orientali venerunt iſti magi, tamē B. Hieronymus dicit, quod Chaldęi fuerunt, & Iuuencus dicit quòd Perſæ fuerunt, iuxta illum ſuum verſiculum: Tum iubet & Perſes celerem prætendere greſſum. Sed plus debemus B. Hieronymo credere qui poſt illum fuit, quàm Iuuenco. Hieroſolymā venerunt Quare venerunt Hieroſoymam? Quia Aſtronomicam artem bene nouerant, & nepotes Balaam poſteri eius fuerunt. Aſtrologi erant, vbi viderunt ſtellam quam antè non viderant, cœperunt cogitare qualis eſſet hæc ſtella, quæ non erant fixa inter cætera ſydera cœli, ſed per aëra diſcurrebat prope terram. Cùm autē hoc cogitarent, recordati ſunt prophetiæ at *Iuuēc⁹.*

tavi ſui Balaam, qui dixit: Orietur ſtella ex Iacob, id eſt, propter hominē qui naſcetur ex Iacob, orietur ſtella, & exurget homo de Iſrael id eſt Chriſtus, & erit omnis terra poſſeſsio eius. Cùm hoc legiſſent, & ſtellam ortam vidiſſent, ſtatim cognouerūt dominū natum eſſe in Iudæa, ideo venerunt Hieroſolymam. Et reuera cōſuetudo erat exterarum gētium, vt quando vidiſſent aliquod portentum in cœlo, Hieroſolymā peterent,
4. *Reg.* aut tranſmitterent, vbi erat Dei cogni-
20. tio, ſicut fecerunt temporibus Ezechiæ
2. *Par.* quando reuerſus eſt ſol decē lineis. Tūc
23. miſit Merodach Baladā, filius Baladam
Eſa. 38. rex Babylonis libros, id eſt, epiſtolas & munera Ezechiæ, vt interrogarent quā obrem ſol ita reuerſus eſſet. Secundum hanc conſuetudinem, & iſti Magi vidētes ſtellam nouam cęteris ſtellis lucidiorem, non in cœlo cum aliis fixam, ſed in aëre poſitam, reduxerunt ad memoriā prophetiam attaui ſui Balaam. Ideo venerunt Hieroſolymam. Poterat illos aliquis interrogare: O Magi vndè ſcitis quod Chriſtus natus ſit in Iudæa? Ad hoc adiungunt illi. *Vidimus ſtellam eius.* Quare eius? Quia in eius natiuitate noua apparuit, anteà non eſt viſa. Et poſtquā Magos ad dominum adorandum introduxit, deſiit videri ab hominibus. Gregorius Turonēſis epiſcopus dicit, quod ce-

ceciderit in quendam puteum in Bethſlehē vbi poteſt modò videri ab his qui virgines ſunt in fundo putei illius. Quadam vice perrexerunt illuc tres homines, vnus virgo, duo contaminati. Ille qui virgo erat, vidit eandem ſtellam: illi verò qui deuirginati erāt nō viderunt. Quidam dicunt quòd hæc ſtella ſemper præceſsit Magos, ſed ſi ita eſſet, nequaquam euangeliſta tantum miraculū reticeret. Priſcillianiſtæ hæretici dicunt homines ſub fato ſtellarum naſci. Dicūt nanque quod ſi ſtella pueri, qui naſceretur, fuerit orta in ſigno arietis, opilio futurus erit: ſi in ſigno aquarij piſcator futurus ſit. Si in ſigno libræ, trapezita futurus ſit, ſi in ſigno leonis, rex. Quis enim neſcit quanti ſerui nati ſunt, quando Carolus natus eſt? Et tamen ipſe, qui de regali ſtirpe eſt progenitus tranſit ad regnum, ſerui verò conditione ſeruili remanſerunt. Getulia, prouincia eſt Aphricæ, quæ piſces non habet: ſi ergò ibi natus fuerit homo in ſigno Aquarij, quomodo piſcari poterit vbi non ſunt piſces? Iſti tales affirmant errorē ſuū ex pręſenti lectione euāgelica dicētes: ꝙ in ortu dn̄i ſtella noua orta eſt. Quibus reſpondendū eſt, ꝙ ſtella venit ad dominū non dominus ad ſtellam. Si enim ſub fato ſtellæ dn̄s natus fuiſſet, ipſe veniret ad ſtellam, non ſtella ad eum, ſed nihil

eſt

eſt quod dicunt. *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Iſti Magi illuminati à Domino, trinum eum eſſe crediderunt, id eſt, hominem, Deum, & regem. Hominem crediderunt, cùm dixerunt: Vbi eſt qui natus eſt, quia hominis eſt naſci. Regem crediderunt, ſubdentes, rex Iudæorum. Deum crediderunt, addentes, & venimus adorare eum, quia Deus debet adorari, non creatura. Poterat illos aliquis interrogare: Vndè hoc ſcitis quod rex Iudæorum natus ſit? Ideo illi hoc iungunt. *Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Diuerſi de hoc verſiculo diuerſa ſentiunt. Dicunt quidam ex quo illi Magi exierunt de regione ſua, ſemper fuit eis præuia ſtella vſquequo appropinquarent Hieroſolymis, & quum prope eſſent Hieroſolymis, abſcondit ſe. Sed mentiuntur, ipſa enim verba Magorum declarant, quod non eſt verum cùm dicunt: Vidimus ſtellam eius in Oriente, id eſt, nos in oriente poſiti vidimus ſtellam eius in Occidente contra Hieroſolymam. B. Beda dicit hunc ſenſum. *Vidimus ſtellam eius.* Stellam eius dicunt. Nunquid non omnes ſtellæ ſunt Chriſti, quia omnia & quæ in cœlis & quæ in terra ſunt, cum patre ipſe creauit, de quo Ioan. euangeliſt. dicit: Omnia per ipſum facta ſunt. Certè omnes ſtellæ Chriſti ſunt, Sed ideo

Solus Deus adorandus.

Beda.

Ioan. 1.

hæc ſtella ſpecialiter Chriſti dicitur
uiſſe, quia in eius natiuitate noua ap-
paruit, natiuitatem illius annuncia-
bat, nec fuit creata in exordio mundi
cum cæteris ſyderibus, ſed ab ipſo Do- *Luc.3.*
mino Ieſu Chriſto tũc creata eſt, & nec
antea nec poſteà viſa eſt. Sicut illa colũ-
ba, quæ apparuit in Domini baptiſma-
te, nec anteà nec poſteà viſa eſt. Quæ-
rendum eſt quare paſtores angelus ad
cunabula Chriſti perduxit, & Magos
non angelus ſed ſtella perduxit? Huic
quæſtioni reſpondendum eſt, quia Iu-
dæi rationales erant, & ratione vti ſcie
bant, promiſsionem de aduentu filij dei
habebant. Et ideo quia rationales e-
rant, & ratione vti nouerant, paſtori-
bus tanquam fidelibus angelus appa-
ruit, gentilibus verò tanquam infideli-
bus ſigna data ſunt. Gentiles verò quia *1.Co.14*
irrationales erant & ratione vti neſ-
ciebant, ideo non per angelum ſed per
ſtellam ad adorandum dominum per-
ducti ſunt. Illis ergò, id eſt Iudæis, tan-
quam ratione vtentibus, rationale ani-
mal, id eſt, angelus apparuit, & iſtis, id
eſt, Magis tanquam ratione vti non va-
lentibus, ſignum cœleſte apparuit. Illi
tres Magi tres reges fuerũt, iuxta quod
prædictum eſt à Propheta. Reges Ara-
bũ & Saba dona adducẽt. Signant ergo
illi tres Magi, tres partes mũdi, Aſiam,

Africã,& Europã. Vel ſignãt tres filios Noë, qui ſeminarium fuerunt generis humani poſt diluuiũ. In his tribus partibus diuiſum eſt humanũ genus, quod exortum eſt à tribus filijs Noë, Sem, Cham,& Iapheth. Filij Sem tenuerunt Aſiam, filij Cham Africam, filij Iapheth Europam, in qua nos ſumus modò. In hoc ergò quòd illi tres Magi venerunt à finibus terræ adorare dominum, iam præfigurabatur quod omnes gentes ex tribus patribus mundi venturæ eſſent ad fidem Chriſti. *Audiens autem Herodes rex*, quòd non ille quærebatur, nec filij eius, ſed nouus rex natus, *turbatus eſt*. Quare turbatus eſt? Quia ſciebat ſe alienigenam eſſe, & ideo timebat regnũ amittere propter illum paruulum cuius natiuitas nũciabatur à Magis. *Et omnis Hieroſolyma cũ illo*. Metonymicè loquitur Euange. per id quod continet, id quod continetur oſtendens.i. per ciuitatẽ, habitatores ciuitatis. Per Hieroſolymã igitur intelliguntur habitatores eiuſdẽ ciuitatis. *Et omnis Hieroſolyma cũ illo*. Hic oritur quæſtio, quare dicit Euang. omnẽ Hieroſolymã turbatam eſſe, cum multi ſanctiſsimi homines in ea fuiſſent, qui de natiuitate Chriſti gaudebant: ſicut B. Symeon, Zacharias, Anna. Ad hoc dicendum eſt, quia turbatio regis, turbatio populi eſt. Turbatio magiſtri, turbatio

tio diſcipulorum eſt, illi ſancti qui tunc temporis erãt in Hieruſalem, vt ſatisfacerent regi triſtitiam præferebant in vultu, vt diximus, ſicut modò faciunt homines ante ſeniorem ſuum, ſi vident eum iratum, non audent ridere coram illo, ſed potiùs ſimulant ſe quaſi triſtes. Opinionem Herodis poſuit hic Euangeliſta, quia ſicut ille triſtis erat de Chriſti natiuitate, ita putabat quòd omnes triſtes eſſent. *Et congregans omnes principes ſacerdotum*, id eſt, vigintiquatuor pontifices, qui miniſtrabant in templo domini. *Et ſcribas populi*, id eſt, grammaticos, doctores legis, qui docebant populum Dei legẽ, *& ſeniores populi*, id eſt, presbyteros, quia presbyter Græcè, Latinè ſenior dicitur. *ſciſcitabatur*, id eſt, inquirebat *ab eis vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt in Bethlehem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt* per Michæam. *Et tu Bethlehẽ terra Iuda*, id eſt, ô ciuitas Bethlehẽ quç es ſita in terra Iuda, ſicut Hieruſalem, *non es minima*, licet ſi minor in murorum ambitu, & in paucitate populi & in diuitijs, tamen in hoc eris maior, *quia ex te exiet dux*, id eſt, princeps *qui reget populum meum Iſrael. Tunc Herodes clam*, id eſt, occultè *vocatis Magis diligenter*, id eſt, ſtudioſe. *didicit*, id eſt, inquiſiuit *ab eis tempus ſtellæ quæ apparuit eis*. Hic deficit hiſtoria, quia non Mich. 7

nar-

narrat euangeliſta quantum temporis fuiſſet, ex quo illa ſtella Magis apparuerat. Sed Ioan. Chryſoſt. dicit, quod vno anno ante natiuitatē domini apparuit eis, vt iter ſuum poſſent præparare, & tēpore congruo ad dominum adorandū peruenire. Diligenter didicit ab eis tempus ſtellę quæ apparuit eis. Callidiſsimus & aſtutiſsimus fuit ille perfidus Herodes, timebat ne aliqua occaſione interueniente illi Magi non reuerterentur ad ſe, ſicut poſteà rei probauit euentus, & ideo curauit ab eis inquirere tempus ſtellæ quæ apparuit eis, vt ſi illi reuerſi non fuiſſent ad eum ſicut nec fecerunt ex eo tempore quo dicerēt ſibi ſtellam apparuiſſe, interficeret omnes pueros in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, vt ſaltem inter illos potuiſſet dominum necare. Sed vt dicit Salomō, non eſt ſapientia, non eſt prudentia, nō eſt conſilium contra Deum. Clam vocauit Magos, id eſt, occultè non in præſentia Iudæorum. Quare? Quia timebat ne fortè Iudæi iungerent ſe illi puero qui nunciabatur natus, vt haberent regem hominem ſuæ gentis, & illum, id eſt, Herodem deijcerent de regno. *Et mittens eos in bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero & quum inueneritis renunciate mihi, vt & ego veniens adorē eum.* Perfidus ille Herodes ſimulabat ſe velle

velle adorare Deum, quem potiùs inter ficere volebat Sed quia fictè quæ ſiuit, ideo inuenire non potuit, & in hoc tenuit figuram hypocritarum, qui fictè & ſimulatè quærunt dominum, & ideo inuenire non merentur. *Qui quum audiſſent regem abierũt.* Non ſine cauſa voluit dominus per ſacerdotes Iudæorum locum natiuitatis ſuæ Magis demonſtrare, vt non habeant excuſationem in die iudicij de aduentu domini. Si enim dixerint, Neſciuimus tuam natiuitatem, reſpondet illis dominus: Vos oſtendiſtis locũ natiuitatis meæ Magis in Bethlehem, & quare vos non perrexiſtis cũ eis ad me adorandum? Ite in ignem æternum. Quærendum eſt quare dominus voluit venire Magos in Iſraël, & interrogare ſacerdotes & doctores Iudæorum de natiuitate Chriſti? certe vt Iudæi inexcuſabiles eſſent in die iudicij de aduentu filij Dei, vt non poſſent dicere, non cognouimus tempus natiuitatis tuæ, nec locum, ideo non credidimus in te. Vt hæc excuſatio ab illis auferatur, ideo voluit dominus, vt Magi venirent Hieroſolymam & interrogarent Iudæos de natiuitate Chriſti, & tempus & locum illi Iudæi illis Magis indicarent ad damnationem ſui. *Et ecce ſtella quam viderant in Oriente.* Vides quid dicit, in Oriente viderant eam ſuperpoſi-

tam, vel certè in Oriēte poſiti viderunt ſtellam eius in partibus Hieroſolymitanis, & ſtatim cognouerunt natiuitatem cœleſtis regis celebratā in Occidēte. Si enim ſemper eos præceſsiſſet ſtella, vt quidam putant, non haberent occaſionem Hieroſolymam intrandi, ſed ſemper viam ſtellæ ſequerentur. ¶Spiritualiter iſta ſtella quæ à Hieruſalem præceſsit Magos, ſignabat prophetiam de Chriſto quæ cœpit ab Abraham, cui dictum eſt Geneſis. 22. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ, hoc eſt, in Chriſto, & peruenit vſquequo filius Dei venit in mundum per humanitatem, vbi filius Dei apparuit incarnatus. Et Ioannes primo dixit de eo: Ecce agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi, ſtatim illa prophetia ſtetit, ſicut illa ſtella vbi oſtendit dominum natum ſtatim ſtetit, quia omnis lex & prophetia vſque ad Ioannem, id eſt, vſque ad Chriſtum. Vel certè illa ſtella quæ Magos præceſsit & ad cunabula Chriſti
Mat. 11. perduxit, ſignat gratiam Dei quæ præuenit homines recedentes ab Herode, id eſt à diabolo, & perducit ad Chriſtum homines illuminatos à ſe vt poſsint ve-
Pſa. 38. nire ad dominum, de quo ſcriptum eſt, Miſericordia eius præueniet me. *Vſque dū veniēs ſtaret ſupra vbi erat puer.* Prope terram ibat, quia ſi in alto eſſet, nō poſſent

ſent diſcernere in qua domo eſſet domi-
nus. Vicina erat terris in tantum vt pro
priam domum demonſtraret, in qua do
minus iacebat in cunabulis. *Videntes au-
tem ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno val-
de.* Quia maius fit gaudium de re inuen
ta quæ fuit perdita, quam de re poſſeſſa
quæ non erat amiſſa. Videntes autem
ſtellam, dixit vnus ad alterum: Caual-
licate bene, ecce noſtrum ſignum prope
eſt, hoc eſt quod quærimus. Quare nõ
præceſsit eos eadem ſtella ex quo egreſ-
ſi ſunt de terra ſua vſque Bethlehem,
quia tunc non ingrederentur Hieruſa-
lem. *Et intrantes domum inuenerunt pue-
rum cum Maria matre.* Illa domus ſigna-
bat primitiuam eccleſiam quæ collecta
eſt ex Iudæis. Illi Magi gentiles erant.
In hoc quod introierunt domum & in-
uenerunt puerum cum Maria matre e-
ius, præfigurabatur quod gentiles in-
traturi erant in domum, id eſt, in fi-
dem primitiuæ eccleſiæ & inuenturi Io
ſeph, id eſt, ordinem prædicatorum,
cum Maria, hoc eſt, eccleſia ſibi ſub-
iecta, cum Domino Ieſu Chriſto, qui
eſt caput omnium electorum, *Et pro-
cidentes adorauerunt eum, & apertis the-
ſauris ſuis*, id eſt, ſcriniis vel ſarcinulis,
quas habent illi qui de loco ad locum
tranſeunt. *Obtulerunt ei munera.* Vetus
conſuetudo fuit, vt nullus intraret ad
Deum

Deum deprecandum vel ad regem ſine
munerib⁹, iuxta quod Dominus præce-
perat in lege populo Iſraëlitico, dicens:
Non apparebis in conſpectu meo vacu-
us. Secundum hanc conſuetudinem illi
Magi, quod precioſius inuenire potue-
runt in terra ſua, & quod dominis ſuis
offerebant, obtulerunt vero domino,
ſcilicet, aurum, thus, & myrrham. Au-
rum cætera metalla dignitate ſui præ-
cellit. Thus Deo offertur in ſacrificium.
Myrrha mortuorum corpora condie-
bantur, vt multo tempore ſeruari incor-
rupta poſſent. Aurum ergo Magi domi-
no obtulerunt, quia crediderunt eum
eſſe regem. Thus ei obtulerunt quia cre-
diderunt eum eſſe Deum. Myrrham ei
obtulerunt, quia crediderunt eum eſſe
mortalē in ſubſtantia carnis noſtræ. Et
nos ergo offeramus ei aurum, vt creda-
mus eum verum regem & vbique reg-
nantem, ſicut ipſe dixit poſt reſurrectio-
nē: Data eſt mihi omnis poteſtas in cæ-
lo & in terra. Offeramus ei thus, vt cre-
Mat. 28 damus eum verum Deum ante omnia
ſecula genitum ex patre, temporaliter
ex matre natum. Offeramus ei Myrrhā,
vt credamus eum in noſtra carne fuiſſe
mortalē antè quàm crucifigeretur. Poſt
quàm autem crucifixus eſt, immortalis
permanſit, iuxta quod B. Paulus Apo-
Rom. 6. ſtolus dicit: Chriſtus reſurgens ex mor-
tuis

tuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Aliter. Per aurum intelligitur ſapientia, iuxta quod Salomon omnium ſapientiſsimus dicit: Theſaurus deſyderabilis requieſcit in ore ſapientis. Per thus intelligitur munda oratio, per myrrham mortificatio carnis exprimitur. Tunc ergò offerimus Deo aurum, ſi in conſpectu illius per ſapientiæ ſtudium reſplendeamus. Tunc offerimus thus, ſi mundas orationes in conſpectu illius fundimus, dicentes cũ Pſalmiſta. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Tunc offerimus myrrham, ſi mortificamus carnem noſtram cum vitijs, & concupiſcentijs. Aliter. Per aurum, intelligitur allegoricus ſenſus, per thus moralis, per myrrham hiſtoricus. Omnia iſta poſſumus modò inuenire in vno verſiculo. Lauda Hieruſalem dominum. Per Hieruſalem hiſtorialiter intelliguntur habitatores eiuſdem ciuitatis. Illos prouocat Pſalmiſta, ad Deum creatorem ſuum laudandum Ecce hiſtoricus ſenſus. Per Hieruſalem generaliter intelligitur, vniuerſalis eccleſia, de qua dicit Pſalmiſt. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Ecce moralis ſenſus. Per Hieruſalem ſpecialiter intelligitur vnaquæque fidelis anima, quæ ad hoc laborat in præſenti ſeculo, vt Deum mereatur videre in fu-

Pro.21.

Pſ.147

Coloſ.3

Pſ.174

Pſa.86

turo. Ecce allegoricus ſenſus. Poſſumus & quartum ſenſum inuenire in iſto verſiculo. Per Hieruſalem intelligitur patria cœleſtis in qua omnes ſancti contēplatione Dei omnipotētis fruuntur, de qua dicit Paulus Apoſtolus. Illa aūt quę ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt quæ eſt mater noſtra. Tunc ergo offerimus Deo aurū, thus, & myrrhā cum in ſacro eloquio allegoricū ſenſum, moralem & hiſtoricū ſecundū voluntatem eius requirimus. *Et admoniti in ſomnis ne redirent ad Herodem*. Qui ad Chriſtum venit nō debet redire ad Herodem, id eſt, ad diabolum. Non vt quidam putant ab angelo ſunt moniti, ſed ab ipſo dño quem adorauerunt, ab ipſo fuerunt admoniti in ſomnis, ne redirent ad Herodem. Quia indignum erat, vt Chriſti fierent proditores, qui eius fuerant adoratores. Vel ideo dicuntur per aliam viam reuerſi, quia qui venerāt dubij, redierunt certi in fide. Spiritualiter autem iſti Magi aliud myſterium nobis innuunt, dū per aliam viam in regionē reuertuntur. Regio noſtra paradiſus fuit, in quo prim⁹ homo à Deo creatus, collocatus eſt, de quo etiā ſine morte carnis cōpleto numero electorum tranſijſſet ad gloriā cœleſtē niſi peccaſſet. Vbi aūt peccauit, continuò eiect⁹ eſt de paradiſo in hāc mortalem miſeramq; vitam, tres ob cauſas, ſu-

Gal. 4.

ſuperbiendo, inobediendo, cibum veti-
tum comedendo. Sed neceſſe eſt nobis
vt per aliam viam reuertamur in regio-
nem noſtram. Qui eiecti ſumus ſuper-
biendo redeamus humiliando, vt im-
pleatur in nobis illud quod Dominus
dicit: Oīs qui ſe exaltat humiliabitur, &
qui ſe humiliat exaltabitur. Eiecti ſu-
mus inobediendo, redeamus obedien-
do, & præcepta Dei implendo. Eiecti ſu-
mus cibum vetitum guſtando: redea-
mus ieiunando, & nõ ſolùm ab illicitis,
verumetiam à licitis abſtinendo. Si hoc
fecerimus, regem noſtrum in regione
noſtra, id eſt in paradiſo cœleſti videre
merebimur. Qui viuit & regnat cũ Deo
patre, & cætc.

In octaua Epiphaniæ Domini.

Homilia ſuper eo quod ſcriptum eſt. Ioannis Primo.

Vidit Ioannes Ieſum venientẽ ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei, &c. Vidit Ioan-
nes Ieſum venientem ad ſe. Quare
Dominus venit ad baptiſmum Ioãnis?
Superiùs in euangelio diximus. Et ait:
Ecce agnus Dei. Quare appellauit bea-
tus Ioannes dominum agnum? Ac ſi
diceret: Ecce agnus, ecce innocens
inter peccatores. Ecce Deus inter ho-
mines, ecce dominus inter ſeruos.

Vel aliter. Ille agnus legalis, qui ſecun-dum legem immolabatur quarta deci-ma luna primi menſis ad veſperam, ty-
Exo. 12 pum gerebat veri agni Ieſu Chriſti, quia ſicut ille non apreiebat os ſuum
Eſa. 53. quando immolatus eſt pro ſalute gene-ris humani: & ſicut ille agnus in feſti-uitate paſchali immolabatur, ita & do-minus in feſtiuitate paſchali immolatus eſt, iuxta quod Apoſtolus Paulus dicit
1. Co. 5. de eo. Paſcha noſtrũ immolat⁹ eſt Chri-
Ioan. 1. ſtus. *Ecce qui tollit peccata mundi*. Domi-
Apo. 7 nus noſter Ieſus Chriſtus peccata no-ſtra tulit paſsiõe ſua, quia ipſe lauit nos à pctis noſtris in ſanguine ſuo, & quo-tidie peccata mundi tollit, id eſt, habita-torum mundi per baptiſmi ſacramentũ, quando regenerantur homines ex aqua & ſpiritu ſancto. quotidie etiã tollit pec-cata mundi, quando corpus & ſanguis eius dignè ſumitur ab hominibus. Quia ſicut (verbi gratia) ignis ſtipulam, & li-gna ſicca conſumit faciliter: ita corpus & ſanguis domini, ſi dignè ſumitur, mi-nora peccata conſumit. Quotidie etiam Dominus Ieſus tollit peccata mun-di per pœnitentiæ lamentum, quando homines agunt pœnitentiam de malis actibus ſuis, iuxta quod ipſe dominus dicit Pœnitentiam agite, appropinqua-bit enim regnum cœlorum. *Hic eſt de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me fa-ctus*

ctus eſt, id eſt, antepoſitus eſt mihi, præs
cellit me dignitate ſui. Tantùm præcel-
lit me quemadmodum rex præcellit mi-
litem, dominus ſeruum, ſol luciferum,
licet poſt ortus. Si potuiſſet loqui Luci-
fer, vtique poterat dicere de Sole: Certè
qui poſt me venit, id eſt, qui poſt me o-
ritur: ante me factus eſt, id eſt, prælatus
eſt mihi, qui ad comparationē claritatis
illius, nihil luminis haberet. Aliter: In
hoc ante me factus eſt, id eſt, antepoſi-
tus eſt mihi, quo eum tempora natiui-
tatis ſuę non anguſtant. Ego antèquam
naſcerer non eram, pòſtquàm verò
mortuus fuero, deſinam eſſe. Ille ante
quam naſceretur de virgine Maria, ge-
nitus erat ante omnia ſecula à Deo pa-
tre, ſi verò mortuˢ fuerit carne, immor-
talis manebit diuinitate: & ideo maio-
ris dignitatis eſt, quam ego. Quare? *Quia
prior me erat*, id eſt, ante omnia ſecula ge
nitus à patre ſecundum quod Ioannes
euangeliſta dicit de eo. In principio erat
verbum: Atque ſubiungit: Et Deus erat
verbum. *Et ego neſciebam eum*. Quare di-
cit & ego neſciebam eum, cùm teſtimo-
nium perhibuiſſet de illo ad turbas? Ve-
nit fortior me poſt me, cuius non ſum
dignus ſoluere corrigiam calceamenti.
Sed dupliciter poſſumus intelligere i-
ſtum verſiculum: Et ego neſciebam
eum, id eſt, neſciebam poteſtatem bap-

tizandi ſibi retenturum. Verbi gratia: Baptizat Petrus, baptizat Iudas, ſed dominus peccata mundat, ſicut eſt modo in ſancta eccleſia. Sunt ſacerdotes boni, qui deſignantur per Petrum, ſunt & mali qui deſignantur per Iudam: illi tingunt corpora hominum aquis, dominus tamen purgat peccata. Et ſicut illi mundantur ab omnibus peccatis, qui à bonis presbyteris baptizantur, ita illi qui à malis. Quia tam ſanctum eſt illud myſterium baptiſmatis, quod fit à Chriſto, vt nullo modo à prauis & immundis ſacerdotibus poſsit pollui, id eſt, violari. Vel aliter: *Et ego neſciebam eum*. i. tã ſublimiter & tam excellenter non cognoſcebam eum, ſicut modo cognoſco. Multum profecit Beatus Ioannes in hoc quod vidit ſuper Dominum baptizatum cœlos apertos, & ſpiritum ſanctum ſuper eum deſcendentem in ſpecie columbæ, & vocem patris delatam ad eum dicentis: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui. In tantum profecit vt ad comparationem illius ſcientiæ, quàm tunc cœpit habere de Chriſto: omnis illa cognitio quàm antè habebat de illo, ignorãtia illi videretur eſſe. Sed vt manifeſtetur in Iſraël, propterea veni ego baptizans in aqua. Ac ſi diceret beatus Ioannes. Non ad hoc veni baptizare, vt per baptiſmum
meum

meum auferãtur peccata, ſed vt per prædicationem meam, & teſtimonium meũ manifeſtaretur filius Dei de populo Iſraëlitico quis eſſet vt crederent in eum, & ſaluarentur. *Propterea veni ego in aqua baptizans*. In aqua baptizabat Ioannes, ſed tamen peccata per veniam non relaxabat. Quare ergò baptizabat ſi peccatum non mundabat? Sed ideo baptizabat, vt præcurſionis ſuæ myſterium ſeruans, ſicut præuenerat dominum naſcendo & prædicando, ita præueniret baptizãdo, vt per illius baptiſmum quod non mundabat peccata, perueniretur ab Apoſtolis ad verum baptiſmum Chriſti, quòd omnia peccata erat ablaturum & originalia & actualia. *Et teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi ſpiritum quaſi columbam deſcendentem de cælo, & manſit ſuper eum*. Non quòd non ſpiritusſanctus in electis manet, ſed quod dominus promiſit Sanctis Apoſtolis, dicens: Rogabo patrem meum, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum. Manet vtique, ſed aliter manet in Domino Ieſu Chriſto, aliter in electis. In electis manet ad hoc vt rectè credãt, iuſtè viuant, dilectionem Dei & proximi habeant, toto niſu corporis ad patriam cœleſtem tendant. Tamen ad hoc non permanet, vt ſemper valeant

futura dicere & miracula patrare: quia nullus hominum poteſt viuere in præſenti ſeculo ſine peccato. Peccata refugit ſpiritus ſanctus, iuxta quod ſapientia Salomonis teſtatur. Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & non habitabit in corpore ſubdito peccatis In domino verò Ieſu Chriſto æternaliter mãſit & manet: quia nullam maculam omnino peccati inuenit in eo, iuxta quod Petrus Apoſtolus dicit de eo. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. *Ego neſciebam eum.* Repetitio ſermonis eſt, id eſt, neſciebam eum tam ſublimiter & excellenter, ſicut modò ſcio. *Sed qui miſit me baptizare, ille dixit mihi: Super quem videris ſpiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Et ego vidi.* Quid vidit beatus Ioannes? Vidit cœlos apertos ſuper Dominum, vidit ſpiritum ſanctum ſuper eum deſcendentem in ſpecie columbæ, audiuit vocem patris dicentem. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. *Et teſtimonium perhibui quia hic eſt filius Dei.* Superius appellauit Beatus Ioannes dominum virum, dicens: Poſt me venit vir, & hic appellat eum filium Dei. Quare hoc? quia dominus Ieſus Chriſtus Deus & homo eſt. Appellat eum virum vt demonſtraret eum verum hominem eſſe. Per hoc

quod

quod Deus eſt ante omnia ſecula geni-
tus à Deo patre, appellauit eum filium
Dei.

Dominica prima poſt Epiph. Domini.

Homilia ſuper eo verbo,
Lucæ 11.

C*Um factus eſſet Ieſus annorum duode-*
im, & cætc. Cùm factus eſſet Ieſus
annorum duodecim, id eſt, cùm fa-
cti eſſent illi anni duodecim Hoc ſpati-
um annorum dominus ex matre ſum-
pſit, vt dicatur habere duodecim an-
nos vel triginta. Secundum humanitatẽ
annos habuit: Secundum verò diuini-
tatis potentiam, qua Deus eſt, ante om-
nia ſecula genitus à patre, nullo modo
potuit habere annos. Sed quid habuit?
Aeternitatem habuit & habet modò,
quia ſemper fuit ſine initio & ſemper
eſt, & ſemper erit ſine termino. *Aſcen-*
dentibus illis, id eſt, beato Ioſeph & beata
Maria cum Domino Ieſu Chriſto *Hie-*
roſolymam. Hieruſalem & Hieroſolyma
vna ciuitas eſt. *Secundum conſuetudinem*
diei feſti. Præceptum erat legis & con- *Deu.23*
ſuetudo Iudæorum vt ter in anno aſ-
cenderent Hieroſolymam ad feſtiuita-
tes celebrandas, iuxta quod præcepe-
rat Dominus in lege per Moſen ſer-

uum ſuũ, dicens: Ter in anno apparebit maſculus tuus in cõſpectu meo.i. feſtiuitate paſchali, quando agnus comedebatur, quartadecima luna primi mẽſis ad veſperã: & feſtiuitate pẽtecoſtes, quę celebrabatur quadrageſimo die à comeſtiõe agni, quãdo acceperũt legẽ à dño in mõte Synai, & feſtiuitate tabernaculorum, quæ ſeptimo menſe celebrabatur ob memoriam habitationis ſuæ in tabernaculis, quando habitauerunt in eremo per quadraginta annos. Secundũ hanc conſuetudinem beatus Ioſeph & Beata Maria cum domino Ieſu Chriſto venerunt Hieroſolymam ad diem feſtum celebrãdũ. Quærendũ eſt quare Domin⁹ ipſam legem quam per Moſen ſeruum ſuũ dederat populo Iſraëlitico obſeruare & cuſtodire voluit. Vt daret nobis exemplũ obedientiæ. Ac ſi diceret: Si ego qui Deus ſum, feſtiuitates quas in lege docui obſeruare, & cuſtodire non dedignor, quantò magis homines debent præcepta mea cuſtodire, & obſeruare vt ea opere impleant? Multò magis. Et nõ ſine cauſa dominus cùm eſſet annis duodecim ætatis ſuæ cœpit manifeſtare, quid deberet Deo patri ſecundum diuinitatem, & quid deberet homini matri ſecundum humanitatem. In hoc facto prę figurabatur, quia myſteria diuinitatis eius peracta, id eſt, completa ſimul & hu-

manitatis ſacramenta per myſte[illegible] prædicationem duodecim Apoſtolorum toti orbi erant reuelanda. *conſummatiſque diebus octo, quibus celebrabant feſtiuitates, cùm redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem*. Hic oritur quæſtio, quomodo Dominus potuit obliuiſcendo relinqui in templo, qui tanta cura à parentibus nutriebatur. Quia conſuetudo fuit Iudæorum, vt Hieroſolymam confluentes, vel ad propria redeuntes ſeorſum viri, ſeorſum mulieres choros ducentes incederent, infantes vero & paruuli cùm quolibet parente, ſiue cum patre, ſiue cum matre, indifferenter ire poterant, ideoqúe beatus Ioſeph, cùm non vidiſſet ſecum comitari dominum, putabat quòd cum beata Maria reuerteretur, ipſa quoque putabat eum eſſe cum Ioſeph. Tali modo potuit dominus obliuiſcendo relinqui in templo. *Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus cùm redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non cognouerunt parentes eius*. In hoc quod dominus duodecimo anno ætatis ſuæ relictus eſt à parentibus in templo, myſticè præfigurabatur, quòd tempore paſſionis ſuæ relinquendus erat in Hieruſalem, ſecundum quod euangeli-

Mat.16 [illegible] de eo: Tunc diſcipuli omnes re
licto eo fugerunt. Per Ioſeph deſigna-
Gen.22 tur ordo doctorum, per Mariam verò
Gal. 3. eccleſia. Poſtquàm repromiſsio facta eſt
ad Abraham de Chriſto cui dictum eſt:
In ſemine tuo benedicentur omnes gen
tes terræ, id eſt, in Chriſto, quæſitus
eſt Dominus à Iudæis, de quo ſemine
futurus erat, & non inuentus eſt nec
tempore legis, nec tempore propheta-
rum donec tertia dies, id eſt, tempus
ſeculi adueniret ſub gratia ſancti Euan-
gelij, tunc inuentus eſt. Vndè dixit
Philippus Nathanaëli: Quem ſcripſit
Moſes & Prophetæ, inuenimus Ieſum
filium Ioſeph à Nazareth. Vel tertio die
inuenerunt eum, id eſt, pòſtquàm re-
ſurrexit à mortuis, quia ſexto die fuit
Dominus crucifixus, ſeptimo quieuit
in ſepulchro, octauo die reſurrexit à
mortuis, ipſe eſt tertius dies à paſsione.
Tunc inuenerunt eum omnes qui præ-
deſtinati erant ad vitam æternam, tam
Iudæis quàm ex gentibus, de quibus di
cit Lucas, Quòd vno die crediderunt
tria milia, alio die quinque, & deinceps
Acto.2 multa milia. Vbi inuenerunt eum? *in tem
plo*, id eſt, in ſancta eccleſia, *in medio docto
Cor.6. rum ſedentem*, & in medio Apoſtolorum
habitantem, quia ſedet Deus, id eſt, ha-
bitat in cordibus electorum ſuorũ, ſicut
Leu.26 ipſe dicit per Prophetam. Inhabitabo in
illis

illis & inambulabo, & ero illorũ Deus, & ipſi erunt mihi populus *Et factum eſt poſt triduum inuenerunt illum ſedentẽ in medio doctorum, audientem illos, & interrogantẽ eos*, quaſi fons ſapientiæ Dominus ſedebat in medio doctorum Et ne paruuli erubeſcant diſcere à maioribus quod ignorant, ipſe non erubuit homines doctos interrogare, qui per diuinitatis ſuę potentiam angelos docet in cœlo. Ipſe etiam ne homines in infirmitate adhuc poſiti officium prædicationis vſurpare præſumant, vſque ad ætatem perfectam noluit prædicare vſque ad triceſimũ ætatis ſuę annum, quia triceſimus annus perfectæ ætatis eſt Ioſeph triceſimo ętatis ſuæ anno, dominus AEgypti factus eſt. Dauid triceſimo ætatis ſuæ anno, regni gubernacula ſuſcepit. Ezechiel triceſimo ætatis ſuæ anno, prophetiæ ſpiritum promeruit conſequi. *Et dixit mater eius ad illum: Fili quid feciſti nobis ſic?* id eſt, quare receſsiſti à nobis? *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Opinionẽ, id eſt, famam & æſtimationem populi expreſsit beata Maria quum dicit Dominũ Ieſum Chriſtum filium Ioſeph eſſe, non quòd verè pater eius fuerit, ſed quia ab omnibus ita ęſtimabatur. *Et quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Non vituperabat eos, quia eum quærebãt, ſed cogit

eos ſurgere ad intellectum vt intelligāt, quia plus debet obedire vero Deo patri quàm homini matri & ſimulato patri. Etiam in his, id eſt, in diuinis officiis & in doctrina hominum doctorum. Vel in his, id eſt, in domibus paternis debeo reſidere ſicut bonus filius in hæreditate patris ſui. *Et ipſi non intellexerunt verbum* ſcilicet quod dixit: In his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe. *Et deſcendit cum illis.* Deſcendit dicit, quia Hieruſalē in latere mōtis eſt ſita, Nazareth in planicie. *Et erat ſubditus illis.* Exemplum humilitatis fuit Dominus Ieſus Chriſtus, deferebat honorem Deo vero patri, à quo genitus eſt ante omnia ſecula, deferebat homini matri Mariæ, deferebat ſimulato patri Ioſeph. Quare hoc àgebat? Vt daret nobis exemplum obedire debere præceptis paternis & maternis, quia per patres & matres venimus in hunc mundum. Illi genuerunt nos, illi nutrierunt, illi educauerunt, illi aluerunt. *Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Siue quæ iam intelligere poterat, ſiue quæ non poterat intelligere, omnia in corde ſuo reſeruabat, vt tempore congruo narraret Apoſtolis & Euangeliſtis ad ſcribendum ſecundum voluntatem Dei, ſicuti & fecit. *Et Ieſus proficiebat ſapientia.* Quia perfectus erat Deus, non habebat quo profice

ficeret in ſeipſo, quia in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſcõditi, & in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: ſed in illis proficiebat, qui de doctrina illius per interualla temporum proficiebant. Verbi gratia. Eſt modò aliquis bonus cantor, antèquàm cantilenam ſuam alijs inſinuet, non dicitur proficere in ſeipſo, quia non habet quo proficiat: cùm autem cantilena auditoribus ſuis proficere cœperit, interrogatur ab aliquo: quomodo proficit ille cantor? Reſpondetur: Certè bene proficit, quum ipſe non in ſeipſo proficiat, ſed in auditoribus ſuis. Similiter & Dominus Ieſus Chriſtus non proficiebat ſapientia in ſeipſo, quia perfectus erat Deus: ſed in illis proficiebat, qui de doctrina illius proficiebant. *Et ætate*. Proficiebat Dominus Ieſus Chriſtus ætate, quia de infantia veniebat ad pueritiam, de pueritia veniebat ad adoleſcentiam, de adoleſcentia in iuuentutem, & de iuuẽtute ad perfectam ætatẽ. Gratia proficiebat, quia tãta gratia collata eſt eidẽ homini aſſumpto à verbo Dei, vt ex quo cõcipi cœpit in vtero virginis pfect⁹ eſſet De⁹. Apud Deũ proficiebat, quia illi qui videbãt miracula eius, & audiebãt verbũ ex ore illi⁹, & videbãt gratiã a Deo patre illi collatã, vt eſſet pfectus De⁹ & ſapiẽtia
æter-

æterna, referebãt Deo patri laudes, iuxta quod ipſe filius præcepit dicens: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Apud homines proficiebat, in illis ſicut ſuprà diximus, qui de doctrina eius proficiebant. Fuerũt hæretici Apollinariſtæ, qui dixerunt Dominum Ieſum non habuiſſe animam, ſed diuinitatem loco animæ fuiſſe. Sed hos redarguit Euangeliſta cũ dicit: Ieſus proficiebat ſapientia, quia ſapientia in anima proficit. Et fuerunt hæretici Manichæi, qui dixerunt Ieſum Chriſtum non habuiſſe verum corpus, quos redarguit Euãgeliſta quum dicit: Et Ieſus proficiebat ætate, quia ætas in corpore proficit.

Dominica. II. poſt Epiphaniam.

Homilia ſuper eo verbo, Ioannis. II.

NVptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, &c. In textu Euangelij ita habetur. Et die tertia, nuptiæ factæ ſunt. Et die tertia poſt illa, quæ ſuperior ſermo Euãgelicus narrat, nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Quãtum ad literam eſt, Cana viculus eſt in Galilęa prouincia, non longè diſtãs à Nazareth, in qua Dominus

nus conceptus & nutritus fuit, vndè & Nazaræus vocatus eſt. De hoc vico .i. de Cana vocatus eſt Simon Apoſt. à Chriſto, & ob hoc appellatus eſt Simon Cananæus, ꝙ tum verò ad intellectum attinet ſpiritualem, illi tres dies ſignãt tria tempora ſeculi. Primus dies, primũ tẽpus ſeculi ſignat, ſub exemplis Patriarcharum ab exordio mundi vſq; ad datã legem. Secundus dies ſecundum tempus ſeculi ſignat, ſub dictis & ſub ſcriptis patriarcharum à tempore datæ legis vſq; ad incarnationem filij Dei. Tertius dies, tertium tempus ſeculi ſignat ſub gratia ſancti Euangelij. Quo tertio die, id eſt, tertio ſeculi tempore filius Dei Dominus Ieſus Chriſtus per humanitatẽ venire dignatus eſt in mundum, & copulauit ſibi ſanctam Eccleſiam in vtero virginis Mariæ, aſſumẽdo naturam humanam in vnitate ſuæ perſonæ. De his nuptijs dicit alibi ipſe Dominus Simile enim eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. In hoc Deus pater filio ſuo Dño noſtro Ieſu Chriſto nuptias fecit, quo ei ſanctam Eccleſiam per incarnationis myſterium copulauit. Et Paulus Apoſtol⁹ dicit de his: Deſpõdi enim vos vni viro virginẽ caſtã exhibere Chriſto. Et Ioannes Baptiſta. Qui habet ſpõſam ſponſus eſt. Spõſus eſt Chriſtus, ſponſa eſt ſancta Eccleſia. Hãc ſpõ-

ſam

ſam.i.Eccleſiã, quã ſibi Dominus copu-
lauit, cõiũxit in vtero matris, ſicut ſupe-
riùs diximus. Ipſam etiã poſtmodũ ſan-
guine ſuo redemit: & quotidie corpore
& ſanguine ſuo reficit. Quotidie etiam
Spiritusancto confirmat, & multis pro-
miſsionibus ad gaudia æterna inuitat,
dicens: Venite ad me omnes qui labora-
tis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.
De hoc coniugio ſpirituali nati ſunt A-
poſtoli, & naſcũtur quotidie credentes.
Vndè dicit Dñs: Nõ poſſunt filij ſponſi
ieiunare, quandiu cũ illis eſt ſpõſus: ve-
niet autẽ tẽpus quãdo ab eis auferetur
ſpõſus & tunc ieiunabũt. Et bene in Ca-
na Galileæ nuptiæ factæ fuiſſe referun-
tur. Cana nanq; interpretatur zelus. Ze-
lus dicitur amor. Galilæa interpretatur
tranſmigratio facta. Signatur per hoc ꝙ
illi merentur Domino maximè copula-
ri, qui zelum i. feruorẽ dilectionis Dei
& proximi habent, & tranſitum faciunt
de vitijs ad virtutes, de terrenis ad cœ-
leſtia, de viſibilibus ad inuiſibilia, de tẽ-
poralibus ad æterna, de diabolo ad Chri-
ſtum. Hæ nuptiæ primum in Iudæa fa-
ctæ ſunt, quia in Iudæa Dñs homo fieri
dignatꝰ eſt & ibi copulauit ſibi ſanctã Ec-
cleſiã in vtero virginis. Sed poſtmodũ ꝑ
Apoſtolos & Apoſtolicos viros, iſtarũ
nuptiarum feſtiua gaudia ad omnes gẽ-
tes peruenerunt, iuxta quod Pſal. dicit:
In

In omnem terrā exiuit ſonus corū, & in fines orbis terræ verba eorum. *Et erat mater Ieſu ibi.* Maria mater Ieſu quæ ad miraculum prouocat Dñm in nuptijs, ſignat ſygnaogā quæ ſemper ſigna & miracula petijt, ſecūdū quod Paulus Apoſt. dicit. Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiā querūt *Vocatus eſt Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias.* Excepta myſtica ſignificatione, voluit Dominus venire ad nuptias vt confirmaret quod alibi dicit: Quod Deus coniūxit, homo nō ſeparet Prouidebat Dñs hæreticos futuros, qui dicerent nuptias nō à Deo, ſed à diabolo eſſe cōſtitutas. Si enim culpa eſſet vxorem ducere, nequaquā Dñs eas ſuo miraculo honorare dignaretur. Legitimū coniugium non diſplicet Deo, quod ad procreandā ſobolē eſt ab illo inſtitutum. *Et deficiente vino.* Secundum literam voluntate Dei actum eſt, vt vinum deficeret tūc temporis in nuptijs, vt per virtutem Domini meliori vino facto manifeſtaretur gloria Dei latentis in homine aſſumpto à verbo Dei. Et fides diſcipulorum, & cæterorum credentium, roboraretur in Domino Ieſu Chriſto, ſicut & factum eſt, vt in fine huius Euāgelij dicetur. *Et crediderunt in eum diſcipuli eius.* Secundum ſpiritualem intelligentiam vinum, id eſt, ſpiritualis intelligentia, quæ erat in lege, & Pro-

1. Cor. 1.

Matt. 19

Prophetis, & Pſalmis, & cæteris diuinis ſcripturis, ob carnalem ſcribarū, & phariſæorum interpretationem videbatur deficere Non deficiebat in ſeipſa ſcriptura, ſed in illis ſcribis & phariſęis qui malè interpretabantur illam, ſicut & modò faciunt poſteri illorum Iudæi. Sed quid factum eſt? Apparēs Dominus in mare, id quod videbatur deficere in lege & Prophetis & Pſalmis, & cęteris ſcripturis, propter malorum hominum peruerſam interpretationem, ille in melius reſtaurauit, quando poſt reſurrectionem
Luc.24 ſuam, ſicut Lucas dicit, aperuit diſcipulis ſuis ſenſum, vt intelligerent ſpiritualiter omnia quæ ſcripta erant in lege & Prophetis, & Pſalmis de eo. *Dixit mater eius ad illum: Vinum non habent.* Quid pertinebat ad beatam Mariam, ꝙ vinū deficeret in nuptijs, quæ nec filiam ſuam tradebat marito, nec filio ſuo ducebat vxorem? Sed ſciēdū eſt, ꝙ beata Maria propheriſſa erat, ſciebat enim ꝙ Dominus ad hoc venerat ad conuiuium illud nuptiarum, vt miraculum ibi faceret conuertendo aquam in vinum, & ideo more mulierum incitata dixit ad Dominū: Vinum non habent. Acſi diceret, Si ad hoc veniſti ad has nuptias, vt miraculū ibi facias, quid moraris? Fac citiùs, q̄d facturus es, vt manifeſtetur gloria tua. *Dicit ei Ieſus: Quid mihi & tibi mulier?* Nō inhos

inhonorat Dominus matrem ſuam qui nobis præcipit, dicens: Honora patrem tuum ac matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Nec denegat beatam Mariam matrem ſuam eſſe, cùm Paulus Apoſtolus dicit manifeſtè. Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Sed cogit eam oculum mentis attollere, vt intelligat potentiam diuinitatis ſuæ. *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Subauditur commune in hoc miraculo quod patraturus ſum, conuertendo aquã in vinũ? Certè non ſum illud facturus per naturam humanitatis quam ex te ſumpſi, id eſt, per virtutem corporis & animæ, ſed potiùs per potentiam diuinitatis, quam habeo antè omnia ſecula ex Deo patre. *Nondum venit hora mea*. i. nondum venit hora vel tempus paſsionis meæ, vt demonſtrem quàm fragile ſit illud quod ex te ſumpſi, faciendę erant virtutes adhuc, prædicandum erat Euangelium in mundo, & poſtmodum ventura erat hora paſsionis Domini, quando crucifigẽdus eſſet vocibus Iudæorum acclamantium: Crucifige, crucifige eum, & manibus militum Romanorum. Venit hora paſsionis quando pendens in cruce, dixit matri ſuæ: Mulier ecce filius tuus, id eſt, quod de te accepi corpus ſcilicet humanum, modò apparet quã fragile ſit, quia

Deut. 5

quia poteſt crucifigi, poteſt mori, ſicut modò moriturum eſt. *Et dixit mater eius miniſtris, Quodcunq; dixerit vobis, facite.* Licet Dominus taliter fuiſſet locutus contra B. Mariam, ſicut ſuperiùs dictũ eſt, tamen ipſa B. Maria ſciebat (ſicut ſuperiùs diximus) per ſpiritum prophetiæ, quod ad hoc venerat Dominus ad nuptias, vt miraculum ibi patraret, cõuertendo aquam in vinum. Et ideo fiducialiter imperauit miniſtris, vt obedirent voci filij iubentis. Si iubet hydrias impleri aqua, continuò implete. *Erant autẽ ibi in* continuo nuptiarũ, *lapideæ hydriæ ſex poſitæ.* Aqua græcè, hydor dicitur. Et ab eo nomine quod eſt hydor, appellantur hydriæ vaſa aquarum receptui parata. *Secundum purificationẽ,* id eſt, ſecundũ ablutionem *Iudæorum.* Quia Iudæi ſoliti erant crebrò lauare corpora ſua, vel ſolùmmodo manus quandocũque loquebantur cũ aliquo gẽtili, aut aliquod immundum tangebant. Et quia multi vocati fuerant ad illud cõuiuium nuptiarũ, ideo multitudo aquarum erat ibi in vaſculis, vt ſufficeret ad lauãdũ. Aqua duo officia habet, ſordes abluit, & ſitientẽ reficit. Signat ſanctã ſcripturã, de qua Salomõ dicit: Aqua profunda verba ex ore viri, & tanquã claui in altũ defixi. Sacra ſcriptura ſordes peccatorũ noſtrorũ abluit, cũ dicit: Lauamini, mundi eſtote,

auferte malū cogitationū veſtrarum ab oculis Dñi. Et cognitione Dei omnipotētis nos reficit cū dicit: Audi Iſraël Dominus Deus tuus vnus eſt, & cętera quę ſequūtur. Vaſa lapidea in quibus cōtinebatur aqua, ſignāt corda iuſtorū fortia quæ habent fortitudinem à vero lapide Chriſto. De quo dicit B. Apoſto. Petrus. Ad quē accedētes lapidē viuū, & ipſi tāquā lapides viui ſuperędificamini in idipſum. Iſte eſt lapis quem Daniel vidit præciſum de monte, id eſt, de populo Iudæorum, ſine manibus. i. ſine coitu virili, & impleuiſſe totum mundum. Et bene ſecundū purificationem Iudęorum dicit hydrias eſſe poſitas in quibus cōtinebatur aqua, quia lex & Prophetæ & Pſalmi, & cæterę ſcripturę veteris teſtamenti data ſunt populo Iſraëlitico, vt illis ablueretur, & ex illis cognitionē Dei omnipotentis perciperet. Gratia autē noui teſtamenti non ſolum Iudæis credentibus, ſed etiam & gentibus in Dominum credentibus data eſt. Per ſenarium numerum hydriarum, poſſumus intelligere ſex ætates mundi. Prima ætas fuit ab Adam vſq; ad Noë. Secunda à Noë vſque ad Abraham. Tertia ab Abraham vſque ad Dauid. Quarta à Dauid vſque ad trāſmigratonē Babylonis. Quinta à tranſmigratione Babylonis, vſque ad aduentum Domini. Sexta ab aduētu Do-

Domini vſq; ad finem ſeculi. In quibus ſex ætatibus non defuerunt ſancti, qui ſiue verbis, ſiue exemplis, ſiue dictis, ſeu recte viuendo, aliis iter præberent. *Capientes ſingulæ*, ſubauditur hydriæ, *metretas*.i.menſuras. Mēſura grecè, dicitur metrō. *Binas vel ternas*. Vna metreta capiebat modios tres: binæ metretæ continebant modios ſex: tres metretæ continebant modios nouem. Non dixit hydriæ aliæ capiebant binas metretas, & aliæ ternas, ſed ſingulæ, vt intelligeres quia æqualiter tenebant. Sed propter myſterium dixit capientes ſingulæ metretas binas vel ternas, vt demonſtraret quia ſacra ſcriptura aliquando facit mē-
Pſa.103 tionem patris & filii, vt illud Pſal. Omnia in ſapiētia feciſti, id eſt, in filio tuo. Chriſtus appellatur ſapientia, ſicut di-
1.*Cor*.1. cit Paul. Apoſto. Chriſtum Dei virtutē & Dei ſapientiā. Capiebant & ternas, quia aliquando facit mentionem patris & filii & ſpiritusſancti, iuxta illud Pſal. 32. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Trinitas demōſtratur hic. In verbo, intelligitur filius, in Domini nomine intellige patrem, nomine oris intellige ſpiritum ſanctum. Et in alto loco idem Pſal.
Pſal.66 Benedicat nos Deus Deus noſter, id eſt, Deus pater, Deus filius, benedicat nos Deus.i.ſpiritusſanctus. *Dicit eis Ieſus: Imple*

plete hydrias aqua. Poterat Dñs ſi vellet tũc tẽporis vinũ facere de nihilo qui in exordio mũdanæ creationis cũcta creauit ex nihilo, iuxta quod dicit Ioan. Euãg. primo de eo: Omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factũ eſt nihil. Poterat vtique, ſed noluit. Quare? Vt myſticè nobis innueret, quia apparens in carne, nihil aliud præcepit, nihil aliud docuit, niſi q lex & Prophetæ & Pſalmi prędixerãt de eo. Nõ ſpreuit legem, nec Prophetas, iuxta quod ipſe dixit Matth. 4. Nõ veni legẽ ſoluere, ſed adimplere. *Et impleuerunt eas vſque ad ſummũ*. Secundum literã, iſti miniſtri qui vinũ propinabãt conuiuio, pincernæ erant. Secundũ ſpiritualem intellectũ, quid ſignant iſti miniſtri? Signant ſanctos Apoſtolos, & Apoſtolicos viros: Petrum, Paulum, Andream, Iacobum, Hieronymum, Auguſtinũ, Gregorium, Ambroſium, Bedam, Caſsiodorum, & cæteros, qui à Dño illuminati ſcripturã veteris teſtamẽti, quę per aquã deſignatur, fideliter intellexerũt, & prudenter expoſuerunt auditoribus ſuis. Impleuerunt eas, id eſt, hydrias vſque ad ſummum: quia intellexerunt nullũ tẽpus ab initio mũdi vſque ad aduentum Domini alienũ fuiſſe à ſanctis doctoribus, qui ſiue ſcriptis, ſiue verbis, ſiue exemplis ſanctitatis, alijs iter ſalutis demonſtrarent. Sed videamus qualis

ter hæ ſex hydriæ, per ſex mundi ætates de nitore aquæ in ſpiritualem intelligē tiam conuerſæ ſunt. In prima ætate ſeculi legimus Gene. 4. Adam duos filios habuiſſe, Cain & Abel, quorū vnus fuit paſtor ouium. i. Abel: alter agricola, id eſt, Cain, qui inuidia ductus occidit fratrem ſuum Abel, propterea quia Domino placebat. Et ob hoc quia fratrem ſuum occidit ipſe Cain, ideo maledictus eſt. Abel autē quia Domino ſtuduit placere, & innocens occiſus eſt: ideo iuſtus appellari meruit à Domino in Euangelio Matthæi. 23. Cùm hoc legimus & diſcimus, quia illi qui innocentes Deo ſeruiunt, iuſtificari merentur cum Abel, & illi qui homicidæ exiſtunt, & bonis inuident, damnari merentur cum Cain, quaſi hydriam aquę plenā in manibus tenemus, vndè abluamur & vndè ſatiemur. Sed vertatur nobis hæc hydria plena aquæ in ſpiritualem ſaporem vini. Abel qui fuit paſtor ouium, ſignat Dominum Ieſum Chriſtum, qui dicit Ioannis. 10. Ego ſum paſtor bonus, qui paſco oues meas, & pro ouibus meis animam meam pono. Ego ſum paſtor ouiū. Abel innocenter ſeruiuit Deo, ideo placuit ei. Et Dominus Ieſus Chriſtus, qui Dei patris impleuit voluntatem, iuxta quod ipſe dixit: quia quę placita ſunt ei
Ioan. 8. facio ſemper: ideo placuit Deo. Placuit
Deo

Deo patri iuxta quod ipſe Deus pater de cœleſtibus ſuper eundem filiū in baptiſmate intonuit, dicens: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui. Cain, qui interpretatur inuidia, & occidit fratrem ſuum, pręfigurabat Iudæos, qui inuidentes Domino ociderūt eum. Cain frater erat Abel, & Dominus de Iudæis originē duxit ſecundum carnē. Et beata Maria de Iudęis fuit. Cain propter interfectionem fratris ſui maledictus eſt; dicente Domino: Maledictus eris. Et Iudæi propter interfectionem Dñi noſtri Ieſu Chriſti maledicti ſunt damnatione perpetua dicentes, Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Cain propter interfectionem fratris ſui vagus & profugus fuit in terra, & Iudei propter interfectionem domini noſtri Ieſu Chriſti vagi fuerunt, perdiderunt hęreditatē i. terram repromiſsionis, diſperſi ſunt modò per omnes nationes, & perdiderūt hæredē dominū Ieſum Chriſtum. Terra quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem Abel de Cain, prępfigurabat Eccleſiam quæ quotidie veſcitur & potatur corpore & ſanguine Dñi, non ad perditionem, ſed ad ſalutē. Vox ſanguinis Abel clamat ad Dominū de terra quia ſancta Eccleſia quotidie refecta corpore & ſanguine Dñi clamat in oratione: Pater noſter qui es in cœlis. Cū

Gene. 4

Gen. 4

hoc legimus & intelligimus, hydria quę anteà ſapiebat aquam, iam incipit nobis ſapere optimum vinum. Quia quod patribus præceſsit in figura, nobis completum eſt in veritate: & quod illis fuit in hiſtoria nobis allegoria. In ſecunda ętate ſeculi legimus propter peccata hominum veniſſe diluuium in mundum, & deletum eſſe omne genus humanũ præter Noë, qui propter iuſtitiæ meritũ ſaluari meruit cũ filijs ſuis. Dum hoc legimus & diſcimus, quia peccatum vindictam, iuſtitia verò ſaluationẽ meretur, quaſi hydriam aqua plenam habemus. Sed vertatur hæc nobis hydria aqua plena in vinum, id eſt, in ſpiritualem intelligentiã. Noë qui interpretatur, requies, ſignat Dñm Ieſum Chriſtum, qui dicit: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: iugũ enim meũ ſuaue eſt, & onus meũ leue. Per diluuiũ deſignabatur baptiſmus. Per columbã quę detulit ramũ oliuæ virẽtibus folijs in ore ſuo, ſignatur ſpiritusſanctus, quo cõfirmãtur credẽtes ab Epiſcopis per vnctionem ſacri chriſmatis poſt gratiã baptiſmi. Per arcã quę de lignis imputribilibus eſt fabricata, deſignatur Eccleſia, quæ quotidie in hominibus in ęternũ victuris ędificatur à Noë.i.a Chriſto. Omnes qui fuerunt extra arcã perierunt. Similiter fit modò in ſancta Eccleſia. Omnes qui extra fidẽ

Ec-

cleſiæ ſunt, ſicut Pagani, Hæretici, falſi Chriſtiani, pereunt æternaliter. Noë per lignũ ab aqua ſaluatus eſt cum ſuis: & omnes in ſancta Eccleſia per fidẽ Dñicæ paſsionis & per baptiſmi Sacramẽtum ſaluãtur. Cũ hęc itaque intelligimus, hydriã plenã ſaluberrimo vino habemus, vnde iocundemur & ſatiemur. In tertia ætate ſeculi legimus quod iuſſerit Dominus Abrahæ, vt offerret ei filiũ ſuum vnigenitum Iſaac in holocauſtũ, quod Abraham non diſtulit facere, quia præcepit illi Deus. Onerauit aſinũ ſuum & venit ad locum vbi præceperat ei Deus. Cúmque haberet ſtruem lignorum ſuper aram, & deſuper colligatum filium erecta manu cum gladio continuò venit vox de cœlo, dicẽs: Abrahã, Abrahã, non extendas manum tuam ſuper puerum, nũc cognoui quòd timeas Deum. Et ob hanc cauſam meruit ipſe Abrahã benedictionem conſequi, dicente ei Domino: Quia feciſti rem hanc & nõ peperciſti filio tuo vnigenito propter me, benedicens benedicam tibi, & multiplicabo ſemẽ tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam quę eſt in littore maris. Cũ hoc legimus & diſcimus, quia obediẽtia benedictionẽ meretur, quaſi hydriam plenam aquæ tenemus, ſed vertatur nobis hæc aqua in ſuauiſsimũ guſtũ vini. Per Abrahã qui interpretatur pater multarũ

gentium, intelligimus Deum patrem qui eſt pater, id eſt, creator omnium populorum. Per Iſaac, qui interpretatur riſus, deſignatur dominus Ieſus Chriſtus qui dixit diſcipulis ſuis: Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrũ, & gaudiũ vr̃m nemo tollet à vobis. Per arietẽ deſignatur humanitas Chriſti. In Iſaac & ariete intelligimus dñm Ieſum præfiguratum. In hoc quod Iſaac incolumis & illæſus redijt ad priora, ſed aries eſt pro eo oblatus, ſignatum eſt quod dominus Ieſus paſſurus eſſet ſecũdum humanitatem, diuinitate autem impaſsibilis manſit. Verbi gratia: Incidit aliquis arborem, ipſam arborẽ perfundit claritas ſolis. Tota ipſa arbor inciditur, ſed tamen ſplendor ſolis minimè læditur. Sic & dominus Ieſus humanitate paſſus eſt: ſed diuinitate impaſsibilis manſit. Per ligna quę Iſaac ferebat intelligimus crucem Domini quàm ipſe Dominus tulit tempore paſsionis ſuæ, ſicut Euangeliũ narrat. Et ſua ſponte ibat ad immolationem, ſimiliter & dominus Ieſus ſponte iuit ad paſsionem. Per ignem quem Abraham ferebat intelligimus dilectionẽ patris, quã habuit erga genus humanũ mittendo filium ſuum vt redimeret eũ, iuxta quod Euãgeliſta dicit: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret pro mundo. Per gladium quẽ Abra-

Ioã. 16.

Abraham ferebat intelligimus promiſ-
ſionem patris, qua permiſit filium ſuum
dominum Ieſum Chriſtũ crucifigi: Vn-
dè dicit ipſe filius ad Deum patrem per
Pſalmiſtã: Quoniã quem tu percuſsiſti, *Pſa. 66.*
id eſt, percuti permiſiſti, perſecuti ſunt
Iudæi. Intelligimus etiam benedictionẽ
quã Abrahã per fidẽ cõſecut⁹ eſt. i. nobis
qui de gentibus credimus eſſe comple-
tam. Cùm hæc omnia intelligimus, hy-
driam plenam optimo vino habemus.
In quarta ętate ſeculi legimus Dauid hu-
milem & innocentem perſecutionẽ Sau
lis ſuperbi & inuidi regis pertuliſſe. Sed *1. Reg. 31*
Saul propter peccatum ſuum interfe- *2. Reg. 3*
ctus eſt in monte Gelboë, Dauid autem
humilis & innocens exaltatus eſt in re-
gnum. Hæc legentes diſcimus, quia ſu-
perbia & inuidia mortem, humilitas au
tem & innocentia exaltationem mere-
tur. Ecce habemus hydriam plenã aquę.
Sed vertatur nobis hęc aqua in vinum.
id eſt, in ſpiritualem intelligentiam. Da-
uid qui interpretatur manu fortis vel
deſiderabilis, ſignat dominum Ieſum
Chriſtum, qui diaboli proſtrauit poten-
tiã, & ſpecioſus eſt forma præ filijs ho-
minum. Saul qui perſecutus eſt Dauid,
ſignat Iudæos qui perſecuti ſunt Domi
num volentes memoriam eius auferre
de terra. Sed illi. i. Iudæi humiliati ſunt,
& diſperſi per omnes terras. Regnum

verò illius.i.Chriſti, cuius nomē conati ſunt extinguere, exaltatū eſt in gētibus,
*Pſa.*107 iuxta quod Pſalmiſta dicit illi: Exaltare ſuper cælos Deus. Cùm hæc intelligi-
1.*Re.*26 mus, profecto de aqua vinum habemus.
2.*Para.* In quinta ætate ſeculi legimus, quòd po-
23. pulus Iſraëliticus propter peccata ſua ca-
1.*Eſdr.*1 ptiuatus eſt de Hieruſalē in Babylonem à Nabuchodonoſor rege, qui ibi, id eſt, in Babylone per ſeptuaginta annos cō-moratus eſt. Poſt ſeptuaginta annos pœnitentiam agendo reuerſus eſt, ſub Ieſu ſacerdote magno in terra ſua. Cùm hæc legimus & diſcimus, quia peccatum cōfuſionem, pœnitentia verò veniam meretur, quaſi hydriam plenam aquæ habemus. Sed ſi intelligimus per Nabuchodonoſor qui captiuauit populū de Hieruſalē, diabolū qui quotidie conatur populū de Hieruſalem i de ſancta Eccleſia pertrahere ad Babylonem i ad confuſionem peccatorum. Quia Babylon interpretatur confuſio. Et ſi intelligimus per ſeptuaginta annos quibus pœnitētiam egerunt, plenitudinem bonorum operum, quæ per ſeptiformem Spirituſancti gratiam fidelibus datur à Domino. Etſi intelligim⁹ per Ieſum ſacerdotē magnum qui reduxit populum Iudaicum de Babylone in Hieruſalem, Dominum Ieſum Chriſtum, qui quotidie reducit electos de Babylone, id eſt, de confuſio-
ne

ne peccatorum in Hieruſalem,& in fidē ſanctæ Eccleſiæ ſuæ, hydria quæ anteā ſapiebat aquam,iam ſapit nobis optimū vinum. In ſexta ætate ſeculi legimus Dominum Ieſum Chriſtum octauo die natiuitatis ſuæ circunciſum, & quadra-geſimo die delatum à parentibus in tē-plum cum muneribus. Cū hoc legimus, hydriam aquæ plenam habemus. Quia diſcimus in circunciſione Domini obe-dientiæ exemplum, vt ſi ipſe Dominus legi,quā per Moſen ſeruum ſuum dede-rat, obedire non eſt dedignatus, multò magis nos qui homines ſumus, debem⁹ obedire mandatis Dei.Sed vertatur no-bis hæc hydria plena aquæ in ſpiritualē ſaporem vini. Per circunciſionem Do-mini quę octauo die facta eſt,poſſum⁹ in-telligere ſpiritualiter baptiſmum quo ba ptizātur credentes in ſancta Eccleſia, & fidem dominicæ reſurrectionis, quæ o-ctauo die facta eſt , quando dicit Sacer-dos ei qui baptizādus eſt: Credis in Deū patrem omnipotētem,& in Ieſum Chri ſtum Dominum noſtrum qui reſurrexit à mortuis? Reſpondet, Credo: Baptizo te in nomine patris & filij & Spiritusſan cti. In hoc quòd Dominus quadrage-ſimo die natiuitatis ſuę in templum de-latus eſt, datur nobis intelligi, quia pòſt quàm regenerantur homines ex aqua & Spirituſancto, debent accedere

ad altare ad percipiendum corpus & ſanguinem Domini ad ſalutem ſuam, vel etiam qui ſunt digni debent effici Sacerdotes ad conſecrandum corpus & ſanguinem Domini. Si hæc altiùs volumus in circunciſione intelligere, quæ octauo die facta eſt, poſſumus generalem reſurrectionem quæ octaua ætate ſeculi futura eſt accipere, quando omnes homines reſurgent de puluere terræ, vt pergant electi cum Domino in vitam æternam, reprobi cum diabolo in pœnas perpetuas. In introductione Domini in templum, poſſumus intelligere introductionem generalem ſanctorum in cœleſtem Hieruſalem. In oblatione munerum pro eo, poſſumus intelligere bona opera electorum, quia electi in die iudicij mundati ab omni fœce peccati, & ab omni fœce mortalitatis, cũ muneribus, id eſt, bonis operibus introducentur in templum, id eſt, in cœleſtem beatitudinem, dicente eis Domino: Venite benedicti patris mei percipite regnum, quòd vobis paratum eſt ab origine mundi. Et ibunt hi in vitam æternam. Cùm hæc ita intelligimus, hydriam plenam puriſsimo vino habemus. *Et dicit eis Ieſus: Haurite nũc & ferte Architriclino.* Architriclinus, dicitur princeps, Triclinus, tres lecti, quia lect⁹, Græcè dicitur cline, & archos græcè Latinè

Matt. 25

nè dicitur princeps. Conſuetudo fuit antiquorum nobilium potentum, vt tres lectos haberent tempore conuiuij ſui in quibus recumberent, quia iacendo comedebant. Sed quærendum eſt, quis fuerit ſpiritualiter iſte Architriclinus? Beatus Paulus Apoſtolus qui de vetuſtate literæ conuerſus eſt ad ſancti Euangelij gratiam. Per triclinum deſignatur ſancta Eccleſia, quæ continet in ſe tres ordines Prælatorum, ſcilicet Epiſcoporũ, Præſbyterorum & Clericorum, vel continentium viduarum, vel coniugatorum, qui legitimo coniugio vtuntur. Iſtorum trium ordinum fuit beatus Paulus Architriclinus, id eſt, princeps, ſecundum quod ipſe dixit: Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum, operatus eſt & mihi inter gentes, & cognouerunt gratiam quæ data eſt mihi, id eſt, qui Petrum fecit principem Iudæorum credẽtium, ipſe me conſtituit magiſtrum & doctorem gentium crediturarum. *Et tulerunt.* Non poſſumus ſpecialiter per ſingula verba ire: quia nec doctor hoc facit. *Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinũ factum.* Vt guſtauit Architriclinus, id eſt, Paulus Apoſtolus de Iudaiſmo cõuerſus ad fidẽ Chriſti, aquam vinum factum, id eſt, ſpiritualem intelligentiam, quę erat in lege & Prophetis & Pſalmis datam à Domino & ſibi & alijs. *neſ-*

Galat. 2.

ciebat vnde eſſet, miniſtri autem ſciebāt qui hauſerant aquam. Miniſtri. i. diſcipuli: quibus Dominus poſt reſurrectionem ſuam aperuit ſenſum, vt intelligerent omnia quę ſcripta erāt in lege & prophetis & Pſalmis de ipſo. Et incipiēs à Moſe & omnibus Prophetis: ſciebat vnde
Luc.24 eſſet illud vinum. *Vocat ſponſum Architriclinus & dicit: Omnis homo primùm bonum, vinum ponit,* ſubauditur ante ora conuiuantium. *Et cùm inebriati fuerint homines* tūc ſubauditur vinum, *quod deterius eſt,* propinatur illis. *Tu autem ſeruaſti bonum vſque adhuc.* Iam diximus ſuperius quia ſponſus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, ipſe ſeruauit bonum vinum, id eſt, Euangelium vſque adhuc, id eſt, vſque ad tēpus incarnationis ſuæ. Nunquid bonum vinum erat lex & Prophetæ? Erat vtique. Sed melius eſt vinum Euangelij, quàm vinum legis, & Prophetarū. Quia lex & Prophetæ promittebant
Eſai.1. terram, iuxta illud Eſaiæ. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.
Matt.5. Euangelium verò regnum cœ-
Luc.16 lorum & promittit quotidie & tribuit, ideo melius vinum eſt quàm legis. Quanta autem diſtantia eſt inter aquā & vinum, tanta diſtantia eſt inter illum ſenſum qui erat in lege & Prophetis, & illum quem Dominus demonſtrauit in Euangelio. *Hoc fecit initium ſigno-*

ſignorum, id eſt miraculorum. *Ieſus in Cana Galilaeæ prouinciæ, & manifeſtauit gloriam ſuam*; id eſt, potentiam ſuam. Gloria Dei dicitur, quicquid mirabile geritur à deo, ſiue in cœlo, ſiue in terra. Gloria Dei, id eſt, laus Dei. Ideo fecit Dominus Ieſus hoc miraculum conuertendo aquam in vinum, vt per hoc clarificaretur, id eſt, laudaretur. *Et crediderunt in eum diſcipuli eius*, non quod antea non credidiſſent, quia niſi credidiſſent, nullo modo eum ſequerentur, ſed firmiùs crediderunt quàm antea credidiſſent. Viſo enim tanto miraculo ſolidati ſunt in fide Chriſti.

Dominica tertia poſt Epiph. Domini.

Homilia ſuper eo verbo, quod ſcriptum eſt, Matthæi octauo.

DEſcendens Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Superior ſermo euāgelicus narrat, ꝙ dñs aſcendit in montē, & ibi multa locutus fuerit ſermone prolixo explicito, deſcēdit de mōte. Multi putant iſtum montem in quē Dominus aſcendit montē oliueti fuiſſe, ſed non eſt ita. Sequentia iſtius euangelij manifeſtant cùm dicitur: Cùm autem introiſſet Capernaum. Capernaum

ciuitas eſt in Galilæa prouincia ad radicem montis Thabor ſita, in quam introiuit dominus, vbi deſcendit de monte. Et ideo poſſum⁹ intelligere, quia iſte mons non fuit Oliueti ſed Thabor, de quo. *cùm dominus deſcendiſſet, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* Vbicunque in ſacro eloquio nomen turbæ audimus, diuerſitatem voluntatum intelligere debemus non enim vnius voluntatis erant qui ad dominum confluebant. Alij ad hoc ſequebantur eum, vt audirent prædicationem ex ore eius, & videntes miracula quæ faciebat crederent in eum, & ſaluarentur. Alij ſequebantur eum, vt ſanitatem mererentur accipere: ſicut iſte leproſus, qui in ſubſequentibus eum commemoratur: Alij vt reficerentur ab eo: Alij curioſitatis ſolùmmodò cauſa ſequebantur eum, vt reuertentes ad propria potuiſſent dicere: Vidimus mirabilia hodie. Alij ſequebantur eum, vt videntes eius mirabilia & audientes eius doctrinam, potuiſſent eum in aliquo reprehendere: ſicut ſcribæ & phariſæi. Et quia hæc diuerſitas animorum erat in illis, ideo turbæ vocabulo cenſentur. Hoc ſecundum literam. Cæterùm ſecundū ſpiritualem intelligentiam, per montē deſignatur cœlum. *Deſcendente domino de monte*, id eſt, de cœlo veniente in mundum per incarnationis myſterium: *ſecu-*

tæ ſunt eum turbæ multæ generis huma-
mani per fidem. Niſi enim ille deſcen-
diſſet, nemo hominum ad cœlos aſcen-
diſſet. Antè quam ergò filius Dei domi-
nus noſter Ieſus Chriſtus veniſſet in mũ-
dum per incarnationem, vna tantũmo-
do turba.i. plebs Iudaica ſequebatur eũ
credendo, iuxta quod Pſalmiſta dicit:
Notus in Iudęa Deus. Sed póſtquã Do-
minus incarnatus apparuit, & euange- *Pſa.75.*
lium in mundo prædicauit; necnon &
poſt reſurrectionem ſuam vndè vene-
rat rediit, id eſt, ad cœleſtem patriã mul-
tæ turbæ ex omnibus gentibus ſecutæ
ſunt eum, credendo, diligendo, & præ-
cepta eius implendo. Sequuntur etiam
quotidie & ſequẽtur vſq; ad finẽ ſeculi.
Et ecce leproſus veniens adorabat eum dicẽs:
Iſte leproſus nõ poterat cũ dño aſcende-
re in mõtem, quia infirmus erat, & ideo
in valle præſtolabatur aduentum eius.
Domine ſi vis. In voluntate domini tri-
buit poteſtatẽ dicens: *Domine ſi vis potes
me mundare.* Ac ſi diceret: Placuit tibi vt
hac lepra perfunderer, placeat etiam ti-
bi vt hac lepra munder. *Et extendens ma-
num tetigit eum.* Quare tetigit dominus
leproſum, cum lex præciperet non tan-
gere leproſum. Nunquid, non ſine ta-
ctu poterat eum dominus ſanare à le-
pra? Poterat vtique: Sed vt dominus
demonſtraret, quia dominus erat legis, *Leu.13.*
nec

nec contaminari timebat vt homines, ideo voluit leproſum tangere, vt ſuo tactu fugeret lepra ab eo. Nullo modò ergò à lepra coinquinari poterat: qui alios ab infirmitate liberabat *Volo mundare.* Vide quàm humilis reſponſio Domini, Leproſus dixerat. Si vis. Domin⁹ reſpondit: Volo Leproſus dixerat: Potes me mundare. Dominus reſpondit imperatiuè. Mundare, id eſt, ſis ſanus. Non vt quidam putant, ſic iungendum eſt, ac legendum. Volo mundare: ſed ſeparatim. Volo, deinde imperat, mundare. *Et confeſtim mundata eſt lepra eius.* Nullum medium eſt inter præceptum Dei & opus eius, quia in præcepto & verbo eius eſt operatio illius, iuxta illud quod

Pſ. 148 Pſalmiſta, dicit de eo. Ipſe dixit & facta

Gene. 1. ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Ipſe dixit in exordio mundi. Fiat lux & ſtatim facta eſt lux. Ipſe dixit fiat firmamentum, & ſtatim factum eſt firmamentum. Ipſe dixit leproſo: Mundare, & ſtatim ſanus effectus eſt. *Et ait illi Ieſus: Vide nemini dixeris.* Quare præcepit ei Dominus leproſo dicens: Vide, id eſt, caue nemini dixeris, quod à me curatus ſis, cùm alibi ipſe præcipiat dicens. Sic

Mat. 5. luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent, non vos, ſed patrem veſtrum qui in cælis eſt. Vt daret nobis exemplum & cle-

electis ſuis, quotienſcunque aliquid bo
ni gerimus non ſolum abſtinere à mer
cede pecuniæ debere, ſed etiam à merce-
de laudis humanæ, ne fortè dicatur no-
bis in examine extremi iudicij à Domi- *Mat. 6.*
no. Recepiſtis mercedem veſtram, id eſt,
laudem humanam. *Sed vade oſtende te ſa
cerdoti.* Legimus in ſancto euãgelio mor
tuos ſuſcitatos, cæcos illuminatos, para
lyticos curatos, dęmoniacos dęmonib⁹
liberatos, & varijs languoribus oppreſ-
ſos, à Domino ſaluatos, ſed nullum ex
his omnibus legimus miſiſſe Dominum
ad ſacerdotes, niſi ſolùmmodò leproſos *Mat. 8.*
ſicut hic & ſicuti alio loco demõſtratur. *Luc. 37*
Quare hoc? Non ſine cauſa. Primum i- *Leu. 14*
deo miſit Dominus leproſos ad ſacerdo
tes, ne infringere videretur legem, quia
lex præcipiebat, vt quicunque leproſus
fuiſſet, accederet ſacerdotes, & per il-
lorum iudicium ſequeſtraretur à ſocie-
tate ſanorum. Mundatus autem à lepra
iterum per iudicium ſacerdotum, reci-
peretur intra caſtra. Spiritualiter ſacer-
dotium Iudæorum figuram gerebat ve-
ri ſacerdotij quod modo agitur in ſan-
cta eccleſia cuius ſacerdotij Chriſtus eſt
princeps, cui dicitur à Deo patre per
Pſalmiſtam. Tu es ſacerdos in æternum *Pſ. 190.*
ſecundum ordinem Melchiſedech. Le-
pra ſignat infidelitatem, originale pec-
catum, & Hæreticam Iudaicamq́; praui-
tatem

tatem ſeu perfidiam. Omnis ergò ſiue paganus, ſiue Iudæus, ſiue hæreticus, ſiue falſus Chriſtianus, qui originali & actuali peccato grauatur, & qui facit homicidium, adulterium, & criminalia peccata, & fidem quam habet operibus denegat, leproſus eſt, id eſt, peccator. Iſte talis neceſſe eſt, vt accedat ad ſacerdotem, & oſtendat lepram, id eſt, confiteatur ei peccata ſua, & per iudicium ſacerdotum debet ſe abſtinere ab introitu eccleſiæ, donec mundetur per pœnitentiæ lamentum. Expleta verò digna pœnitentia, iterum per iudicium ſacerdotum recipiatur intra caſtra, id eſt, ſocietatem ſanctæ eccleſiæ & reconcilietur altari, & communicetur corpore & ſanguine domini. Vel ideo miſit dominus leproſum ad ſacerdotes, vt daret nobis exemplum honorem deferendi ſacerdotibus, per quorum miniſterium initium ſalutis noſtræ inuenimus. Per illos etenim, id eſt, per ſacerdotes baptizamur aqua, & confirmamur ſpiritu ſancto, & per illos mittimur ad patriam cœleſtem. A quibus ergò tanta accipimus, dignum eſt, vt honorem illis impendamus. Vel ideò miſit dominus leproſum ad ſacerdotes Iudæorum, vt videntes illi ſacerdotes leproſum per virtutem domini ſanatum, crederent in eum & ſaluarentur. Si verò noluiſſent credere, inexcu

cuſabiles fierent in die iudicij de aduentu eius. Et hoc eſt, quod dominus ſubſequitur dicendo: *Et offer munus tuũ, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis* ſacerdotibus. Si voluerint in me credere, oſtende te illis in teſtimonium ſalutis illorum, ſi autem in me credere noluerint oſtende te illis in teſtimonium damnationis illorum. Iſte homo vt Lucas teſtatur totus fuit leproſus. Aliquando ſolum caput occupat lepra, aliquando barbam, aliquando totum corpus. Spiritualiter autem iſte qui totus fuit lepra perfuſus genus humanum ſignat, quod adueniente domino in carne, totum erat leproſum, id eſt, peccatis languidũ: Omnes erant peccatores, ſecundũ quod Paulus Apoſtolus dicit: Non enim eſt diſtinctio Iudæi, & Græci: omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei. *Rom. 2. & 10.*
Indigebat nanque genus humanum vero medico domino: per cuius paſsionem & ſanguinem mundaretur ab omnibus peccatis, ſicut & factum eſt. Ipſe dominus lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & quotidie mundatur genus humanum à peccatis per fidem, per gratiam baptiſmi, per dilectionem veram, & operationem bonam. *Apo. 3.* Quid ergò faciendum eſt generi humano poſt quam mundatum fuerit à peccatis? Domino Ieſu Chriſto

qui

qui eſt verus ſacerdos, debet munus, id eſt, corpus & animam offerre imma- culatè viuendo, iuxta quod Apoſtolus
Ro. 12. dicit: Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſti- am viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. *Cùm au- tem introiſſet Capernaum.* Capernaum ci- uitas eſt metropolis Galilææ prouinciæ, & interpretatur Capernaum ager con- ſolationis, ſiue villa pulcherrima, & ſi- gnat Eccleſiam gentium. Quæ eccleſia ideo dicitur villa pulcherrima, propter diuerſos ordines qui in ea conſiſtunt, id eſt, prælatorum, continentium, & cõ- iugatorum. Ager conſolationis dicitur eccleſia, quia illi qui peccata ſua vel alio- rum deflent, & de infidelitate conuer- tuntur ad fidem, & de peccato redeunt ad pœnitentiam, ibi recipiunt conſola- tionem. Qualem conſolationem? Spem regni cœleſtis, dicente domino: Pœni- tentiam agite, appropinquabit enim re-
Mat. 4. gnum cœlorum. *Acceſſit ad eum Centurio.* Centurio eſt nomen officij non natu- ræ. Centurio dicitur qui centum militi- bus præeſt: ſicut quaternio qui quatuor: & decanus, qui decem: & quinquagena- rius, qui quinquaginta militibus præ- eſt, & millenarius, qui mille. Idem dici- tur & tribunus. *Acceſſit ad eum Centurio.* Hic oritur quæſtio, quare dicit Matthę-
Cen-

Centurionem per ſe acceſsiſſe ad dominum: cùm Lucas dicit non illum acceſsiſſe ad dominum, ſed ſeniores Iudæorum miſiſſe. Qui venientes ad dominũ dixerunt ei: Dignus eſt vt hoc illi præſtes, diligit enim gentem noſtram. & ſynagogam ipſe ædificauit nobis. Quomodo poteſt vtrunque verũ eſſe, quod Matthæus dicit, & quod Lucas dicit? Vtrique fuerunt repleti ſpiritu ſancto, & vtrunque verum eſt. Rectè nanque dicit Matthæus, ipſum Centurionem per ſeipſum acceſsiſſe ad dominum, quia fides eius & dilectio per internuncios ad dominum perlata eſt. Similiter & ille Centurio, qui domi remanſit, plus acceſſit ad dominum, quàm qui eius verba detulerunt. Quare? Quia per fidem acceſsit & dilectionem, iuxta quod Pſalmiſta dicit: Accedite ad eum & illumina mini fide & dilectione. Sicut enim mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur, plus acceſsit ad dominum quàm turba quæ eum comprimebat: ita & iſte. *Rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet paralyticus in domo, & malè torquetur.* Paralyſis Græcè, Latinè dicitur diſſolutio membrorum. Hic puer qui erat ſeruus Centurionis, tres infirmitates patiebatur: Languidus erat, & paralyticus iacebat, & à dæmonio vexabatur. Tunc temporis alij rogabant pro filias

Luc. 7.

Pſa. 33.
Matt. 9
Luc. 8.

Ioan. 4

liabus, alij pro propinquis: quando iſta facta ſunt quæ præſens lectio euangelij narrat, alij pro infirmitate ſua. Iſte Centurio pro ſeruo rogauit, & ideo impetrauit illi ſanitatem. *Et ait illi Ieſus: Ego veniam & curabo eum.* Legimus in Euange. ſecundum Ioannem, quendam regulum ad dominum acceſsiſſe, & deprecatum illum fuiſſe, vt veniret & ſanaret filium eius, quia incipiebat mori: ſed dominus noluit ire. Quid eſt hoc quod dominus ad filium reguli ire noluit, & ad ſeruum Centurionis ire non recuſauit, dicens: Ego veniam & curabo eũ, niſi quod ſuperbia noſtra in hoc facto retunditur? Quia neſcimus conſyderare homines propter homines. Dum enim diuitias & potẽtias huius ſeculi veneramur in hominibus, negligimus penſare quid ſunt, id eſt, naturam, quia ad imaginem Dei facti ſunt, ſicut & nos. Sed vt demõſtraret Dominus, quia quę hominibus huius ſeculi alta ſunt, ſanctis deſpicienda ſunt, & quæ hominibus ſecularibus deſpecta habentur, ſanctis deſpicienda non ſunt, ideo ad filium reguli noluit, ſed ad ſeruum Centurionis ire paratus fuit. *Et reſpondens Centurio, ait: Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Quare dixit, domine non ſum dignus, vt intres ſub tec

tectum meum, ſed tantũ dic verbo. Cau‑
ſa humilitatis dixit hoc iſte Centurio,
ſicut Petrus quando cœperũt multitudi‑
nem piſcium, ita vt nauicula mergere‑
tur, quando dixit: Exi à me domine,
quia homo peccator ſum. Et ſicut Gera‑
ſeni, videntes præcipitationem porco‑
rum ſuorum in mare, rogauerunt eum,
vt exiret à finibus eorum. Et licet fide
Dei omnipotentis fuiſſet præditus, non
dum tamen ſacro baptiſmate renatus,
putabat ſe præſentia domini magis gra
uari, quàm iuuari. Et ideo dixit: Domine nõ
ſum dignus, vt intres ſub tectum meũ.
Tres virtutes habuit iſte Cẽturio in ſe,
fidem, prudentiã, & humilitatem. Fidẽ
habuit, in hoc quòd ſolo verbo credi‑
dit poſſe ſanari ſeruum ſuum. Pruden‑
tiã, in hoc, quod cognouit latere intra
humanitatem diuinitatẽ filij Dei. Humi‑
litatem in hoc, quod indignum ſe iudicauit
cuius tectũ intraret dominus. Nã & e‑
go homo ſum ſub poteſtate conſtitutus
aut ſub poteſtate regis, aut comitis, aut
tribuni. Quaſi dicat: Ego homo, tu Deus,
ego infirmus tu potẽs, ego ſub poteſtatẽ
alterius cõſtitutus, tu ſub poteſtate nul‑
lius ſubſiſtis. Ego habeo ſub me milites
.i. iuniores meos ſeruos, quibus poſſum
imperare, vt faciãt hoc & illud, & ſtatim
faciũt quod præcipio. Et tu habes milites tu
os .i. Angelos, quibus potes imperare vt

ſanitatem ſeruo meo ſcilicet reſtituant & contrariam infirmitatem ab eo repellant. Si dixeris infirmitati, recede: ſtatim recedet. Si dixeris ſanitati, veni: ſtatim veniet. Si enim volueris dicere, potes imperare militibus tuis, id eſt, angelis, & ſtatim fiet quod tu præceperis. Magnam fidem iſte Centurio habuit. *Audiens autem Ieſus, miratus eſt fidem Centurionis.* Certè qui eum mirabatur exteriùs, ille idem dominus operabatur eandem fidem interiùs in corde Centurionis. Quod dominus miratur, hominibus mirandum eſſe oſtendit. Miranda erat fides Centurionis qui ſine doctrina legis, & prophetarũ, & ſine modulatione pſalmorum, ſola fama vulgante de domino Ieſu Chriſto credidit. *Et ſequentibus ſe turbis,* dixit: *Amen dico vobis,* id eſt, verum dico vobis, *non inueni tantam fidem in Iſrael.* Non loquitur hic dominus de patriarchis, Abrahã Iſaac, & Iacob, qui perfectam fidem habuerunt, ſed de Iudæis qui tunc temporis præſentes aderant. De illis loquitur hic dominus, dicens: Non inueni tantam fidẽ in Iſraẽl, id eſt, in populo Iſraëlitico, *Dico vobis,* id eſt, teſtificor vobis, quaſi diceret, iuro vobis. *Multi venient ab Oriente & ab Occidente.* Per iſtas duas plagas mundi, id eſt, Orientem & Occidentem poſſumus intelligere ſeptentrionem & me-

meridiem. Multi venerunt & veniunt quotidie ad fidem a quatuor partibus mundi, & recumbunt, & requieſcũt primum in præſenti ſeculo per fidem. Finito autem præſenti ſæculo, *recumbent*, id eſt, requieſcent *cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum*, id eſt, in gloria. Vel aliter: Per Orientem deſignantur hi qui nuper illuminati abluuntur per baptiſmum, & continuò tranſeunt ad patriam cœleſtem: Per Occidētem poſſunt hi deſignari qui poſt tribulationes & martyria tranſeunt ad patriam cœleſtē, ſicut fecerunt ſancti martyres. *Multi venient ab Oriente*, id eſt, ab initio: *& Occidente*, id eſt, poſt multas tribulationes & martyria perpeſſa: *& requieſcent in regno cœlorum. Filij autem regni*, id eſt, Iudæi, in quibus anteà regnauit Deus, de quibus dicitur per Pſalmiſtam. Notus in Iudęa Deus. *Pſal.75* *Illi mittentur in tenebras exteriores*, quia repulerunt à ſe lumē verũ.i. Chriſtũ, qui dicit: Ego ſum, lux mundi. Ideo mittētur in tenebras exteriores.i. in noctem æternæ damnationis in inferno. *Ioan.8.* *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. Per fletũ oculorum intellige ignem, quia ex igne naſcitur fumus, & ex fumo naſcitur fletus oculorũ. Per ſtridorē dentiũ, intellige frigoris magnitudinem. Inter cætera mala quæ in inferno ſunt, duo mala ibi præualent, ignis & frigus. Vnde dicit

Iob: A calore nimio, trãſibunt ad aquas niuium. Et ab aquis niuium, tranſibunt ad calorem niuium. *Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti*, à me ſanari poſſe ſeruum tuum, *fiat tibi*, id eſt, ſit ſanus. *Et ſanatus eſt puer ex illa hora.* Per fidem domini ſui meruit ille ſeruus ſanari. Similiter fit modò in ſancta Eccleſia per fidem dominorum, qui iuſtè & ordinatè pręſunt ſeruis ſuis, merentur ſerui ſanari. Iſte Centurio gentilis erat, & primitias gentium crediturarum ſignabat. Gentes quando venerunt ad fidem in centenario numero conſiſtebant. Cẽtenarius de leua tranſijt ad dexteram. Per dexteram, deſignantur gaudia æterna: vndè dicitur in Cantico Canticorũ. *Cant. 2.* Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Rectè ergò gentiles in centenario numero conſiſtebant, qui de ſiniſtra transferuntur ad dexteram: quia non crediderunt propter temporalia commoda, ſed propter gaudia æterna, quę deſignantur per dexteram. Ideo crediderunt, vt ad præmia cœleſtia venire mererentur, ad quæ præmia percipienda nos perducat dominus Ieſus Chriſtus, qui viuit & regnat, &c.

Dominica ſeptuageſimæ.

Homilia ſuper eo verbo,

Matt. XX.

Simile

S*imile eſt regnum cœlorum homini patriſfamiliàs, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam.* Et reliqua. Intellectus huius lectionis ex ſuperioribus dependet, quibus dicitur: Multi erunt primi nouiſsimi, & nouiſsimi primi, quē verſiculū in ſubſequentibus explanabimus. *Regnū cœlorū*, in hoc loco eccleſiam, id eſt, congregationē ſanctorum poſſumus intelligere quia dum electi in præſenti ſeculo nihil terrenum appetunt, ſed per mentis contemplationem toto niſu cordis & corporis ad patriam cœleſtem tendunt, in eorum cordibus quaſi in cœleſtibus dominus regnat. Iſte paterfamilias Deus pater intelligitur, qui ſic in hoc mundo regnat, homines quos condidit veluti qualibet terrena poteſtas, gubernat & regnat quos in domo ſua nutrit. Cui patriſfamiliâs, id eſt, Deo patri, tunc aſsimulatur regnum cœlorum, id eſt, ſancta eccleſia, quum ſanctitatē illius imitari ſtudet, iuxta quod ipſe dicit per prophetā: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum dominus Deus veſter. In quantum homo ſanctitatem imitatur, in tantum ſimilis Deo efficitur. *Qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam.* Quod deſignatur per regnum cœlorū, hoc deſignatur per vineam, id eſt, præſens eccleſia. Quę vinea, id eſt, præſens eccleſia ab initio *Leu.11.*

vſque ad finem ſeculi, quod ſanctos pro tulit & profert quotidie, quaſi tot palmites miſit & mittit. Per primum mane debemus intelligere omne tempus primæ ætatis ab Adam vſque ad Noë. Horam tertiam à Noë vſque ad Abraham, Horam ſextã ab Abrahã vſque ad Moyſen. Horã nonam à Moyſe vſque ad aduentum domini. Iſta hora fuit maxima, vndecimam ab aduentu domini vſque ad finem ſeculi. In quibus diuerſis horis temporum, nõ deſtitit Deus operarios, id eſt, prædicatores ſuos, mittere in vineam ſuam, in ſanctam eccleſiam: qui ſiue verbis ſiue ſcriptis, ſiue operibus iter vitæ aliis demonſtrarent. Poſſumus & eaſdem diuerſitates horarum ad ætates humanas referre. Primum mane intelligitur infantia, vel pueritia: hora tertia, intelligitur adoleſcentia: hora ſexta, iuuentus, hora nona, ſenectus: hora vndecima, intelligitur ea ætas quæ veterana dicitur. Sunt qui veniũt ab infantia, vel in pueritia ſua ad ſeruitium Dei omnipotẽtis, hi veniunt prima hora. Et ſunt qui veniunt ab adoleſcentia ſua: hi veniunt hora tertia: ſunt qui veniunt in iuuentute ſua, hi veniunt hora ſexta. Et ſunt qui in ſenectute ſua, hi veniunt hora nona. Sed qui in decrepita ætate, quæ veterana dicitur, cõuertuntur ad ſeruitiũ Dei omnipotẽtis, hi veniũt hora vnde-

decima. *Conuentione facta cum operarijs ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.* Denarius nomen & imaginẽ regis quondam continebat, & à numero decem denariorum vocatus eſt denarius, quia quomodò habent decem nummi denarij, hoc antiquis diebus habebat vnus denarius. Primus homo Adam ad imaginem & ſimilitudinẽ Dei factus eſt: quia ſicut Deus æternus & immortalis eſt, ita hominem æternum & immortalem condidit, niſi peccaſſet. Vbi peccauit ſtatim denarium, id eſt, ſimilitudinem & imaginem Dei amiſit. Eiectus eſt de paradiſo & factus eſt iniuſtus, qui anteà iuſtus erat: & factus eſt mortalis, qui anteà erat immortalis. Vt autem illum denarium, id eſt, illam imaginem & ſimilitudinem Dei quam perdidimus in primo homine peccante, recuperare poſsimus, ideo venimus in vineam, in ſocietatem ſanctæ eccleſiæ credendo, & baptiſmi ſacramentum recipiendo. In baptiſmo etenim recipimus imaginem Dei: quia mundamur ibi ab omnibus peccatis & originalibus & actualibus ſanctificamur. Similitudinem Dei ibi recipimus, quia ſi poſt baptiſmum ſtuduerimus nos ſeruare à peccatis, æternaliter cum Deo viuemus in anima ſola vſque in diẽ iudicij. Poſt diẽ iudicij in anima ſimul & corpore. *Circa vndecimam verò*

 exijt,

exijt. Per vndecimã horam (vt diximus) deſignatur omne tẽpus ab Adã vſq; ad finẽ ſeculi. In vndecima verò hora. i. in nouiſsima ætate ſeculi, exiuit dñs in gẽtes per Apoſtolos ſuos, quibus dixit: Eũtes in mundum vniuerſum, prędicate euangeliũ omni creaturæ. Illi aũt profecti prædicauerunt vbiq; dño cooperante, & ſermonẽ cõfirmante ſequentibus ſignis. Tunc impletum eſt illud Pſal. In omnem terrã exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorũ. Et, non ſunt loquelæ neq; ſermones quorũ non audiantur voces eorũ. Anteà defecit eis terra, id eſt lingua. *Et inuenit alios.* i. gentiles *ſtãtes in foro otioſos.* i. à bono opere quieſcentes. Operator primæ horæ, tertiæ, ſextę, & nonæ. Iudaicus populus fuit qui penè ab exordio mundi in dominum credidit. In vndecima hora gentiles vocantur ad fidem per Apoſtolorum prædicationem quibus dicitur: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Dum enim gentiles ab exordio mundi à bono opere & à fide torpentes erãt, quaſi tota die otioſi ſtabãt, *Reſponderunt & dixerunt: Nemo nos conduxit.* i. nemo vias vitæ nobis prædicauit, nullus patriarcha, nullus propheta, nullus angelus miſſus eſt ad nos qui in vineam tuam, id eſt, in ſanctam eccleſiam nos introduceret & vias vitæ demõſtraret; ideo alieni ſum⁹ à ſeruitio tuo. Quid

ergò

ergò nos in die iudicij in excuſatiōe noſtra dicturi ſumus, qui penè ab ipſis cunabulis verbum vitæ audiuimus? dicit eis: *Ite & vos in vineam meã.* i. credite in me & baptizamini, cõfirmamini ſpiritu ſctõ. *Et quod iuſtum fuerit dabo vobis.* i. vitam æternam. Qui ſunt qui laborant in vinea Domini. i. in ſancta eccleſia? Qui lucrum animarum quærunt, qui ſecum alios ad vitã æternam pertrahere feſtinant verbo & opere. *Cũ ſero autem factũ eſſet.* Sicut per mane intelligitur initium mundi, ita & per ſero intelligere poſſumꝰ finẽ ſeculi. Hoc eſt illud ſero de quo Ioan. euang. dicit: Filioli mei nouiſsima hora eſt. *Dixit dominus vineæ.* Dominus vineæ, Deˢ pater intelligitur, qui in hoc mundo gubernat homines quos creauit *procuratori ſuo* procurator Dei patris, filius eſt dominus Ieſus Chriſtus, quia pater non iudicat quenquã, ſed omne iudicium dedit filio. Cui etiam tradidit eccleſiam ſuam gubernandam: quam ipſe filius proprio ſanguine ſuo redemit, & baptiſmate ſuo quotidie abluit, & ſpiritus ſancti donũ tribuit, corpore ſuo etiã & ſanguine quotidie paſcit. *Voca operarios tuos*, Quando vocabit Deus Dominus Ieſus operarios? In die iudicij, quando implebitur illud quod ipſe dicit: Venit hora quando omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei: &

1. Ioã. 2.

Ioan. 5.

& qui audierint viuent. Tunc, id eſt, in die iudicij reddet ipſe Deus *mercedem operarijs ſuis*, ſcilicet vnicuique ſecundũ opera ſua *incipiens à nouiſsimis*, id eſt, gentilibus *ad primos*, id eſt, Iudæos, Iudei enim qui primi fuerũt in fide, de quibus
Pſal. 76 Pſalmi. dicit· Notus in Iuda à Deus, nouiſsimi efecti ſunt in perceptione denarij. i. in perceptiõe regni cœleſtis: & gẽtiles qui nouiſsimi fuerunt in fide, primi efficiuntur in perceptione regni cœleſtis. Quare hoc? Quia patres veteris teſtamenti regnum cœlorum cum magna dilatione perceperũt, & percipiunt quotidie nunc fideles ſine vlla tarditate: in tantum, vt ſi ille qui baptizatus eſt, vt aſcendit de fonte, ſtatim mortuus fuerit, abſque vlla dilatione temporum, tranſeat ad patriam cœleſtem. *Quum veniſſent autem hi qui circa horam vndecimam venerant, acceperunt ſingulos denarios, Venientes autem & primi arbitrati ſunt*, id eſt, *eſtimauerunt quod plus eſſent accepturi.* Eundem denarium, id eſt, eandem remunerationem, vel eandem vitam æternam receperunt gentiles, & recipient quotidie qui in nouiſsimo tempore crediderint, quẽ perceperũt patriarchæ & prophetæ qui præceſſerunt aduentum domini. In cœlo vna vita æterna eſt omnibus, quia nullus ibi amplius viuere poteſt alio, ſed omnes æqualiter viuent; tamen propter

pter diuerſitates meritorum, diuerſæ ſunt ibi manſiones, iuxta quod dominus dicit. In domo patris mei multæ manſiones ſunt. Sicut verbi gratia: In vno cælo ſol & luna & ſtellæ conſiſtũt, tamen diſsimiliter fulgent, quia claritas ſolis maior eſt quam claritas lunæ, & claritas lunæ maior eſt quàm luciferi, & claritas luciferi maior eſt quam claritas cæterarum ſtellarum. Similiter in reſurrectione iuſtorum erit, vnam vitam æternam percipiẽt omnes ſancti, ſed pro qualitate meritorum diuerſa erit dignitas remunerationis. Qui enim plus laborauerint in præſenti ſeculo pro vita æterna, maius præmium à Deo percipient. *Et accipientes murmurabant aduerſus patrem familiâs dicentes.* Illi qui murmurauerunt Iudæi intelliguntur, qui ſemper inuidiam habuerunt contra gentiles Sed quærendum eſt, quomodo murmurare poſsit qui regnum cœlorum à domino percipit? Murmuraſſe patriarcharum, & prophetarum fuit, rectè credidiſſe, & rectè vixiſſe, & Dei præcepta ſeruaſſe, ſed poſt longa tempora & poſt longam ſeruitutem bonorum operum non ad cœlos aſcendiſſe ſed ad inferni clauſtra deſcendiſſe, donec Ieſus Chriſtus per incarnationis myſterium veniret in mundum, & ſua poteſtate deſtrueret eum qui habebat mortis imperium,

Ioã.14.

 id

id eſt, diabolum, & deinde per ſemet‐ipſum ianuam regni cœleſtis aperiret credentibus in ſe. *Hi nouiſſimi vna horã fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus.* Ferre pondus eſt aduerſa iſtius ſeculi diu tolerare & tentamenta carnis vincere. In hoc ergò ſancti patriarchæ & prophetæ & cæteri iuſti qui ante aduentum domini fuerunt, pondus diei portauerunt: quia aduerſa huius ſeculi longo tempore tolerauerunt & æſtum, id eſt, calorem corporis ſui viriliter refrenauerunt. Quia quos diu hic, id eſt, in præ‐
Gen. 17 ſenti vita contigit viuere, diu etiam contigit mala ſeculi ſuſtinere, vel aliter. Põdus diei portauerunt Iudæi, quia octauo die natiuitatis circuncidebant filios ſuos ſecundum legis præceptum, & per ſingulas hebdomadas ſe baptizabant, & ter in anno feſtiuitatem ſolennem celebrabant. Aeſtum diei portauerunt quia mane & veſpere offerebant ſacrificia domino, & iugiter nutriebant ignem in altari carnibus & lignis. Cætera etiam legalia veteris teſtamenti penè impoſsibilia cogebantur obſeruare. *At ille reſpondens vni eorum dixit. Amice non facio tibi iniuriam.* Amicum vocat, quia in vineã domini vocatus fuit. Ius dicitur lex, Iniuria dicitur quicquid contra legem agitur. *Amice non facio tibi iniuriam,* id eſt,

eſt, non facio tibi contra legẽ. *Nónne ex denario con venisti mecum?* Mea conuentio & tua fuit, vt vnum denarium, id eſt, vitam æternam darem tibi. Ipſam vitam æternam pro qua ſeruiſti mihi, tribuo tibi. Quare ergò à me quæris amplius? *Tolle quod tuum eſt*, tolle tuum denarium. i. vitam æternã, *& vade*. i. intra in vitam æternam. *Volo & huic nouiſsimo* .i. gẽtili dare: *ſicut & tibi* Iudęo, *an nõ licet mihi quod volo facere*? ac ſi diceret. Nunquid tu vis auferre poteſtatẽ meam? Hic datur nobis intelligi, quia prę miũ vitæ æternæ nõ ex meritis noſtris eſt, ſed gratia Dei. *An oculus tuus nequã eſt*. i. intẽtio mentis tuæ praua eſt, *quia ego bonus ſum. Sic erũt noui ſsimi primi & primi nouiſsimi.* Sicut illi qui venerunt prima hora in vineã, effecti ſunt nouiſsimi in perceptione denarij. Simili modo in ſancta eccleſia Iudęi fuerũt primi per fidẽ, ſed nouiſsimi effecti ſunt per infidelitatẽ, & gẽtiles fuerunt nouiſsimi per infidelitatẽ, ſed primi effecti ſunt per domini miſericordiã. Iudæi fuerũt quõdam in capite, modò ſunt in cauda. Et gẽtiles qui quõdam fuerunt in cauda, modò ſunt in capite. Vel aliter. *Sic erunt nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi.* Ita ſolet fieri nunc in ſancta eccleſia. Verbi gratia: Eſt modò aliquis in ſeculo homicida, adulter, ſacrilegus, & periurus, & multis criminalibus

ſus peccatis irretitus, venit ad ſenectutem & in ſenectute conuertitur in ſeruitium Dei omnipotentis & affligit ſe pro peccatis ſuis, in oratione, in vigiliis, & ieiunio. Pœnitentia expleta per paucum tempus tranſit in regnum cælorum. Et eſt talis in eccleſia, qui ab infantia ſua ſeruiuit Deo omnipotenti in clericali habitu, & patitur multas tribulationes in Dei ſeruitio ad ſenectutē, poſtmodum tranſit ad regnum cælorum. Iſte talis qui ab infantia ſua Deo ſeruiuit, cùm deberet primus eſſe in perceptione regni cæleſtis, ſi Deo placuiſſet, fit nouiſsimus. Et ille qui de ſeculo in ſenectute ſua conuertitur ad ſeruitium Dei, fit primus, cùm deberet eſſe nouiſsimus: *Multi enim ſunt vocati* (per fidem) *pauci verò electi* per operationem. Omnium vox Chriſtum clamat, ſed non omnium vita Chriſtū clamat. De talibus dicit Paulus Apoſtolus: Cōfitentur ſe noſſe Chriſtum, factis autem negāt. Sicut enim in

Tit.1.

area paleæ permixtæ ſunt granis, cū aūt ſeparatæ fuerint: paleæ à granis, grana implent horreū dominicū. Similiter in die iudicij cùm reprobi ſeparati fuerint ab electis implebunt, electi horreū dominicū. i. patriam cæleſtem, dicente ſibi domino: Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratū eſt ab origine mūdi: reprobi deputabuntur ad pœ-

pœnas perpetuas, de quibus nos liberare dignetur dominus Ieſus Chriſtus, qui cum patre & Spirituſancto viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorũ. Amẽ.

Dominica in ſexageſima.

Homilia ſuper eo verbo, Lucæ. VIII.

CVm turba plurima cõueniret ad Ieſum. Cùm turba plurima veniret, &c. Vbicũque in ſacra ſcriptura vocabulum turbę audimus, diuerſas voluntates intelligere debemus. *Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarẽt ad Ieſum, dixit per ſimilitudinem.* i. per parabolam. Quia parabola græcè latinè dicitur ſimilitudo, eò quód aliud ſonat exteriùs, & aliud continet interiùs. *Exijt qui ſeminat*, hanc parabolam Dominus ideo per ſemetipſum exponere dignatus eſt, vt in reliquis parabolis quas ipſe nõ expoſuit, ſpiritalem intelligentiam doceret eſſe requirendam. Quæ Dominus expoſuit fideliter ſuſcipienda ſunt. quæ autem non expoſuit, requirenda & conſtringenda ſunt breuiter. Expoſuit nanque quid ſit ſemen, quid via, quid petra, quid ſpinę, quid terra bona: tamen quis eſſet ſator, id eſt, ſeminator non expoſuit, quem nobis ad inquirendum reli-

quit. Sed nos iſtum ſatorem nullũ me-
liùs poſſumus intelligere, quã ipſum do
minum Ieſum Chriſtum, qui exiens de
ſinu patris, quo creaturæ humanæ eſ-
ſet aſcenſus: venit in mundum per incar
nationis myſterium, & cœpit ſemina-
re ſemen ſuum, id eſt, prædicare Euange
licam doctrinam, quæ modò recitatur
in Eccleſia: *& dum ſeminat, aliud ſemen ce
cidit ſecus viam*, id eſt, iuxta viam, *& con-
culcatum eſt, & volucres cœli comederunt il-
lud.* Semen quod ſecus viam cecidit, du-
plici læſura diſperijt, & à viatoribus, ſci
licet, eſt conculcatum, & à volucribus ra
ptum. Per viam deſignatur cor negligẽ-
tis hominis, in quod cor ſi ceciderit ſe-
men, id eſt, verbum Dei, à viatoribus, id
eſt à malis cogitationibus conculcatur:
& à volucrib⁹ rapitur & ſupplãtatur: id
eſt, à dæmonibus. Qui ideo volucres cœ
li appellantur, quia per hunc aërem diſ-
currunt, qui ſæpe in ſcriptura ſacra cœ
li nomine cenſetur: vel quia tales cœle-
ſtis ſunt naturæ. Tunc nanque rapiunt
dæmones, non ad vtilitatem ſui ſemen
verbi Dei à corde auditorum, quando
immittunt eis obliuionem, vt nullo mo
do fructum bonæ operationis ferre va-
leant, vndè ſaluentur: *& aliud cecidit ſu-
pra petram.* Per petram deſignatur cor
durum & indomitum, ſuperbum, tumi-
dum, inflatum, & inmite. In quod cor
ſi ce-

ſi ceciderit ſemen, id eſt, verbum Dei oritur, quia plerique ſuperbi & tumidi, quũ audiunt verbum Dei, cum gaudio ſuſcipiunt illud. Sed quum tempus tentationis aduenerit, id eſt, mala cogitatio, vel mala voluntas areſcit verbũ Dei in cordibus eorum. Quare? Quia nõ habet humorem verbum Dei: vel non habet humorem, i. perſeuerantiam in bono opere. *Et aliud cæcidit inter ſpinas, & ſimul ſpinæ exortæ ſuffocauerunt illud.* Per ſpinas, ſicut in ſequentibus Dominus dicit, deſignãtur diuitiæ. Sed quærẽdũ eſt, quare Dñs ſpinas diuitias ſignare dixit, quum illæ pungant, & ſpinæ iſtæ delectent, id eſt, diuitiæ. Ad quod reſpondẽdum eſt, quòd omnis qui vult diues fieri in pręſenti ſeculo, diu noctuq; anxiatur, cogitans quibuſcunque modis, quibuſcunque ingenijs diuitias acquirere poſsit, per phas & nephas. Cùm adeptus fuerit eas, reſoluitur in voluptatem, manducãdo, bibendo, luxuriando, faciẽdo quod videtur. Iterum pungitur timore, quia timet eas dimittere, quas cum ſummo labore acquiſiuit: dum taliter mentem deuaſtant, dum ſic diuitiæ mentem hominis vſque ad peccatũ pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentãt. Vndè & eaſdẽ diuitias Dñs ſecundum Marcum fallaces. i. mendaces appellat: fallaces ſunt, quia diu nobiſcum manere nõ poſſunt, fal- *Marc. 4*

fallaces ſunt, quia mentis noſtræ inopiā non excludunt, id eſt, expellunt. Veræ nanque diuitię ſunt: quę nos diuites virtutibus faciunt. Quæ ſunt hæ diuitiæ? Fides, charitas, continentia, ieiunium, & eleemoſyna. *Et aliud*, ſubauditur ſemē *cecidit in terram bonam, & ortum*, id eſt, natum *fecit fructum centuplum.* Per bonam terram, deſignatur cor mite & manſuetum, fructum centuplum, fructum perfectum dicit, quia per centenarium numerum in ſacro eloquio, ſumma perfectio deſignatur, ſicut Dominus dicit de eo qui omnia ſua pro eius amore dereliquit. Centuplum accipiet, id eſt, perfectionem mentis à Domino in præſenti ſeculo, vt ea quæ ſemel deſeruit, vlterius repetere nolit, & per hanc perfectionem in futuro vitam æternam à Domino obtinebit. *Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat.* Omnes homines qui tunc in præſentia Domini aderant, aures corporis habebant, ſed Dominus aures corporis non requirebat, ſed aures cordis, id eſt, intelligentiam verbi Dei. *Qui habet aures audiendi audiat*, id eſt, qui habet ſenſum intelligendi, intelligat ſpiritualiter quæ dico. Vbicunque enim hæc admonitiuncula legitur, ſiue in Euāgelio, ſiue in Apoſtolis, oſtēdit quiddam myſticum: quod loquitur Spiritus ſanctus. *Interrogauerunt autem eum diſcipuli*

puli quæ eſſet hæc parabola. Non ſtatim vt hanc parabolam finiuit Dominus, interrogauerunt eum diſcipuli eius. Sed ſicut Marcus dicit: cùm eſſet ſingularis, id eſt, remota turba interrogauerunt eũ quæ eſſet, id eſt, quid ſignaret hæc parabola. *Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei.* Regnum Dei hîc ſacram ſcripturam debemus intelligere. Vndè Dominus phariſæis & ſcribis alibi dicit: Auferetur à vobis regnum Dei, id eſt, ſacra ſcriptura, & dabitur genti facienti fructus eius. *Vobis datum eſt*, qua ſi diceret: Vobis Apoſtolis meis, qui fidẽ habetis & dilectionem, datum eſt à patre meo, & à me, *noſſe myſteriũ regni Dei*, id eſt, intelligere obſcuritatem parabolarum mearum, *cæteris autem in parabolis*, id eſt, in obſcuritate. Myſterium dicitur ſecretum, obſcurum, vel abſcõſum. Quare ſcribis & Phariſæis omnia fiũt in parabolis, id eſt, in obſcuritate? *Vt videntes non videant & intelligentes non intelligãt:* Scribæ & phariſæi qui putabant ſe legẽ & Prophetas ſpiritualiter intelligere, in parabolis Domini ignorantes erãt. Quare? quia non crediderant in eum. Et ideo dicit Dominus: vt videntes, hoc eſt, qui ſe putant ſpiritualiter dicta legis & prophetarum videre, non videant, id eſt, nõ intelligant ea quæ à me dicuntur. *Eſt autẽ hæc parabola.* Ipſe Dominus exponit:

Mar. 4.

Matt. 15

Semen eſt verbum Dei. Quod autem ſemen ce cidit ſecus viam, quod ſupra petrã, totũ hoc habemus dictum. *Quod autem in ſpinis cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus & diuitijs & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.* Solicitudo dicitur cura ſuperflua. Miram rem fecit Dñs, cũ ſpinas diuitias ſignificare voluit. Verè etenim diuitiæ iſtius ſeculi ſpinę ſunt, quia quicũque diuites volũt fieri, magnam ſolicitudinem ac curã ſuperfluam habent, quomodo diuitias acquirant, & cùm acquiſitas eas habuerint delectantur in illis, epulantur, bibunt ſuperfluè, luxuriãtur, & iterum reuertuntur ad curam & ad ſolicitudinẽ magnã, ne eas amittant. *Quod autem ſemen in bonam terram cecidit.* Per bonam terrã deſignantur corda bonorum hominum. *Hi ſunt, qui in corde bono*, i. intellectu bono, *audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* Non aufertur verbũ Dei de corde illorum per volucres, id eſt, per dæmones, vel per æſtũ, ſed quod in verbo Dei diſcunt, hoc opere cõplẽt. Et bene in patientia, quia nulla ſunt bona quæ agimus, niſi etiam mala proximorum ęquanimiter toleremus. Quod autẽ ſemẽ, aliud triceſimum, aliud ſexageſimũ, aliud centeſsimũ fructum fecit, ita intelligendũ eſt. Fructũ triceſimũ facit in nobis verbum Dei quando fidem

ſan-

ſanctæ trinitatis docet. Verbi gratia: Cũ *Eſa. 60.*
dicunt angelicæ poteſtates: Sãctus, ſan- *Pſal. 66*
ctus, ſanct9, ecce tota trinitas. Et Pſa. Be-
nedicat nos Deus, De9 noſter, benedicat
nos Deus, & metuãt eũ omnes fines ter
ræ. Et Paulus Apoſtolus: Quoniam ex *Rom. 11.*
ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.
Ecce ſimiliter tota trinitas. Fructum ſex
ageſimum facit in nobis verbum Dei,
quando bona operari nobis innuit, di-
cens: Honora patrem & matrem. Et dili
ges Dominum Deũ tuum ex toto corde
quia ſenarius numerus pro perfectione
operis accipitur, eò quòd in ſex diebus
perfecit Deus mundi ornamentum. Fru
ctum cẽteſimum facit in nobis verbum
Dei, cùm vitam æternam prædicat no-
bis, dicens: Pœnitentiam agite. Aliter *Matt. 4*
triceſimum fructum poſſumus referre
ad coniugatos, ſexageſimum ad viduas
vel ad viduos, centeſimum ad prælatos,
id eſt, ad epiſcopos vel presbyteros. Dũ
enim coniugati ſecundum voluntatem
Dei viuere ſtudent, quaſi triceſimũ fru-
ctum faciunt: Dum autem viduæ vel vi
dui præcepta Dei operando adimplere
contendunt, quaſi ſexageſimum fructũ
faciunt: Et dum prælati ad cœleſtem pa-
triam toto niſu cordis & corporis ten-
dunt, quaſi centeſimum fructum affe-
runt. Quod nobis præſtare dignetur,
qui viuit, & cæt.

Dominica Quinquageſimæ.

Homilia ſuper eo verbo,
Lucæ. XVIII.

A*Sſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos.* Redemptor & Saluator noſter præuidens diſcipulorum animos ex ſua paſsione & morte perturbandos, ſæpe antèquàm pateretur prædixit eis paſsionis ſuæ pœnam, vt cùm viderent eum pati ſicut prædixerat, ſe reſurrectu rum etiam non dubitarēt, ſicut promiſerat. Quia faciliùs & leuiùs tolerari poſſunt ea aduerſa quæ antè præſciuntur, quàm ea quæ ſubitò & inſperatò eueniunt. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam.* Nō ſine cauſa dicit: ecce aſcendimus Hieroſolymam, quia Hieruſalem in monte ſita eſt, in cuius montis eminentiori loco ædificatum eſt templum Domini: *& conſummabuntur*, id eſt, perficientur, implebuntur, *omnia quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis.* Quicquid Dominus egit in carne, aut verbis prædicta ſunt aut pręfigurata myſterijs. Incarnatio nanque illius, & prædicatio, & paſſio, & ſepultura, & reſurrectio, & aſcenſio eius ad cœlos, aduentus ſecundus ad iudicium, totum prædictum eſt à Prophetis de filio hominis. Dominus Ieſus Chriſtus filius Dei eſt, ante ſecula genitus

tus à Deo patre: & filius hominis, id eſt, Mariæ in fine temporum natus ex matre. *Tradetur enim gentibus* Multis modis eſt traditus Dominus Ieſus Chriſtus. Tradidit enim Deus pater filium pro ſalute humani generis: iuxta quod Apoſtolus Paulus dicit de eo. Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ Tradidit ſeipſum dominus Ieſus Chriſtus ſicut idẽ Apoſtolus Paulus dicit: Qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Tradidit eũ Iudas principibus ſacerdotum pro triginta denarijs. Tradiderunt eum ſummi ſacerdotes Pilato: Pilatus tradidit eũ militibus ad crucifigendum. Et hoc eſt quod hic dicitur: *Tradetur enim gentibus*, id eſt, Pilato vel militibus eius. Tradiderunt eum etiam dæmones, de quibus dicit Paulus Apoſtolus Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriç crucifixiſſent. In hoc nanque tradiderũt eũ dæmones, cùm tradendum ſuaſerunt, ſicut in Euangelio dicitur. Intrauit autẽ Satanas in cor Iudæ vt traderet eum. *Et illudetur.* Hoc totũ in paſsione Domini impletum eſt, quando exuerunt eum proprijs veſtibus, & purpura induerunt eum, & coronam ſpineam impoſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius, & genu flectentes illudebant ei, di•

Rom. 8.
Phili. 5.
1. Cor. 2.

Ioã. 17. dicentes: Aue rex Iudæorum. *Et flagella*-
Mat. 26 *bitur.* Flagellauit eum Pilatus quando
& 27. dixit: Flagellatum eum dimittam: *Et cõ*-
ſpuetur. Spuerunt in faciẽ eius veluti in
faciem blaſphemi hominis, quando di-
xit: Filius Dei ſum. *Et poſtquàm flagellaue*-
rint, occident eum: ſic factum eſt: *Et tertia*
die reſurget. Dominus Ieſus Chriſtus ſex-
ta feria fuit crucifixus, ſeptima quieuit
in ſepulchro, die dominico, qui eſt ter-
tius à paſsione, reſurrexit à mortuis.
Quaſi diceret diſcipulis ſuis. Si vos cõ-
triſtabimini in mea paſsione, lætificare
vos debet mea reſurrectio, quæ tertia
die poſt paſsionem futura eſt. Quare vo-
luit Dominus Ieſus Chriſtus mori ſecũ-
dum humanitatem: qui immortalis erat
ſecundum deitatem? Vt viuificaret nos
Ezec. 18 qui mortui eramus peccatis: mors ete-
nim animæ peccatum eſt, ſicut ipſe Do-
minus dicit per Prophetam: Anima quę
peccauerit ipſa morietur, *& ipſi nihil ho*-
rum verborum *intellexerunt, erat verbum*
illud abſconditum ab eis, & non intelligebãt
quæ dicebantur ab eo. Legimus in Euange-
lio ſecũdum Ioãnem dixiſſe Dominum
Ioan. 8 ad Iudæos. Cũ exaltaueritis filium ho-
minis, tunc ſcietis quia ego ſum. Quod
audientes turbæ reſponderunt dicẽtes:
Nos audiuimus ex lege: quòd Chriſtus
manet in æternum. Et quomodo tu di-
cis oportet exaltari filiũ hominis? Quis
eſt

eſt iſte filius hominis? Hæc verba tam obſcurè protulit Dominus, vt dignum duceret Ioannes Euangeliſta exponere illa verba, dicens: Hoc autem dicebat ſignificans qua morte eſſet moriturus. Quid eſt ergò quòd diſcipuli tam aperta verba Saluatoris de ſua paſsione & morte intelligere nequeunt, & Iudæi ad vnum verbum licet obſcurè prolatũ ſtatim intellexerunt, quod de exaltatione crucis diceret? Hoc modo ſoluitur quæſtio. Iudæi iam conſpirauerant in necem Domini ſaluatoris, & decreuerãt in corde, vt interficerent eum in cruce dicentes: Mittamus lignum in panem, *Hier.11* id eſt, crucem in carnem eius, & eradamus memoriam eius de terra viuentiũ. Et ideo quotienſcunque Dominus loquebatur illis de ſua paſsione & morte, facilè intelligebãt, quia hoc loquebatur quod illi & corde cogitabant: & opere perficere deſiderabant. Diſcipuli autem credebant eum verum Deum eſſe, & verum filium Dei. Et in tantùm diligebant eum, & credebant verum Deum eſſe, vt non putarent eum omnino poſſe mori. Atque ideo id quod diſcipulis vera dilectio & fides recta abſcondit, Iudæis infidelitas & inuidia patefecit. Vel aliter. Sæpe diſcipuli audiebant Dominum parabolicè loquentem, & ideo quãdocunque loquebatur eis de ſua paſſione

ſione & reſurrectione à mortuis, putabāt eum parabolas proferre, & ad aliud quiddam eſſe referenda illius verba, quā ad ſuam paſsionem. Ideo autem venitur ad miraculum, vt per occaſionem miraculi firmarentur in cordibus eorum verba Dei, quæ loquutus fuerat de ſua paſſione & reſurrectione à mortuis. Ac ſi diceret, ea potentia diuinitatis qua iſtū cæcum illumino, poſſum tertia die ad vitam reſurgere ſi mortuus fuero. *Factum eſt autē quum appropinquaret Hiericho.* De Galilæa veniebat Dominus in Hieruſalem, & in itinere eius erat Hiericho ciuitas ad quam quum appropinquaſſet: *Ecce quidam cæcus ſedebat ſecus viam*.i.iuxta viam *mendicans*. Secundum literam quis iſte cæcus fuerit ignoramus, ſecundum allegoriam mihi iſte cæcus genus humanū ſignat, quod cæcatū eſt in primo parente Adam. Iſte nanque Adam quū eſſet in paradiſo poſitus antèquàm peccaſſet, luce contemplationie Dei omnipotentis fruebatur, in luce ſanctitatis erat in luce gaudij cœleſtis. Sæpe etiam cum Deo loquebatur per ſubiectam creaturam, id eſt, per angelum, ſed vbi peccauit ſtatim expulſus eſt de paradiſo, & cæcus effectus eſt, quia lucem contemplationis Dei omnipotentis perdidit, & lucē ſanctitatis, & lucem gaudij cœleſtis amiſit. Quæ cæcitas permanſit in genere humano

no vſque ad aduentum Domini in carne, exceptis paucis Iudæis, in quibus fides luxit. Sed cũ Dominus appropinquaret Hiericho, cæcus ad lumen rediit. Hiericho hæbraicè, luna interpretatur. Luna verò in ſacro eloquio pro defectu carnis ponitur, quia menſtruis momentis creſcit & decreſcit. A prima luna vſque ad decimamquintam augmẽtum capit, à quinta decima vſque ad triceſimã deficit. Et ideo deſignat defectum mortalitatis noſtrę, quia homines ab ortu ſuo vſque ad iuuentutem. i. vſq; ad triceſimum annum creſcunt. A iuuentute autẽ vſque ad mortem decreſcunt: fortiſſimæ ætatis eſt triceſimus annus. Domino autem appropinquãte Hiericho cæcus ad lumen rediit: quia dum diuinitas verbi defectum noſtræ mortalitatis aſſumpſit, id eſt, carnem & animam in vtero virginis ſibi copulauit, in qua carne ab hominibus videri, crucifigi, mori, ac reſurgere à mortuis potuiſſet, genus humanum ad lumẽ quod amiſerat in primo homine peccante, vt videret Deũ fide & dilectione reuerſum eſt. Qualiter eſt reuerſum? Sanguine Chriſti redemptũ, baptiſmate Chriſti eſt ablutum, & abluitur quotidie, fide Chriſti eſt illuminatũ & illuminatur quotidie in his qui merentur illuminari per fidẽ. *Et cũ audiret turbã prætereuntẽ, interrogabat quid hoc*
 eſſet

eſſet. Dixerunt autem ei: quod Ieſus Nazare-
nus tranſiret, & clamauit, dicens: Ieſu fili Da-
uid miſerere mei. Et qui præibant increpabãt
eum vt taceret. Ipſe verò multò magis cla-
mabat, dicens: Ieſu fili Dauid miſerere mei.
Illi qui cæcum increpabãt cur clamaret
ad Dominum, primùm ſignant ſacerdo-
tes Iudæorum, qui ſubiectos ſuos pro-
hibebant credere in Ieſum, dicentes ad
Apoſtolos. Præcipiendo præcipimus vo-
Act. 5. bis, ne vlli hominum loquamini in no-
Mat. 23. mine iſto. Quibus idem Dominus dixit:
Luc. 11. Væ vobis ſcribæ & phariſæi, qui habetis
clauẽ ſciẽtiæ, nec ipſi introiſtis, nec alios
introire permiſiſtis. Deinde ſignãt prin-
cipes gentiũ Neronẽ, Deciũ, & cæteros
perſequutores Chriſtianorum, qui pro-
hibebant genus humanum clamare, &
credere in dominum Ieſum. Sed quid
fecit cæcus? Tandiu clamauit, donec il-
luminari mereretur à Domino. Similiter
& genus humanum, nec à ſacerdotibus
Iudæorum, nec à principibus gentium
potuit prohiberi. Sed tandiu clamauit
corde & ore, vſq; dum illuminaretur à
Domino fide & dilectione. Aliter: Per
turbas quæ Dominum præibant, & cæ-
cũ vt taceret increpabant, deſignantur
turbæ malarum cogitationum, & turbæ
deſideriorũ carnaliũ ac tumultuantia vi-
tiorũ quæ fecimus, & mentis noſtræ a-
ciem reuerberant, & obnubilant, ne vo-
ces

ces noſtræ orationis ad aures Dei omni-
potentis perueniunt. Sed quid facere de-
bemus? Quantò plus ab illis impugna-
mur, tanto vehementius & ardẽtius o-
rationi inſiſtamus, donec fantaſmata vi-
tiorum per Domini miſericordiã à no-
bis recedant, & vera lux, quæ dominus
Ieſus Chriſtus eſt, in cordibus noſtris p
fidẽ luceſcat. *Iuxta viã cæcus ille ſedebat.*
Per viã intelligitur Chriſtus, ſicut ipſe
dicit: Ego ſum via: Quiſquis in dominũ *Ioã 14.*
Ieſum credit, iuxta viam ſedet. Si autem
credit, ſed tamen à precibus ceſſat, iux-
ta viam ſedet, ſed minimè mendicat. Si
verò & credit, & pro vita æterna Domi-
num exorat, iuxta viam ſedet & mendi-
cat. *Stans autem Ieſus*, ecce ſtat qui an-
te tranſibat. Stare Dei diuinitatis eſt,
tranſire humanitatis. Per hoc autẽ in
quod vnius ſubſtantiæ exiſtens cum pa-
tre & ſpirituſancto, cœlum & terram
plenitudine diuinitatis ſuæ implet, ſe-
cundum quod Salomon dicit de eo: Sa-
pientia attingit à fine vſque ad finem
fortiter & diſponit omnia ſuauiter, ſta-
re debet. Per hoc verò quòd de ſinu pa-
tris deſcendens venit in vterũ virginis,
& de vtero virginis natus venit in præ-
ſepe, & de præſepe prædicando venit in
crucẽ, & de cruce venit in ſepulchrũ, &
in anima ſola deſcen[illegible] rediit, de
ſepulchro autẽ rediit in [illegible]

nerat, tranſitum ſuum fecit. Tranſeũdo autem audiuit vocem cæci clamantis, & ſtando reddidit ei viſum. Quia per incarnationis myſterium noſtræ miſeriæ compari dignatus eſt: per diuinitatis ſuę potentiam lumen, quod amiſeramus in primo homine peccãte, nobis reddidit. *Quid vis faciam tibi?* Nunquid qui cęcum illuminare potuit, quid vellet cæcus ignorabat, cui veraciter à Petro dicitur:

Ioan. 21 Domine tu omnia ſcis? Nõ vtique ignorabat, ſed ideo interrogat, vt ad petendum eum excitet ſicut alibi ait: Scit pater veſter quid opus ſit vobis, antequã petatis eum, & tamẽ dicit: Petite & accipietis, quęrite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis eñ qui petit, accipit. & qui quęrit, inuenit. & pulſanti aperietur, vt ipſa petitio noſtra digna ſit præmio. *At ille dixit: Domine vt videã.* Ecce cęcus à Dño, non aurũ quærit, nõ argentũ, nõ vxorẽ, nõ equum, nõ pallium, & cætera iſtius ſeculi emolumẽta, ſed ſolũmodò lucẽ. Quia cæcus ſi aliquid habere poteſt, aut aurũ, aut pulchrã vxorẽ, nõ poteſt illã videre ſine oculis. In hoc eñ imitari debemus vt nõ quæramus à Domino fugitiuos honores, nõ pręmia iſtius ſeculi caduca, ſed lucem. Quã lucẽ? Non illã quã cũ pecoribus poſsidemus communem quæ & initio incipitur, & in fine terminatur. Sed illam lucem, id

eſt, cõtemplationis creatoris noſtri, quã cum ſolis angelis habere poſsimus, quæ nec initiũ habet, nec finem. *Et Ieſus dixit ei: Reſpice, fides tua te ſaluum fecit.* i. fides tua te illuminauit. Illa fides ſaluat, quæ bonis operibus exornatur, quæ verò à bonis operibus vacua eſt, nõ ſaluat: quia ſcriptũ eſt de ea: Fides ſine operibꝰ mortua eſt. *Et confeſtim vidit, & ſequebatur eũ, magnificans Deum.* i. laudans Deum. Videt & ſequitur, qui bonum quod intelligit operatur. Videt autẽ & nõ ſequitur, qui bonum quod intelligit, operari deſiſtit. *Et omnis plebs vt vidit, dedit laudẽ Deo.* Duas ob cauſas retulit plebs laudes Deo vel propter fidẽ cæci, qui credidit à Domino poſſe illuminari, vel propter miſericordiam & clemẽtiam Domini quam habuit erga cæcum illuminando illum. Quod Dominus nobis præcepit agẽdũ, ipſe in ſemetipſo primùm impleuit. Qui dicit nobis: ſic luceat lux veſtra corã hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt, fecit miraculum, & conuertit plebem ad laudem Dei patris, vt daret nobis exẽplum, quia quotiens aliquid boni agimus, non noſtris meritis, ſed gratiæ Dei deputare debemus, ſine quo nihil boni habere, nec agere poſſumꝰ, iuxta quod ipſe dicit Ioannis. 15. Sine me nihil poteſtis facere.

Iacob. 2.

Matth. 5

In die cinerum.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Mathæi ſexto.

Q*Vum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* Quum ieiunatis, non ſolum à cibo & potu, ſed etiam ab omnib⁹ vitijs, à rapina & ebrietate *Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* Hypocrita græcè latinè deauratus dicitur. Qui extrinſecus prætendit ſanctitatem, cũ intrinſecus ſit plen⁹ iniquitate. Tales erãt ſcribę & pharisęi in populo Iudęorũ, q̃ quã ſæpe ieiunabant ſe moſtrabant triſtes in vultu, vt ſancti viderẽtur in populo. *Exterminant enim facies ſuas.* Exterminare enim propriè dicitur, extra terminos patria ducere, ſicut Pilatus & Archela⁹, quorũ vnus miſſus in Viennã.i. Pilatus: & alter Lugdunũ.i. Archelaus, qui poſſunt dici exterminati.i. extra terminum habitationis ſuę eiecti in exiliũ. Sed hic exterminare poſitã eſt pro demoliri. Demoliunť eñ facies ſuas.i. diſsimulãt pręſerẽtes triſtitiã in facie, quũ lætitiã habeant in mẽte, & in corde, quia laudantur ab hominibus. *Amen dico vobis, receperunt mercedẽ ſuã.* Non Dei mercedem, ſed laudem humanã quã quęſierũt. *Tu aut. miſ* Chriſtianę, *quum ieiunas, vnge oleo caput tuum.* Oleo poſuit pro odorifero vnguẽ

to, quod cõficitur ex oleo. More Paleſtinorũ loquitur Dominus, qui quando celebrabant feſtiuitates, vngebant capita ſua, vt oſtenderent ſe feſtiuos eſſe. Secundum hanc cõſuetudinem debemus nos facere myſticè. Spiritualiter per oleum deſignatur miſericordia: per caput, mẽs. Manifeſtat hoc Salomon, quum dicit: Oleum de capite tuo non defluat. i. miſericordiæ opus à mente tua non recedat. Oleum etiam ponitur in malam partẽ, vt alibi: Oleum peccatoris, id eſt, adulatoris non impinguet caput meum. *Quũ autem ieiunas, oleo caput tuum vnge*, id eſt, habeto miſericordiam in mente: vt dimittas illi qui in te peccauit. Et quod tibi ſubtrahis pauperi conferre non deneges, & vndè caro tua affligitur, inde caro pauperis reſtauretur, *& faciem tuam laua*, id eſt, interiora cordis tui lachrymis ablue, iuxta illud prophetę Eſaię primo: Lauamini, mundi eſtote nõ ſolùm à malis operibus, ſed etiam à malis cogitationibus, *nec videaris hominibus ieiunãs, ſed patri tuo qui eſt in abſcõdito videaris ieiunans, & pater tuus qui videt in abſcondito*, id eſt, in ſecreto cordis intentionẽ rectã, *reddet tibi*, mercedem tuam. Deus omnipotens intuetur cor hominis, qua intentione ieiunet, qua intentione eleemoſynam faciat, & vitã æternam petat, iuxta quod ſcriptũ eſt: Homo videt in facie, Reg. 16.

Deus autẽ intuetur cor, *nolite vobis theſaurizare theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur.* Aliud eſt ęrugo, aliud eruca. Eruca canicula eſt in horto: ęrugo, rubigo, *& vbi fures effodiunt et furantur.* Omne genus auaritiæ cõdẽnatur hic. Aerugo perdit omnia metalla, aurum obfuſcat, ferrum perdit, & cœtera genera metallorũ demolitur. i. deuaſtat. Tinea ex veſtimento naſcitur: iterũ ipſum veſtimentum conſumit. Spiritualiter per æruginem deſignatur ſuperbia: & ſicut ęrugo diſsipat metalla, ſic ſuperbia diſſipat omnia bona, quia omnis ſuperbus immundus eſt. Tinea ſignat inuidiam: ſicut tinea ipſum quo naſcitur cõſumit, ſic inuidia ipſum hominẽ cruciat à quo oritur, iuxta illud poëtæ.

Iuſtius inuidia nihil eſt, quæ protinus ipſum
Actorem rodit, excruciátq; animum.

Genus inuidũ eſt. Vis inde habere mercedẽ, vbi nõ laboraſti? Sic de alteri⁹ profectu quaſi de tuo gaude. Sũt nãque qui ex alteri⁹ fœlicitate torquentur, & dolent, hi ſunt inuidi. Fures intelligunt dęmones, qui omnia bona noſtra auferre conantur. Es caſtus, ipſe vult tibi auferre caſtitatem, & facere luxurioſum. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi neq; ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiũt nec furantur.* Quomodo poſſumus theſaurizare in cœlo, qui ſumus in terra?

Poſſu-

Poſſumus. Verbi gratia: Fac eleemoſynã. Ellemoſyna nãque quę datur pauperi in terra, à Chriſto recipitur in cœlo. Ipſe nanque dicturus erit, q̃d vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, *vbi.i.* ĩ cœlo: *non eſt ærugo.* i. ſuperbia, *nec tinea*, id eſt inuidia, *nec fures.*i.dæmones, *vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.* Si in cœlo theſaurizaueris benefaciendo, in cœlo erit cor tuum.i intentio cordis tui Si autẽ in terra theſaurizaueris, non expendendo diuitias tuas in pauperes. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.* Et non ſolùm eſt hoc in pecunia, ſed etiam in luxuria & guloſitate. Qui luxurioſus eſt, in luxuria eſt cor eius: & qui guloſus eſt, Deus illius venter eſt.

Feria Sexta poſt Cinerum.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi. V.

AVdiſtis quia dictũ eſt antiquis: *Diliges proximũ tuũ.* i. cõſanguineũ tuum. *Amicũ diliges & odies inimicum.* Hoc præceptum ſeruabat Dauid, quum omnes gentiles qui in circuitu ſuo erant, oppugnaret. Ego autem nouus homo, noua præcepta do vobis. *Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus*

bus vos, id eſt, pro his qui falſò accuſant, & iniuſtè opprimunt. Quare facietis hoc? *vt ſitis filij patris veſtri qui in cœlis eſt*, id eſt, per adoptionẽ. Qui ſicut pluit ſuper terram Chriſtianorum iuſtorum, ſic ſuper terram Iudæorum infidelium, *ſi ſalutaueritis*, & cæt. id eſt, ſi ſalutem obtuleritis, vel temporalem vel æternam, *nónne Ethnici*, id eſt, gentiles *hoc faciunt?* Ethnicos græcè latinè gentilis dicitur. Et gentilis dicitur, qui ita permanet vt eſt genitus. *Eſtote perfecti ſicut pater veſter perfectus eſt*, ad ſimilitudinem eius perfecti eſtote, ſicut ipſe in ſua natura perfectus eſt. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos* Ita vos ſecundum poſſibilitatem veſtram perfecti eſtote, vt amicos diligatis in Deo, & inimicos propter Deum, & in omnibus ſiue bonis, ſiue malis, opera miſericordiæ impendatis: *attendite*, id eſt, cauete, *ne iuſtitiam veſtram*, id eſt, opera per quæ iuſtificatur homo, quæ ſunt ieiunia, eleemoſyna, caſtitas, oratio, *coram hominibus faciatis*, vt ab eis quæratis laudem. *Alioquin*, id eſt, ſi aliter feceritis quàm præcipio, *mercedem non habebitis. Cùm ergò facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te*, hoc faciũt ſcribæ & phariſæi diebus feſtis, vt laudem humanam perciperent coram hominibus, & munera terrena, ſicut hypocritę, qui coram hominibus prætendũt

ſanctitatem, quum in cordis ſecreto pleni ſint malitia. *Te autem faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera.* Siniſtra hîc appellatur delectatio laudis humanæ: dextera intentio & voluntas implendi præcepta Dei. Quæ præcepta? Facite vobis amicos pauperes de mãmona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Si propter hoc agis eleemoſynam, vt in æterna tabernacula recipiaris, neſciat ſiniſtra tua, id eſt, delectatio carnis, vt pro eo quod agis non quæras humanam laudem, *vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito*, id eſt, in ſecreto cordis tui, vt non quæras extrinſecus laudem. *Et pater tuus qui creauit te* qui tibi præceptũ rectè viuendi cõtulit, *videt in abſcondito* tuam voluntatẽ rectam *& reddet tibi* mercedem. Luc. 16.

Dominica prima quadrageſimæ.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi quarto.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu. Hoc primum in huius exordio lectionis notãdum eſt, quod redemptor noſter, cũ triginta annorũ curricula antequã baptizaretur, in carne fuerit cõuerſatus, nũquã à diabolo tentatus legitur. At vbi baptiſmum accepit, mox

tentationes diabolicas ſponte pertulit. In qua re illud ſignatur, quòd antiquus hoſtis maius certamen contra nos ſuſcipit poſt baptiſmū & magis nos oppugnare contendit, dolens humanas animas ſibi per baptiſmi Sacramentum auferri.
Eccle. 2. Vndè quidam ſapiens hortatur: Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & præpara animam tuam ad tentationem. Si autem quæritur à quo ſpiritu redemptor noſter in deſertum ductus credatur. Reſpondendum eſt, ꝙ à Spiritusancto illuc ductus fuerit, vbi illum ad tentandum malignus ſpiritus
Lucæ. 4 inuenire potuiſſet. Quod Lucas euidentiſsimè oſtendit, cùm dicit. Regreſſus eſt Ieſus plenus Spiritusancto à Iordane, & agebatur à ſpiritu in deſertum, & tentabatur à Satana. Nec debemus putare indignum Redemptori noſtro, vt tentari ſe permitteret, qui propter nos adeò humiliatus eſt, vt à membris ipſius diaboli ſe occidi pertulerit. Tentatio autem tribus modis agitur ſuggeſtione diaboli, delectatione carnis, conſenſu Spiritus. Nos igitur qui puri homines ſumus cùm tentamur per ſuggeſtionem diaboli, pleruṁque in delectationem, frequenter etiam in conſenſum labimur. Redemptor noſter quia Deus erat quāuis tētari per ſuggeſtionem potuit, mentem tamē illius

illius peccati delectatio non momordit. Ac per hoc omnis illa tentatio non intrinſecus, ſed extrinſecus fuit. *Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſteà eſurijt.* Hoc ieiuniũ quadrageſimale autoritatem magnam habet à lege & ꝓphetis, & ab euangelio. Sic Moſes legiſlator vt legem domini mereretur accipere, quadraginta diebus ieiunauit. Helias quoque eximius prophetarum eodem dierum numero abſtinuit. Dominus etiam vt demonſtraret ſe non diſcordare à lege & prophetis: quadraginta diebus ieiunium continuauit Nec ſine cauſa hic numerus ieiunio vel domini vel noſtro conſecratus eſt. Signat enim omnem laborẽ huius vitæ, in qua ſemper ieiunium generale celebrare debemus, vt ſicut abſtinemus à cibis, ita etiam abſtineamus ab omnibus illicitis. Ieiunium enim ſpeciale, eſt à carne & vino: ieiunium generale eſt, abſtinere ab omnibus illicitis. Poſſunt multa de hoc numero iuxta doctrinam patrum dici. Conficitur ex denario, & quaternario decies ducto, quorum quaternarius refertur ad quatuor libros euangelij, denarius verò ad decalogum legis. Quaternarius ſiquidem decies ducitur: & fiunt quadraginta, quia nos tunc perfectè legem domini cuſtodimus, ſi libros ſancti euangelij obſeruamus. Vel quater

Exod. 24. & 34.
3. Re. 18

narius ad corpus refertur, quod cõſtat ex quatuor qualitatibus, denarius, vt dictum eſt, ad legem pertinet. Quia enim per corpus quod quatuor elementis cõſtat, decem præcepta diuinæ legis frequenter tranſgredimur: dignum eſt vt idem corpus ieiunio quater decies affligamus, quatinus caro quæ nos læta traxit ad culpam: afflicta reducat ad veniam. Poteſt adhuc de hoc numero altius aliquid indagari. Præceptum legimus
Leu.27 populo Iſraëlitico, vt de omnibus ſuis Deo omnipotenti decimas darent. Ve-
Matt.5. rum quia dominus dicit nobis: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquã ſcribarum & phariſæorum, & vt noſtra iuſtitia illorum ſupergredi valeat dignũ eſt, vt ſicut illi offerebant decimas exterarum rerum, ita & nos offeramus decimas dierum totius anni in hoc ieiunio ſeparatorum. Siquidẽ à præſenti die dominico, vſq; ad domini reſurrectionem quadraginta & duo dies ſunt, de quibus ſi ſubtrahas ſex dies dominicos, quibus abſtinentia ſoluitur, remanent triginta & ſex tantũ in abſtinẽtia: quibus adiunctis quatuor diebus, primã dominicam præcedentibus quos decimas aiunt eſſe, nemo eſt qui dubitet. Cũ verò dixiſſet euangeliſta ieiunaſſe dñm quadraginta diebus, addidit & quadraginta noctibus ꝙ ideo facere voluit, ne aliquis putaret,

taret, quod dñs quidem diebus ieiunaſſet, noctibus reficeretur, iuxta noſtram conſuetudinẽ, *poſteà eſuriit*. De Moſe & Helia tale nil legitur, quòd.ſ.expleto ieiunio eſurierint. De domino autẽ ideo dicitur, quod tranſacto ieiunio eſuriit, vt verũ corpus habuiſſe demõſtretur. Et ſicut in quadrageſimali dierum ieiunio verus Deus patuit, ita & in eſurie poſt ieiuniũ verum hominẽ ſe oſtendit. *Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es: dic vt lapides iſti panes fiant*. Antiquus hoſtis tribus modis primum parentem noſtrũ tentauit gula.ſ. & vana gloria, & auaritia. De gula ipſum pulſauit, cùm lignum vetitum oſtendit, atque ad comedendũ ſuaſit. De vana gloria ipſum tentauit, cùm dixit: eritis ſicut dij. De auaritia nihilominus eos tetigit, cũ addit ſcientes bonũ & malũ. Auaritia quidem non ſolum ad appetitũ pecuniarũ pertinet, ſed etiam ad cupiditatem altitudinis: cùm quis vel ex ſpeciali ſcientia, vel ex aliquo ſingulari dono, cæteris excellentia ambit videri. Iiſdem etiã tribus modis redemptorem noſtrum tentare aggreſſus eſt. De gula illum tentauit cũ dixit: dic vt lapides iſti panes fiant. De vana gloria, cum eum de pinnaculo præcipitare ſuaſit. De auaritia, cum oĩa regna mundi oſtendens ei dixit: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Sed *Gen. 4.*

quis

quibus modis primum Adam tentauit & tentando ſuperauit, his modis ſecundum Adam tentatus victus ſuccubuit. Accedens ergò ad dominum in ſpecie qua ipſe permiſit, ait: *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant*. Quæritur vndè putauerit illum filium Dei eſſe? Nimirum aut quia per prophetas ſæpe illum prædictum audierat, aut quoniam vocem patris ſuper eum delapſam in baptiſmate audire permiſſus fuerat, dicentem, hic eſt filius meus dilectus. Dic, inquit Satanas ad Chriſtum vt lapides panes fiant. Cōgruè de lapidibus panē fieri poſtulabat, qui lapideum cor habebat. Et quare non dixit, fac de lapidibus panem, ſed dic vt fiant, quia in hoc experiri volebat, vtrum ipſe eſſet filius Dei, qui in exordio mundi cuncta creauit de nihilo dicens: fiat hoc vel illud, & factū eſt. Cogitabat hoc apud ſe, tanti artifex doli: Si iſte eſt, qui dudum populo Iſraëlitico in eremo cœleſte manna præbuit, facilè lapides in panem cōuertere poterit. Vel ſi non pro petitione mea ſaltem, pro ſua neceſsitate: quod ſi fecerit, filiū Dei probabo: ſi facere nequiuerit, hominem purum deprehēdam. *Qui reſpondens dixit ei: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei.* Hoc conſyderandum eſt, quòd dominus omnia teſtimonia contra Diabolum de Deuterono. ſumpſit. Quod in

Gene. 1.

Deu

Dauid longè ante præfiguratum agnoſcimus, qui pugnaturus contra gygantem quinque lapides de torrente elegit: ſed vno ex illis ſuperbiſsimum hoſtem deiecit 1. Regum. 17. Et cùm quinque libros legis dominus per Moſen tradiderit, de ſolo Deuteronomio diabolo reſpondens, ſtrauit eius ſuperbiam. Deuteronomium nanque ſecunda lex dicitur, & deſignat Euangelium. Omnis ſcriptura veteris teſtamenti, pro vna lege habetur, euangelium autem ſecunda lex dicitur, quod veteri teſtamento ſuccedit. Datq; nobis hoc facto exemplũ, vt quotiens à dæmonibus, vel à malis hominibus impugnamur, ad ſancti euangelij authoritatem confugiũ faciamus. Quod autem dixit, non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei, ſic eſt intelligendum. Quia ſicut corpus niſi terreno cibo alatur, deficit: ita animus niſi paſtus Dei verbo fuerit, à ſalute langueſcit. Panis hic accipitur pro omni cibo quo ſuſtẽtamur. Verbum autem quod de ore Dei procedit, omnis veteris teſtamenti & noui ſcriptura intelligitur. *Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem.* Quid mirum ſi ſe dominus in ſanctam ciuitatem, vel in montem excelſum aſſumi permiſerit, qui (vt dictum eſt) à membris illis ſe pertulit crucifigi? Sanctam autem ciuitatẽ

Hie-

Hieruſalem vocat, in qua erat templum & religio, cultuſque omnipotentis Dei: vel propter differentiam ciuitatum gentilium, in quibus idola colebantur. *Et ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.* Non quidem diabolus dominicum alicubi inuitum ſtatuere vel ducere poterat, ſed cum ſua quadã arcana diſpoſitione dominus ſupra templi pinnaculum ſtaret: percepta occaſione tentandi, ait: *Si filius Dei es, mitte te deorſum.* Pinnam verò templi, tabellata intelligimus: quæ erant facta in circuitu templi dñi ſuper trabes, quæ extra tẽpli parietes hinc inde eminebant, quæ iuxta templi ordinẽ quod tricameratum erat, triplicia erant cum cancellis iunctis, ne quis incedens ad ima laberetur. Quorum inferius tabulatum triginta cubitis erat à terra, medium ſexaginta, ſupinum vel ſupremũ centum viginti. Et nota, quod diabolus oẽs quos decipit, in præcipitiũ mittere quærit. Omnes enim vult cadere, qui ſe ſentit præ omnibus cecidiſſe. *Scriptum eſt enim: Quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuũ.* Diabolus ſcripturas interpretãs, hoc de Chriſto ſcriptũ aſſerit, ꝙ non de illo, ſed de quolibet electorũ illius intelligendũ eſt, Qui ſinguli à tempore baptiſmatis angelos habent diuinitus deputatos ad ſui cuſtodiam, ſicut do-
mi-

minus de paruulis ait: Quia angeli eorum ſemper vident faciem patris. Et de quibus hic dicitur, quia angelis ſuis mādauit omnipotens Deus de electis, vt cuſtodiant eos in omnibus eorum actionibus, ne fortè offendant ad lapidem ſuum, id eſt, in Chriſtum, qui eſt lapis abſciſus de monte ſine manibus. Vel ad lapidem, hoc eſt in legem, quæ in lapide ſcripta eſt. Vnaquæque gens angelum ſibi delegatum habet, vndè legimus in libro Danielis: Principem regni Perſarum, & regni Græcorum, Et de Michaële, Quia nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michaël princeps veſter. In Ezech. legimus quoque principem Tyri, Multi etiam electorum habent exercitus angelorum ad cuſtodiā ſui deputatos, ſicut legimus de Iacob. Qui quum veniſſet ad quendam montem, & vidiſſet angelorum multitudinē, qui eius cuſtodia fuerunt in Meſopotamia dixit: Caſtra Dei ſunt hæc. Et appellauit nomen loci Manahin. i. caſtra. Similiter de Helizæo, qui vidit currus & equos, & aſcenſorem neminem: qui intelliguntur poteſtates angelicæ fuiſſe. Cæterū n Chriſtus non tantæ infirmitatis erat, vt indigeat auxilio angelorū. Qui ergo officiū angelorū ad Chriſtū: loquutus fuerat, de ſui etiam cōculcatione proſequi noluit, quod ſubiungitur,

Dan. 10. *Gen. 32* *4. Reg. 16.*

Su

Pſa. 90 Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis & conculcabis leonem & draconem. *Ait illi Ieſus: Rurſum ſcriptum eſt. Non tentabis dominum Deum tuum.* Suaſus dominus, vt ſe de pinna templi præcipitans exploraret, quanti apud vanæ gloriæ aliquem inutilem vult oſtentare virtutẽ. Ex quo diſcimus, quia Chriſtianus quãdiu eſt in periculo poſit⁹, & habet quod faciat, quomodo periculum euadat, nõ debet dominum ſuum tentare, imo ipſum debet imitari. Qui cùm inimicos vno valeret nutu delere, frequenter tamen maluit illos declinando fugere. Si autem ita coartatus fuerit, vt effugij locum non habeat, ſpem ſuam domino cõmittat, ſciens quia non derelinquit ſperantes in ſe. Vndè monuit diſcipulos ſuos dicẽs: Cùm vos perſequuti fuerint

Deut. 4

Mat. 10 in iſta ciuitate, fugite in aliam Amen dico vobis, non conſummabuntur ciuitates Iſraël, donec regnum Dei veniat. *Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè.* Mõs excelſus diabolicæ ſuperbię configuratur, qui cùm de alto ceciderit, hanc ſemper ſuperbiam reperit, *& oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriã eorum*, id eſt, regnorum, *& dixit illi: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Diabolus quidem non tantæ fuit poteſtatis, vt domino regna vniuerſa potuiſſet oſtendere. Sed ita eſt tenẽdum, quòd

ipſe

ipſe dominus totam mundi machinam potentia ſua diabolo videndam prębuerit: ſicut & B. Benedicto oſtēſum legim[9]. Cumq́ ille vniuerſum mundum ſub oculis vidiſſet, æſtimans ſua eſſe omnia, in ſuperbiam elatus dixit: Hæc omnia tibi dabo. Nec putandum eſt, mundi machinam in ſe fuiſſe contractàm, vel cum diabolo, vel cùm eadem B. Benedicto oſtenſa eſt, quin potius mens cernētiū eſt dilatata ad hoc, vt quaſi ſub vno globo totam mundi vaſtitatem videre potuerit. Non eſt autem cogitandum, quod diabolus in toto mundo habeat poteſtatem, vel ipſe reges inſtituat, cùm legamus multos reges à Deo conſtitutos, ſicut Saul & Dauid & cæteros in populo Iudæorum: & ſicut Chriſtianorum temporibus multos. Sed hoc de ſuperbia dicit, id eſt, loquitur ſicut cætera. Notandumq́ quod omnis qui diabolum adorat, cadere dicitur. *Tunc dixit illi Ieſus: Vade Satana*, ſubauditur in abyſſum, vel in ignem æternum. Satanas ex Hebręo, in Latino contrarius vel aduerſarius interpretatur. *Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*. Cū dixerit: illi ſoli ſeruies: non præmiſit, illum ſolum adorabis. Legimus nanque quod Abraham adorauit populum terræ, videlicet filios Heth. Moſes quoque cognatum ſuum adhuc paganum legi-

tur

tur adoraſſe, & nos reges & principes
noſtros crebrò adoramus. Sed alia eſt
adoratio, quæ mortalibus tanquã excel
lentioribus & magiſtris impenditur: a-
lia quæ ſoli Deo tanquam creatori debe
tur. Nam ſi eſſet modò B. Pe. in carne, ve
neraremur illum, exorantes eius ſuffra-
gia, quatinus pro nobis apud Deum in-
terueniret: non autẽ illum adoraremus.
Sic & modò ſanctos martyres venerari
debemus, & petere vt pro nobis interce-
dant, nõ autem adorare debemus, quia
Gal. 5. adoratio ſoli Deo competit. Verum quę
rendũ eſt quare dicitur ſoli Deo ſeruien
dum eſſe, cũ Paulus Apoſtolus præcipi-
at, vt per charitatem ſeruiamus inuicẽ?
Sed, ſicut de adoratione dictũ eſt iã, alia
eſt ſeruitus quæ hominibus impendi-
tur, alia quæ ſoli Deo debetur. Cuius
differentiam Græci volentes oſtendere
ſeruitutem illam, per quam inuicem iu-
bemur ſeruire, duliam appellant: eam ve
rò quã ſoli Deo debemus, latriã vocãt:
vndè & idololatria dicitur, cum cultus
qui Deo propriè debetur, idolis impen-
ditur. Illud etiam quęritur, quare ſancti
euangeliſtæ in ordine tentationum do-
Luc. 4. minicarum diſcordant. Lucas ſiquidem
illam ponit tertiam, quam Matthæus ſe
cundam. Aſſerit enim dominum primũ
de gula, ſecundò de auaritia, tertiò de
vana gloria tentatum. Ad quod dicen-
dum,

dum, quòd Matth. ipſum ordinem tentationis Adæ exequutus eſt: Lucas verò rei ordinem quomodo geſtum ſit, exponit. Illa enim tentatio de lapidibus, & illa in monte, in deſerto facta eſt, deinde ſecuta eſt illa tentatio in ciuitate. Quæritur etiam cur Ioannes inter Euangeliſtas de tentatione domini tacuerit? Reſpondemus, tentationem ad diuinitatem Christi nullo modo pertinere, quã præ reliquis Euangeliſtarum deſcribit, ſicut nec famem nec cæteras humanitatis moleſtias. Ad humanitatem enim tẽtatio pertinet, quam tres euãgeliſtæ perſequuti ſunt, ſicut & cæteras corporis paſsiones. *Tunc reliquit eum diabolus.* Præceſsit in domino tentatio, vt victoria ſequeretur. Hoc loco duplex geminaque ſubſtantia domini noſtri Ieſu Christi eſt perpendenda. Sicut enim verus homo paruit qui tentari potuit, ita verus Deus apparuit, cui angeli miniſteriũ ſeruitutis impendere ſtuduerunt. Et nos credere oportet quoniam ſi in præſenti ſeculo tentationum victores eſſe ſtuduerimus, præfinitos ad huius vitæ labores, angelos miniſtros habebimus, qui nobis contemplationem ſanctæ trinitatis perpetuò miniſtrabunt, quia illorum miniſterio introducimur in regnum. Legimus in euangelio Lucæ decimoſexto, quia mortuus eſt Lazarus

& portatus ab angelis in ſinum Abra-
hæ. Nos igitur ſi in hoc ſeculo bene vi-
xerimus, bonis operibus inſiſtere ſtu-
duerimus: ipſi angeli qui modò cuſto-
des ſunt, perducent nos ad paſcua ſem-
1. Cor. 3. per virentis paradiſi. Et poſsidebimus
Eſa. 24 bona ineffabilia, quæ oculus non vidit,
nec auris audiuit, nec in cor hominis aſ-
cendit, quæ præparauit Deus his qui di-
ligunt eum.

Dominica ſecunda quadrageſimæ.

Homilia ſuper eo verbo est, Matthæi XV.

Egreſſus Ieſus ſeceſsit in partes Tyri. Su-
perior ſermo euangelicus deſcri-
bit quæſtos fuiſſe contra dominũ
ſcribas & phariſæos: quòd diſcipuli il-
lius tranſgrederẽtur traditiones ſenio-
rum ſuorum. Quibus dominus digna
redargutione conuictis, egreſſus inde
hoc eſt de Galilæa, vbi murmur eorum
pertulerat) ſeceſsit, ſicut hic dicitur, in
partes Tyri & Sydonis: vt ſalutem quã
Iudæi ſpernebant, gentiles conſeque-
rentur. Tyrus autem & Sydon ciuitates
maritimæ ſunt, quondam quidem Iſraë-
litis in ſortem poſſeſsionis diſtributæ,
ſed nequitiis eorum exigentibus, ab eis
poſteà (ſicut & aliæ multæ ciuitates) a-
miſſæ. Dum autem dicitur, quia ſeceſsit
in partes Tyri & Sydonis, & in ſequen-
tibus

tibus legitur, mulier Cananæa à finibus eius egreſſa, liquidò patet dominum nō eſſe ciuitatem gentilium ingreſſum, ſed partes earundem forinſecus ex miſericordiæ clementia peragraſſe. Quidā intellexerunt Cananæos canina capita habentes, ſed non eſt ita. Noë tres filios habuit, quorum vnus vocatus eſt Cham, qui habuit filium vocabulo Canaam, à quo Cananæi & aliæ gentes multæ ſunt exortæ. Sunt autem in India in ſimilitudine hominum canina capita habentes: ſed vtrum homines, an monſtra ſint, Deus ſcit, nos autem ignoramus. Quòd verò dominus in partes gentilium proficiſcebatur, ſed in ciuitatem illorum non introibat, idcirco hoc agebat, vt & gentiles qui longè remoti erāt ſibi occurrere potuiſſent, & prędicationem verbi illius percipere: & tamen Iudæi occaſionem reperire non potuiſſent recedendi ab illo dicentes, quia nos reliquit, & ad gentes proficiſcendo trāſit, idcirco noluimus credere in eum. Vel aliter, Solent boni patres proprias hæreditates alienis offerre, vt negligentibus filijs metum incutiant, vt hæreditate paterno iure priuentur, ſi incepta pertinacia durauerint. Iuxta hanc comparationem poteſt intelligi Deus ea ratione à Iudæis migraſſe ad gentium ciuitates, vt animos Iudæorum ad

ſui amoris magnitudinem per hoc inul
tarer, dum gratiam Dei per Chriſtum
ſibi oblatam à ſe recedere, & gentibus
tribui formidarent. Myſticè autem hę ci
uitates Tyrus ſcilicet, quæ anguſtia in-
terpretatur, & Sydon quæ venatio inu-
tilis dicitur, conuenticula gentilium ſi-
gnant: quæ ante perceptam fidem an-
guſtia infidelitatis angebantur, quasꝗ
diabolus per idololatriæ ſordes quoti-
die venabatur ad mortem. Quod ergò
dominus à Iudæis egreſſus ad gentili-
um properat ciuitates, ſignat, quia Iu-
dæos ob perfidiam ſui erat relicturus,
& ad gentes digna migratione tranſitu
rus, vnde & illis alibi dicit: Auferetur
à vobis regnum Dei, & dabitur genti fa
cienti fructus eius. *Et ecce mulier Cana-
næa à finibus illis egreſſa, clamare cœpit.*
Hanc mulierem alius euangeliſta Mar-
cus. Syrophœniſſam appellat. Syrophœ
niſſa autem mulier dicitur, à ſyro &
phœniſſe compoſitione. Cananæorum
enim gens originem duxit à Canaam,
filio Cham, ſicut ſuprà dictum eſt qui
fuit filius Noë, quæ gens habitauit in
prouincia phœniſſe, in qua ſunt ciuita-
tes Tyrus & Sydon, aliæꝗ quàm plu-
rimæ. Syrophœniſſa ergo vocatur eo
quod parentes illius de Syria, quæ eſt
iuxta mare rubrum aduenerunt in eum
locum vbi Tyrum ciuitatem condide-
runt.

ſunt, iuxta terrā repromiſsionis. Phœniſſa autem dicitur à rubro mari, quod incoluerunt parentes eius, poſtquàm tranſirent ex Syria in Phœniſſam. Nam phœnicus appellatur rubrum, vnde & phœnici dicuntur afri, id eſt, rubri, à mari rubro quod dudum incoluerunt. Sed meritò quæritur. Vndè Ieſum Chriſtum filium Dauid vocare nouerat hæc mulier cùm gentilis & Chananæa fuiſſe memoratur? Tamen quia Tyrus & Sydon ciuitates ſunt contiguæ terræ repromiſsionis, & iſta mulier in finibus præfatarum vrbium habitabat, poteſt non improbabiliter intelligi, quod ex Hieruſalem ciuitate promiſsio quæ Iudæis de Chriſti natiuitate facta fuerat, qui de progenie Dauid ortus eſt, fama vulgante, ab ea audita fuerat. Quum legamus prædictas vrbes Iſraëlitis familiaritate maxima antiquo tempore fœderatas, præcipuè tamen temporibus Dauid & Salomonis filij eius, quibus vt hiſtoria narrat, Hyram rex Tyri precioſiſsima ligna, lapideſq; diuerſi generis, ad fabricam domus Dei implendam gratiſsimè adminiſtrauit, rependentibus illis congruā vicem impenſis frumenti, vini & olei: quæ per ſingulos annos iam dictis Tyris tribuebant. Ex huiuſmodi cauſa igitur hæc mulier edocta, credo eam didiciſſe 3. *Re*. 5. 2. *Par*. 14.

dominum de ſtirpe Dauid naſciturum: quem vt prodentibus miraculis aduenisse cognouit, de finibus ſuis egreſſa, eum ſicut hic dicitur, filium Dauid inclamabat, quaſi diceret: Recordare quæſo amicitiarum & miſericordiæ, quam patres tui genti meæ impenderunt, & mihi in præſentibus neceſsitatibus ſubuenito. *Filia mea malè à dæmonio vexatur.*

Ioan. 4 Vbicunque in euangelio mentio gentilium introducitur, potioris fidei quã

Mat. 8. Iudæi demonſtrantur. Siquidem, vt multis exemplis affirmari poteſt, ſi quando aliquis Iudæorum Chriſtum pro infirmante filio vel filia interpellabat, præſentiam illius vt infirmum viſitaret, exigebat tanquam Dei filius impotens eſ

Luc. 7. ſet ſine corporali præſentia releuare infirmos ſicut ex petitione reguli comprobatur. At contrà gentiles pro ægrotantibus ſupplicaturi, non carnis præſentiam requirebant, ſed opem diuinitatis fide pleni poſcebant vt de Centurione legitur. Vndè & hæc mulier pro filia poſtulans, non illam ſecum adducit, non dominum ad eam venire precatur: ſed tantummodo commoditatem illius ſimplicibus verbis indicat, confidens quòd eam verbo reſtaurare poterat ad ſalutem. Iuxta ſpiritualem intellectum, typum tenet eccleſiæ de gentibus congregatæ. Vndè meritò. Cananæa

næa dicitur, & egreſſa de finibus ſuis perhibetur. Canaam nanq; zelus interpretatur, & eccleſia zelo fidei permota, de finibus ſuis egreſſa eſt, hoc eſt, priſtinæ conuerſationis idololatriã reliquit, & ad fidem Chriſti ſuſcipiendam prompta mente cucurrit. Filia autem mulieris illius, ſignat populos nondũ in Christum credentes, pro quibus, vt ab erroribus liberentur, eccleſiæ diuinæ iugiter ſupplicat pietati. *Qui non reſpondit ei verbum* Non eſt arbitrandum, quod dominus more ſuperborum phariſæorum deprecantem deſpexerit mulierem, quũ ſcriptum ſit: Deſyderium pauperum exaudiuit dominus. Sed idcirco primę petitioni illius reſpondere diſtulit, ne ſuæ ſententię contrarius exiſtens, qua dixit: In viam gentium ne abieritis, locum calumniæ reprehenſoribus patefaceret, atque ideo iuſtè illius fidem ſuſcipere recuſarent. Vel certè ob hoc non reſpondet, vt conſtantiam illius qua in precibus perſeuerauit, nobis imitabilem redderet: quatinus ſicut illa à precibus non ceſſauit, donec à domino ſalutem filiæ impetraret: ita & nos redemptorem noſtrum ac eius inſtanter clementiam precibus pulſemus, quouſque animarum noſtrarum ſalutem percipere mereamur. *Et accedentes diſcipuli eius dixerunt: dimitte eam quia clamat poſt nos.* Diſcipuli *Pſal. 9.*

Mar. 7. ignari adhuc dominicæ diſpenſationis, tædio clamantis poſt ſe mulieris affectis ſupplicant pro ea domino dicentes: *dimitte eã*. i. fac quod precatur. Aut alio intellectu, cauſa pietatis fecerunt. Neq; enim miſericordia carere poterant, qui fontem miſericordiæ ſecum habebant. Inter hæc autem notandum, q alius euangeliſta dicit hanc mulierem in domo ad dominum acceſsiſſe. Matthæus autem loquitur, quaſi poſt ambulãtem dominũ in itinere ita clamauerit. Quod ita cõcordatur: Si intelligamus eam primum in domum veniſſe: ſed quia ibi reſponſum nullum accepit, egrediẽtem dominum ſequuta eſt, donec quod petebat meruit impetrare. Allegoricè autem mulier iſta poſt dominum clamans eccleſiam ſignat ex gentibus, vt dictum eſt, quæ dominũ prȩſentem in carne nõ vidit: & tamen aſcendente illo ad cœlos, poſt illum clamauit, nõ ſolum ipſa credendo, ſed alijs vtiliter prȩdicando. *Quibus ille dixit: Nõ ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael*. Omnis ſcriptura veteris teſtamenti ſicut prȩdicit Chriſtum venturum ad ſalutem Iudæorum, ſic etiam præfigurat per Chriſtum implendam eſſe vocationem gentium. Vnde ſcriptum eſt, dicente Iacob. Et ipſe erit expectatio gentium. Et Hieremię. 10.
Ge. 49 Quis non timebit te, ô rex gentium,

multaq́ his ſimilia. Quid eſt ergò quod nunc dicit: Non ſum miſſus niſi ad oues, &c. Sed dicendum eſt, quia Chriſtus primò per ſe miſſus eſt Iudæis prædicare, non autem & gentibus: ſed ipſe qui per ſe Iudæos docuit, per ſuos poſtmodum prædicatores gentes ad fidem vocauit. Quos & oues appellauit, vbi dixit, & alias oues habeo. *At illa venit, & adorauit eum, dicẽs: Domine, adiuua me. At ipſe dixit: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Filios in hoc loco Iudæos appellat, propter Dei notitiam, legiſq́ue perceptionem. Canes autem gentiles, propter immũditiam idololatriæ. Panem quoque ſemetipſum nuncupat, ſicut & alibi dicit: Ego ſum *Ioan. 6* panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Et eſt ſenſus: Incongruum eſt, vt ego qui de Iudæis carnem aſſumpſi, illos deſeram: & ad vos gentiles, qui canes eſtis, emigrem. Sed hęc vocabula miro ordine rerum ſecundum meritorum dignitatem, poſteà ſunt commutata. Nam & Iſraël qui quondam fuit filius, vt ſcrip- *Exo. 4.* tum eſt: Filius meus primogenitus Iſrael, nunc poſtquàm in filium Dei manum miſit, & cum morti tradidit, canum nomine vocatur, quum de Iudęis dicitur: Circundederunt me canes multi. Nos autem qui canes eramus, per domini miſericordiam ad fidem con- *Pſal. 22.*

 uerſi,

uerſi, filij nuncupamur, vt Ioan. 1. dicit: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Itaque nũc filij Dei ſumus *Etiam domine.* i. veraciter ita eſt vt aſſeris, quia non eſt bonum ſalutẽ populo Iſraëlitico cœlitus miſſam ſumere, & dare eam gentibus. *Nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*. Mulier iſta de qua ſermo agitur, tribus virtutibus inſignis fuiſſe comprobatur, fide ſcilicer & patiẽtia, & humilitate. Fidẽ nanq; habuit, quũ à dño Ieſu Chriſto potenter filiam ſuam ſanari poſſe non diffidit. Patiẽtiã quoq; tenuit, cũ tot vicibus ſe repulſam ſciens, nequaquam à petitione ceſſauit, ſed conſtanter in precibus perſtitit. Humilitatis egregia obſeruatrix fuit, quia canibus comparata, non ſolùm non detraxit, ſed ipſam quoq; domini ſententiam humiliter confirmauit, dicens: Etiã domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorũ ſuorũ. Scio me, inquit, filiorũ panem non mereri, nec integros poſſe capere cibos, nec ſedere ad menſam cum patre: ſed contẽta reliquijs catellorum, vt per humilitatem partis ad panis integri veniam magnitudinem. In quibus verbis mulier, quæ typum gerit eccleſiæ, à domino illuminatam ſe oſtendit eſſe. quæ ex conſortio ſermonis illius inſpirata, cum il-

lo iam myſtico eloquio ſermocinatur. Catelli natióq; myſticè nos gentiles ſumus, filij Canaam i. idololatrarũ patrũ noſtrorum. Menſa verò ſacra ſcriptura eſt quæ nobis cibum ſpiritualem alimoniæ quotidie miniſtrat. De qua menſa eadem ecclesia dicit ad Deum: Paraſti in conſpectu meo menſam. Et bene per mẽſam ſignatur ſacra ſcriptura: quia ſicut in menſa diuerſi cibi potusq; ponuntur vt vnuſquiſq; ſecundum qualitatem ſtomachi ſui ſumat, quod deſyderat: ita in ſcriptura ſacra omnes inueniunt, quod vnicuique conuenit. Ibi enim inuenit iuſtus, quomodo in iuſtitia ſua debeat permanere. Ibi inuenit peccator, quomodo debeat pœnitentiam agere. Ibi inuenit vir, quomodo & qualiter vxorem & familiam regat. Ibi audit mulier, quomodo ſubiecta eſſe debeat marito, vel quomodo caſtè debeat viuere. Myſticè verò ſignant interna myſteria ſcripturarum. Catelli ergò ſub menſa non cruſtis, ſed micis veſcuntur, quia vocati gentiles ad fidem Chriſti, non iam ſuperficiem literæ in ſcripturis: ſed ſpiritualem intelligentiæ medullam qua proficere poſſunt, perquirunt. Iudæi quaſi cruſtas comedunt, dum circunciſionem carnaliter obſeruant. Nos micis veſcimur, qui ſpiritualiter vitia corporis & mentis abſcindimus. Illi cruſtas comedunt, *Pſal. 22*

quando agnum decimaquarta die ad veſperam edunt. Nos veró ſubtilitate miſcarum paſcimur, quum quotidie de vitĳs, ad virtutes tranſitum facientes, corpus & ſanguinem domini ſumimus in veritate ad noſtram redemptionem. Et rectè non ſuper menſam, ſed ſub menſa catelli edere deſcribuntur, quia fideles ex gentibus humilitatis deuotione pleni, omnia officia corporis ad intelligenda atque complenda diuina præcepta ſupponunt. *Dicit ei Ieſus: O mulier, magna eſt fides tua.* Magna certè fides iſtius mulieris fuit, quæ nec prophetarum edocta vaticinĳs, nec ipſius domini prouocata miraculis, ſalutem filiæ à Chriſto etiam multotiēs repulſa inſtanter popoſcit. Magna vtique fides eſt ſanctæ eccleſiæ, quæ quum Chriſtū in carne præſentem non viderit, mox tamen vt Apoſtolica prædicatione inuenta eſt, perfectam ſalutem ſibi ſuiſque obtinuit, *fiat tibi ſicut vis.* Datur nobis intelligi, quia perfecta fides omnia quæ recte deſyderat adipiſci poteſt, iuxta quod dominus alibi dicit: Omnia poſsibilia ſunt credenti. *Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.* ſubauditur qua dominus dixit, magna eſt fides tua. Perpendendum eſt, quod propter magnam fidem matris, filia plenam ſoſpitatem meruit percipere. Quo loco forma ca-

the-

thezizandorum apertè tribuitur, qui tempore quo ad baptiſmum veniunt, ignari boni maliue, non ſua ſed parentum fide ſaluantur. Dignum nanq; eſt, vt qui aliorum peccato ſunt rei: aliorũ etiam fide ſint abluti. Obſeruandum verò eſt, quod filia Cananæa. 15. ſigno ſiue miraculo ſecundum Matthæum curata eſſe refertur. Qui numerus ſacramento perſpicuo redolet, creatus ex ſeptenario & octonario: quorum aliter, id eſt, ſeptenarius ad vetus teſtamentũ pertinet, propter ſabbatum antiquo populo Dei inſigne: alter autem, id eſt, octonarius, ad nouum ob reſurrectionem octauo die celebratum. Cùm ergò iſta in 15. ſanatur loco, indicatur, quòd ſiue eccleſia, ſiue fidelis quæq; anima tunc plenam conſequitur ſalutem, quum veteris ac noui teſtamenti doctrinam inoffenſam tenere, & perceptam efficaciter ſtuduerit obſeruare. Hinc Salomon ſuis auditoribus loquitur: Da partes ſeptem, necnon octo: quod eſt dicere: In vniuerſitate actionis tuæ non tam veteris teſtamenti dicta ſequere, quam noui teſtamẽti monitis obſecundare. Quòd verò ſeptenarius monade addito in octonariũ ſurgit, poſſumus ad myſterium referre, quia filia ſcilicet Cananæa, hoc eſt, vel generaliter eccleſia, vel ſpecialiter vnaquæq; anima, perfecta incolumitate, ſub

ſatis cunctis incõmoditatibus, perfrue-
tur cũ ſeptenario octauus ſucceſſerit.i.
cum peracto illius vitæ curriculo, qui ſe
ptem voluitur diebus, octauus dies, hoc
eſt, vniuerſale reſurrectionis tempus e-
uenerit quando ſanctis recipiẽtibus cor
poris indumenta, abſorbebitur mors in
victoria. Moraliter filia iſtius mulieris,
vnaquæque anima eſt, dæmoniacis ſua-
ſionibus malè capta, id eſt, homicidij &
cæterarum peſtium ſorde cumulata. Cu
ius ſalutẽ mater eccleſia iugiter à Chri-
ſto expoſcit, vt quæ ipſa per ſe non va-
let corrigere, ipſe interiùs inſpirando
conuertat, & à vitijs omnibus faciat e-
mendatam. Poſſumus & hoc ad nos re-
ferre. Si cuius enim fuerit conſcientia
ſuccumbens vitiorum oneribus, id eſt, ſi
inuidiæ veneno polluta eſt, filiam ha-
bet quæ malè à dæmonio vexatur, pro
cuius ſoſpitate ſedulo debemus diuinã
interpellare clementiam, & inter oran-
dum ſanctorum patrocinia prouiden-
do quærere, ſicut & Apoſtoli leguntur
pro iſta muliere intercelsiſſe, quatenus
eorum interceſsionibus fulti, incolumi
tatem animæ noſtræ à diuina miſeri-
cordia valeamus inuenire.

Dominica tertia quadrageſimæ.

Homilia ſuper eo verbo,

Lucæ. vndecimo.

Erat Ieſus eijciens dæmonium, et illud erat mutum. Mutum dicebatur dæmonium, nō quia mutum eſſet per naturam: ſed quia mutum hominē reddebat quem inuaſerat, quia non permittebat eum loqui. Tria miracula Dominus ſimul in homine vno perpetrauit, liberauit eum à dæmonio, & reddidit ei lumen, quia cæcus erat, ſecundum quod Matthæus Euangeliſta teſtatur, & loqui eum fecit. Hoc quotidie fit ſpiritualiter in ſancta Eccleſia, quando venit ad baptiſmum, & promittit ſe abrenunciaturum omnibus operibus diaboli, & pompis eius: tunc expellitur ab eo diabolus. Cùm verò imbuitur à ſacerdote qualiter credere debeat patrem, & filium, & ſpiritumſanctum percipit lumen fidei. Pòſtquàm verò lumen fidei perceperit, incipit loqui, id eſt, confiteri fidem ſuã, dicens: Credo in Deum patrem omnipotentem. *Et quum eiecißet dæmonium, locutus eſt mutus, & ammirata ſunt turbæ. Quidam ex eis dixerūt, in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Non quidã de turba hoc dixerunt, ſed ſcribæ & phariſæi, qui Domino inuidebant, ſicut alij Euangeliſtæ teſtantur. Turbæ enim quę minus eruditæ erant quàm ſcribæ & phariſæi, miracula quæ à Domino fieri videbant, etiam mirabãtur & laudabãt. Econtrà ſcribæ & phariſæi legis docto-

res videntes opera Domini,quæ negare poterant,negabant: & quæ negare non poterant,malè interpretabantur: ſicuti hîc quando dixerunt eum eijcere dęmonia. *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia*. Id eſt,per poteſtatem Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dęmones minoris poteſtatis. Beel ipſe eſt Baal: Beelzebub dicitur Deus Acharon. Fuit quidam rex potẽtiſsimus apud Aſſyrios Belus nomine,cui ſucceſsit in regno filius eius Ninus qui ædificauit Niniuem ciuitatem magnam. Et fecit ipſe Ninus in honorẽ patris ſui vnam ſtatuam auream,in ſimilitudinem patris,præcepitque ſubiectis ſuis,vt adorarent illam ſtatuam,& offerrent ei victimas. Cuius ſimulachri ſimilitudinẽ accipientes Chaldæi, id eſt, Babylonij, vocauerunt eum
Dan.14 Bel,ſicut ſcriptum eſt in Danielis volumine.Et idolum erat in Babylone nomine Bel. Poſtmodum appellauerunt eum
4.Re.1. nomine Baal. Deinde Philiſtæi vocauerunt eum Beelzebub.Beel interpretatur vir, Zebub autem muſca vocatur,Beelzebub igitur vir muſcarum,ſiue habens muſcas interpretatur, ob ſordes. ſ. immolatitij cruoris, quia multarum victimarum ſanguis ibi exprimebatur, ideo multæ muſcæ ibi conueniebant ad comedendum ſanguinem.Vel ex ipſo ſanguine procreabantur muſcæ in illo fimus

ſimulachro, in quo dicebant Iudæi princi pem dęmoniorum eſſe. Et ipſum princi- pem dęmoniorum dicebāt dominum Ie ſum Chriſtum introiſſe, per cuius pote ſtatem eijceret dęmones minores de ob ſeſsis hominibus. *Et alij tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo.* Vel in morē He liæ cupiebant ignem de ſublimi venire, quia Helias ignē de cœlo produxit, qui interfecit nūcios Achab. Vel in ſimilitu dinem Samuelis, petebāt pluuias de cœ lo ruere, tonitrua mugire, fulgura coru ſcare tempore æſtiuo cōtra naturā ter ræ promiſsionis. Quod Dn̄s noluit face re, nec ignē de cœlo producere, nec im- bres, quia ſi hoc feciſſet, calūniarētur & dicerent, ex occultis & varijs perturba tionibus aëris illa euenire. *Ipſe autē vt vidit cogitationes eorū, dixit.* Quare reſpō det Dn̄s ad cogitata eorū? Hoc ſoli Deo competit, vt cogitationes videat, vt oſtē deret ſe verū Deū eſſe, qui cogitationū ſecreta intuebatur, iuxta quod ſcriptum eſt: Homo videt in facie, Deus autē in tuetur cor. Nulli enim angelorū nec bo norū nec malorum hoc cōceſsit Deus, vt cogitationes hominū videre poſcit. Iuxta quod ſapientiſsimus Salomon di xit: Tu ſolus noſti cor filiorū hominū. Quaſi diceret Dn̄s ſcribis & phariſæis: Ea poteſtate qua cogitationes veſtras vi deo, poſsū dæmones eijcere de obſeſsis

4. Re. 1.
1. Re. 10

cor

corporibus, ſi voluero. *Omne regnum in ſe diuiſum*, quod ſemper fuit ſolidum & firmum, ſi diuiſum fuerit per partes ſicut illud *deſolabitur*, id eſt in ſolitudinē redigetur ab habitatoribus ſuis euacuabitur. *Et domus ſuper domum cadet*, id eſt, habitatores vnius domus, corruerunt ſuper habitatores alterius domus. Iſti pugnant contra illos, & illi contra iſtos, vt interficiāt ſe ad inuicem. Quare præmiſerit Dominus parabolam hanc manifeſtat cùm ſubiungit. *Si autem Satanas in ſeipſum diuiſus eſt* vt alij faciant bene, alij malè, *quomodo regnum illius ſtabit?* Si ita eſſet, nobis multum prodeſſet, quia bona pars vinceret malam, & nos pacē & tranquillitatem haberemus ab impugnationibus illorum, ſed non eſt ita. Sicut regnum patris & filij & ſpiritusſancti firmum & ſolidum eſt in ſanctitate, ita regnum diaboli vnitum eſt in malitia. *Si ego in beelzebub principe dæmoniorū eijcio dæmonia filij veſtri in quo eijciunt?* Filios Iudæorum appellat Apoſtol. qui de ſtirpe illorū nati ſunt: ac ſi diceret Dominus: Si ergò opera Apoſtolorū meorum, qui nihil malarum artium à me didicerunt, Deo aſsignatis & non diabolo, quare non idem opus eādem cauſam
Mat.10 habet in me? *Ideo ipſi iudices veſtri erunt* iuxta quod Dominus dicit: Cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedes

ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſraël: non poteſtate, ſed comparatione melioris facti. Narrat Ioſephus, q̄ Salomon feciſſet exorciſmum, id eſt, adiurationem ſermonis vndè eijciebantur dæmones: quo vſi ſunt Iudæi vſque ad prædicationem Apoſtolorum: vndè legitur in Actis Apoſtolorum q̄ erant ſeptem filij Sceuæ ſacerdotis, qui per illum exorciſmum eijciebant dæmones. Quaſi diceret Dñs. Si opera filiorũ veſtrorũ, q per exorciſmũ eijciũt dæmones, Deo aſsignatis & non diabolo: quare mea diabolo, & nõ Deo aſsignatis? *ideo ipſi iudices veſtri erũt. Porrò ſi in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Porrò nil aliud eſt niſi coniunctio. Per digitum poſſumus intelligere ſpiritumſanctum, propter diuerſitatem donorum, quæ per eũ dantur angelis & hominibus. In nullis enim membris ita apparet partitio, ſicut in digitis. Et rectè per digitos deſignatur ſpirituſſanctus: quia digito Dei ſunt ſuperati Magi in AEgypto. Vndè dixerunt Magi ad Pharaonem: Digitus Dei hic eſt, id eſt, ſpirituſſanctus. Hoc digito Dei ſcriptæ ſunt tabulę in monte Synai. *Profectò certè*, omnino *peruenit in vos regnum Dei*, regnum Dei appellatur hîc iudicium Dei. Eſt ſenſus: Sicut vos quantum in vobis eſt, mea opera ſeparatis ab ope-

Act. 13.

operibus Dei & aſsignatis diabolo: ita & in die iudicij ſeparabimini ab electis, qui in præſenti ſeculo agunt pœnitētiā de peccatis ſuis præteritis, & trademini diabolo & angelis eius ad puniēdū, cui opera mea aſsignatis. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum.* Secundum literam manifeſtus eſt ſenſus: Spiritualiter fortē armatum poſſumus intelligere diabolū, atrium illius mundum, arma ſunt aſtutiæ eius, ſpolia illius ſunt homines. Diabolus ante aduentū filij Dei, in pace regnabat in mundo, nullus reſiſtebat ſibi. Sed quid factum eſt? Venit fortior illo Dñs Ieſus Chriſtus, vnde dicit Pſa. Dñs fortis & potens, Dominus potēs in prælio. Superauit eum tempore paſsionis ſuæ, & omnia arma illius, id eſt, dolos & aſtutias, cum quibus homines deijciebat abſtulit ei: & illos quos viuos inuenit, per diuerſa officia diſtribuit, alios fecit Prophetas, alios Prædicatores, alios Apoſtolos. Quærit aliquis, ſi Dominus Ieſus Chriſtus poteſtatē diaboli abſtulit, quare regnat modò in mūdo? Ad hoc ſciēdū eſt, quòd diabolus poteſt nulli nocere, niſi adhęſerit illi peccādo, verbi gratia: Sicut canis radibus ligatus nō poteſt hominem mordere, niſi acceſſerit ad eum, ita diabolus nulli poteſt nocere, niſi acceſſerit ad eum peccando. *Qui non eſt mecum aduerſum me eſt.* Cōtra diabo-

bolum loquitur hîc Dominus. Diabolus nõ eſt cum Chriſto, quia contrarius eſt operibus Chriſti, *& qui nõ colligit mecum diſpergit*. Dñs noſter Ieſus Chriſtus, quotidie colligit homines de vitijs ad virtutes, de cultura idolorum ad amorem Dei, & diabolus diſpergit homines de virtutibus ad vitia, de amore Dei, ad culturam idolorum. *Cùm immundus ſpiritus exierit ab hominibus*. Immundus ſpiritus eſt diabolus. Exiuit à Iudæis quando acceperunt legem in monte Synai à Domino, vndè & dixerũt: Omnia quæ locutus eſt nobis Deus, faciemus, & erimus obediẽtes. *Ambulat per loca inaquoſa*, i. per ſolitudinẽ gentium. Inaquoſa dicitur, quia non habebat aquã, id eſt, ſpiritumſanctum, vndè dicit Dominus: Si quis ſitit, veniat ad me & bibat: & de vẽtre eius fluent aquæ viuæ. *Quærẽs requiẽ & non inuenit*, quia voluit ibi æternaliter manere. Sed quid factum eſt? Aduenıente Domino in carne, & prędicantibus Apoſtolis, expulſus eſt ab eis. *Dicit: Reuertar in domũ meam*, vndè exiui, id eſt, poſsidebo Iudæos, quos ante dimiſi, *& cũ venerit, inuenit ſcopis mundatam*, ſicut illis videtur & ornatam ſuperſtitionibus & varijs traditionibus ſcribarũ & phariſæorum *& tunc vadit & aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe*. Per ſeptẽ ſpiritus nequiores ſe, poſſumus intelligere ſeptem

vitia

vitia principalia, ſuperbiam, gulam, iram, triſtitiam, cenodoxiam, accidiam, auaritiam, *& ingreßi habitant ibi.* i. diabolus cum vitijs ſuis *& fiunt nouißima hominis illius peiora prioribus.* Peiores ſunt modò Iudæi, blaſphemantes Dominum Ieſum Chriſtum in ſinagogis ſuis, quàm fuiſſent in AEgypto, ſine lege & ſine cognitione Dei, colentes idola. Quia melius eſt viam veritatis non agnoſcere, quàm poſt cognitionē retrorſum inflecti. Vel aliter. *Cū immundus ſpiritus exierit ab homine.* Quod diximus de vna gente, id eſt, de vno populo Iudęorum, poſſumus ad vnum quemque hominem referre. Cū homo venit ad baptiſmum, exijt ab eo diabolus cū promittit ſe abrenūciaturū omnibus operibus diaboli, & pompis illius. Ambulat per loca inaquoſa, id eſt, circuit congregationes fidelium, quærens requiem & non inuenit, quare non inuenit? Quia Dominus habitat in cordibus electorum ſuorum, & non inueniens dicit: reuertar in domum meam vndè exiui, id eſt, poſsidebo homines quos tempore baptiſmatis dimiſi. Et cū venerit, inuenit ſcopis mundatam, per baptiſmum ab originalibus peccatis, & vacantem a bonis operibus, & ornatam per hypocriſim: putat ſe virtutes habere, quas nō habet. *Factū eſt autem cū hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba*

turba, dixit ill: hæc mulier typũ gerebat ſanctæ Eccleſiæ. *Beatus venter qui te portauit, et vbera quæ ſuxiſti.* Virgo Maria beata fuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, & virgo in æuum permanſit. ſed beatior fuit, quia verbum Dei cuſtodiuit, & mandatis eius obediuit. *Quinimo* ſed magis, *beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Vnuſquiſque homo qui audit verbum Dei, & corde cõcipit, & ore profert, & opere implet, beatus eſt.

Dominica Lætare.

Homilia ſuper eo verbo, Ioannis ſexto.

A*Bijt Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis.* Poſt hæc abijt trans mare Galilææ. Hoc mare propter diuerſitatem locorum, diuerſis vocabulis eſt nuncupatum. Sed quantum præſens locus expetit mare Galilææ dicitur propter prouinciã huius nominis cõtiguã. Mare autem Tyberiadis à ciuitate eiuſdem prouinciæ vocabulũ mutauit. Sed quæritur cur hoc ſtagnũ mare dicatur, cùm iuxta fidem doctorum non amaris aquis ſit in potationem, ſed dulcibus aquis habiliſsimam potationem circumiectis viculis ſubminiſtret? Nimirũ propter idioma Hebraicæ linguæ mare appellatur, ſecundum quod cunctæ cõgregationes aquarum appellantur Maria.

Ex-

Extẽditur hoc mare in longitudinẽ ſui centũ quadraginta ſtadijs, in latitudinẽ verò quadraginta, cui Iordanis interfluens tẽdit vſque ad mare mortuũ, quę olim fuit regio Pentapolis, ibique perdit ſuas laudabiles aquas. Speciali verò intellectu, mare quod ab amaritudine, vel à meando, hoc eſt à motu dicitur, eò ꝙ ſemper in motu ſit, præſentis ſeculi turbidã & inquietam habitationẽ deſignat, quæ nũquam in eodem ſtatu permanet. Quia in hunc mundum per natiuitatem accedimus, & per mortem recedimus. Et aliquando proſpera: aliquãdo comitantur nos triſtia, ſempérque in motu ſumus vbi carnales homines tanquam piſces profundis gurgitibus dediti, in imò paſci deſiderãt. Vndè congruè hoc mare Galilææ cognominatur, ꝗ interpretatur rota vel volubilitas, quia nimirũ amor labẽtis ſeculi corda quę obtinet in vertiginẽ. i. in amentiam mittit. Hinc Pſal. de reprobis dicit: In circuitu impij ambulãt. Quòd verò abeũtem Dominũ trãs mare Galilęę turbæ multę ſequuntur, figuratè indicat, quia mox vt Chriſtus carnẽ noſtrę mortalitatis adijt naſcendo, calcauit moriẽdo, tranſiuit à mortuis reſurgendo ſecutę ſunt eũ turbæ multę credentiũ ex vtroque populo collectorũ. Secutę ſunt autem non greſſu pedum, ſed imitatione fidei & morũ, vt

Vt impleretur quod idem dixit: Cũ exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meiſum. Vnde Pſal. Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terrã gloria tua. Sequitur autem & dicitur, qua cauſa illũ turbæ comitabantur, *quia videbãt*, inquit, *ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur*. Nouiſsima ſunt ſigna quę Dominus circa infirmitates operabatur, cęcos illuminabat, leproſos mũdabat, mortuos ſuſcitabat. Sed inter hæc ſciẽdũ qa Dñs quoſcũq; corporali ſanitati donabat, eos pariter in anima perfectæ ſaluti reformabat. Iſta verò ſigna per ſemetipſum egit & Apoſtolis poſt ſe operanda donauit, dicẽs. Signa aũt eos q in me crediderint, hæc ſequẽtur. In nomine meo dęmonia eijciẽt, linguis loquẽtur nouis ſerpẽtes tollẽt. *Subijt ergò in mõtẽ Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.* Quòd Dñs turbas in parte inferiori mõtis ſanauit, docuit, ac refecit, & cũ diſcipulis in montẽ celſiorẽ cõſcẽdit, hoc myſticè ſignat, quia Dominus iuxta capacitatem fidelium munera ſuæ largitatis impendit, perfectioribus. ſ. alta ſuę doctrinę myſteria demonſtrãs, infirmis autẽ & paruulis ſimplicia quæque præcepta committens. Vel etiam non abs re turbas paſturus cum diſcipulis in montẽ cõſcendit, ſignans, quia doctores quoſcunq; poſſunt ad celſitudinem ſupernæ ſcientiæ

eri

erigere debēt. Videndum eſt ergò, exem
pli gratia.ſ.quo ordine ipſe Dei filius au
ditorem ſuũ ad ſuperiora nitebatur ex-
tollere, vt Euangeliſtæ manifeſtant, ac-
ceſsit ad eum quidam diues ex foribus
Iudæorum, dicens: Magiſter quid facien-
do vitam æternam poſsidebo? Et Do-
minus: Mandata, inquit, noſti, non occi-
des, nō adulterabis, non furtum facies,
non loqueris contra proximum tuum
falſum teſtimonium. Dixit ei adoleſcēs:
Hæc omnia à iuuentute mea cuſtodiui.
Hæc dicens in quadam valle erat poſi-
tus, quia perfectionem virtutis nōdum
erat aſſecutus. Vndè Dominus, vt illius
imperfectionem suppleret, dicit ei: Vis
perfectus eſſe? vade & vende omnia quæ
poſsides, & da pauperibus, & reliqua.
Sed ille quia diues erat, receſsit mœrens
in domum ſuam. Hoc exemplo beatus
Paulus Apoſtolus ſublimabat auditores
ſuos, quibus dicebat: Adhuc excellētio-
rem viam vobis demonſtro. Et ſapien-
tiam loquimur inter perfectos. Et ſim-
plicibus: Non potui vobis loqui quaſi
ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tā-
quā paruulis in Chriſto lac vobis potū
dedi, non eſcam. Quantum verò ad lite-
ram pertinet, mons hic latiſsimus erat,
in cuius media parte alius mons eminēs
exurgebat, in quem Dominus relictu-
rus turbas aſcendiſſe memoratur, quas
in

in inferiori mõte paulò antè docuerat, atque ſanauerat. *Erat autem in proximo Paſcha dies feſtus Iudæorum.* Paſchalis feſtiuitas à Iudæis per ſingulos annos celebrabatur antiquitus in memoriam liberationis de Aegypto. Sed ſine certi gratia ſacramenti Euangeliſta hoc in loco paſchalis feſtiuitatis non facit mentionem, quaſi occultè innuens, illos ſupernæ refectionis fercula percepturos, qui in præſenti verũ paſcha, hoc eſt, tranſitũ ſpiritualẽ celebrare ſategerint. *Cũ ergò ſubleuaſſet oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eũ, dicit ad Philippũ.* Subleuatio oculorũ Dei reſpectũ miſericordiæ illius indicat, quo ad ſe omnes venientes, pia manſuetudine dignatur colligere. Oculi nãq; illius dona ſunt ſancti ſpiritus, quæ Eſaias propheta in eo requieuiſſe cõmemorans, ita enumerat. Et requieuit ſuper eũ ſpiritus Dñi, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & repleuit eũ ſpiritus timoris Dñi Zacharias quoq; in vno lapide ſeptem oculos deſcribit. Quod quid eſt aliud quã plenitudo ſpiritualiũ donorũ in vno mediatore Dei & hominũ? Hinc Ioannes dicit: Vidi agnum tãquam occiſum, habentem cornua ſeptem & oculos ſeptem: quo in loco agnus Chriſtus accipitur, qui tanquam occiſus dicitur, *Eſa. 11.*

quia reſurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltrà nõ dominabitur. Quid verò ſunt ſeptem cornua, niſi vniuerſitas regnorum omniũ quæ per cornua exprimuntur? Septenario enim numero crebrò vniuerſitas deſignatur. Septem igitur cornua agnus habet, quia Chriſtus cũctas cœli ac terræ regna ſua poteſtate ac prouidentia obtinet. Quid verò ſunt ſeptem oculi? Vt præmiſſum eſt, dona ſpiritusſancti. Qui ſpiritus cũ vnus ſit, ſeptiformis tamẽ dicitur, quia per illum omnia beneficiorum diuinorum chariſmata fidelibus conferuntur, vt Paulus Apoſtolus dicit: Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij ſignorum genera, alij interpretatio ſermonum. Hæc omnia operatur vnus atque idem ſpiritus. Hos profectò oculos Dominus Ieſus Chriſtus in electos ſuos dirigit, atque vt ad ſe venire valeãt, reſpectum eis ſuæ pietatis impendit. *Dicit ad Philippum: Vnde panes ememus, vt mãducent hi?* Soliti ſunt periti magiſtri, à delectis diſcipulis nonnulla ſtipulari ſeu interrogare, non vt diſcant quid neſciunt, ſed vt illorum ignorantiam doceant, dũ ſe neſcire quod quæritur profiteantur. Simili ratione Dominus diſcipulum interrogat, non vt ignota diſcat, ſed vt propriam tarditatem rudi adhuc diſcipulo oſtendat,

quam

quam ipſe in ſe needũ perpendere valebat In ipſa enim reſponſione ſua qua dicit: *Ducenorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.* Tarditatem fidei ſuæ oſtēdit Philippus. Nam ſi integrè ſapuiſſet, præſente rerum creatore de paucis panibus, aut etiam de nihilo multa milia hominū diceret ſaturari. Idem enim qui tam corporaliter hoc impleuit, quotidie de terra panem producit, & vinum quòd lætificat cor hominis, & tamen nemo miratur. Diuina nanque miracula aſsiduitate viluerunt. Suſcitauit quatriduanum Lazarum & omnes mirati ſunt. *Ioan.11*
Quotidie creat in vteris matrum eos qui non erant, & nemo miratur, cùm ampliùs ſit hominem educi de nihilo, quàm reuocari hominem de ſepulchro. Quod verò dicit Euangeliſta: *Hoc autem dicebat tentans eum* breuiter intimauit tentationem in hoc loco, non eam accipi quæ decipit, ſed quæ probat. De qua & Moſes, Tentat (inquit) vos Deus veſter. *Deu.13* *Dicit ei vnus ex diſcipulis eius Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces, ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Sed nec iſte adhuc perfectus erat in fide. Res geſta iuxta hiſtoriam, præclaram oſtendit Chriſti potentiam, cui non eſt impoſsibile

 cui

ꝙ potuerit velle. Iuxta verò ſpiritualem
intellectū cōſiderata, gratiſsima data my-
ſteriorum refulgēt. Quinq; enim panes
deſignāt quinque libros Moſi, quos po-
pulus Iſraëliticus vt omnes ſeruaret ac-
cepit. Signanter autē eos non ſimplici-
ter panes, ſed cū additamento hordea-
ceos fuiſſe narratur. Hoc enim genus
pabuli ſeruorū & iumentorū cibus exi-
ſtit. Et Iudæi nihilominus tanquam ſer-
ui brutaq; animalia, ſarcinam legis acce-
perunt. Cui ſenſui aptè conuenit, ꝙ hor-
dei medulla paleis tenaciſsimis operi-
tur. Nam & lex exterioris literæ vela-
mine palliata, interioris ſacramenti ve-
lamen in gentibus occultabat. At puer
ille eundem populi typum tenet, pro eo
quod legem pueriliter intellexit, hoc eſt
in ſuperficie. Et ſicut puer antequàm vi-
deatur, tangatur, olfetur, guſtetur quę
requirere nouit, ſic idē populus ſolūmo-
dò his quæ exteriora ſunt inhians intē-
debat, audiens à Domino per Prophe-
Eſa. 1. tam. Si volueritis & audieritis me, bo-
na terræ comedetis. Et per Moſen. Da-
Exo. 13 bo vobis terram lacte & melle manan-
tem. Ferebat panem, & tamen non co-
medebat, nec turbis dabat. Quia gens
Iſraëlitica legem quidem ſuperficie te-
nus lactitabat, ſed nec ipſam interiorē
intelligentiam obtinebat, nec aliis ex-
planandam porrigebat. Duo verò piſ-

ces ſignāt Prophetarum & Pſalmorum melodiam, quæ vtraque ſcriptura conſcorditer domini noſtri Ieſu Chriſti prænunciabat aduentum. Sicut enim piſces panibus hordeaceis ad hoc additi ſunt, vt eorum auſteritatem ſuo ſapore mitigēt: ſic Prophetæ & Pſalmi legi Moſaicæ ea ratione ſunt copulati, vt illius importabilem duriciam ſua lenitate mitigarent. Cuius rei exempla numeroſiſſima facilè eſt reperire, quorum duo ſufficiunt. Lex enim grauiſsimam auſteritatem indicat, quando præcipit reddere oculum pro oculo, & dentem pro dēte, & cætera quæ in lege iubentur. Quod Pſalmiſta molire videtur, cùm dicit: Si reddidi retribuentibus mihi mala, id eſt, non reddidi. Rurſum lex dicit, imò Deus in lege. Ego ſum Deus zelotes, id eſt, vltor, viſitans iniquitatem patrū in filios, in tertiam & quartam generationem. At per Prophetam: Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Aut certè alio ſenſu Duo piſces figurant illas duas principales perſonas quibus idem populus regebatur, regum ſcilicet & ſacerdotum, qui ſoli in veteri teſtamento oleo conſecrationis perungebantur, ſicut legimus, Aaron inunctum cum filijs ſuis, Saul, Dauid & Salomon in Syō. Nam quemadmodum piſces tunduntur

Exo. 21.
Deu. 19
Pſal. 7.
Exo. 20
Eze. 18.
Exo 20 & 30.
1. Re. 10 & 16.

fluctibus & non deficiunt, ſic præfatæ perſonæ ſubiectorũ ſuorum ſedulò in correctis moribus, quos ſanabant, & ſemper in virtute creſcebant. Quorum typũ redemptor noſter aduentens in veritatem conuertit, quia illorum officia veraciter in ſemetipſum ſuſcepit, & factus eſt ſacerdos ſui corporis hoſtiã in cruce offerendo: & rex regnum perenne ſuis imitatoribus tribuendo. Sacerdos etiam eſt, quia nos ſanctificat, ſicut dicitur ei in Pſal. Tu es ſacerdos in æternũ ſecundum ordinem Melchiſedec. Rex ſicut ipſe dixit: Ego autem factus ſum rex ab eo. Et data eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra. *Ait ergò Ieſus: Facite hõmines diſcumbere.* Notandum ad literam, quia diſcumbere dicimus iacendo comedere more antiquo. *Erat autem fœnũ multum in loco.* Non fruſtra Euangeliſta ſignauit plurimum fœnum in illo loco fuiſſe, ſed vt oſtenderet quia qui cibariis Dominicis animari deſiderat florem fœni immaturitatem ſcilicet vitiorum neceſſe eſt conterat. Nam per fœnum cùm aliæ carnales illecebræ, aliæ flagitiorũ nequitiæ deſignentur, maximè libido deſignatur. Vndè ſcriptum eſt: omnis caro fœnum. *Diſcubuerunt ergò viri numero quaſi quinque milia.* Vt alij Euangeliſtæ produnt multæ mulieres & paruuli hoc conuiuio ſunt refecti. Sed Ioãnes

ſtes non niſi viros hoc numero cōpre-
hendit, ob ſignificationem ſcilicet ſpiri-
tualem. Viri enim dicuntur à viribus.
Viros ergò ſolummodo in hoc loco cō-
memorat, vt innuat, quia illi cœleſtis li-
bri numero intrò ſcribi digni ſunt, qui
efficaces & viriles in ſanctis actionibus
inueniuntur. Quibus & dicitur: Gau-
dete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt
in cœlis. At qui enerues ſunt, & fœmi-
nea inconſtantia euirati, ab hoc nume-
ro ſunt excludendi tanquam ſuperflui.
Qui enim numerum excedunt, per ſi-
gnificationem in ſortem reproborū nu-
merantur. De quibus Pſalm. Annun-
ciaui & locutus ſum, multiplicati ſunt
ſuper numerum. Numerus enim ad ſan-
ctos pertinet tantum, qui cum Chriſto
ſunt regnaturi. Quinario autem crebrò
quinque corporis ſenſus notiſsimi ex-
primūtur. Millenarius verò ſemper pro
perfectione earum rerū ponitur de qui-
bus ratio agitur. Illum enim nulla no-
ſtra calculatio valet excedere. Quinque
ergò milia fuerunt vt ipſo numero de-
ſignetur, quia illi qui quinque corporis
ſenſus à peccato cuſtodiunt eos diuina
gratia ſuperſignat conuiuio ęterno. *Ac-
cepit ergò panes Ieſus* Signandū, quod cū
poſſet nouos panes creare noluit, ſed
eos qui illati ſunt turbarum refectione
cumulauit. Quid ſignant, niſi quia in-

mundũ veniens, nõ veterẽ ſcripturã reprobauit, & nouã cõdidit, ſed ipſam quę antiquitus fuit cõdita, quid in ſe ſalutaris myſterij gereret, diſcipulis ſurgẽs à mortuis aperiendo patefecit. Hinc ipſe
Matt. 5. in Euãgelio ait: Nõ veni ſoluere legem, ſed adimplere *Et cùm gratias egiſſet.* Refecturus multitudinẽ turbarum, gratias egit, vt ſuo exemplo nos inſtrueret, quatenus omnipotenti Deo gratias referamus, quotiẽs aut ſpirituali cibo aut corporali alimonia ab ipſo reficimur. Vel certè ideo gratias egit, vt quãtũ de profectu noſtræ ſalutis gratularetur, intimaret Si enim noſſe volumus, quãtum
Luc. 10 ſaluator noſter noſtræ gaudeat ſaluti, illud ad mẽtem reuocãdum eſt, quòd Lucas narrat: Regreſsis à prædicatione diſcipulis, cũ quidẽ nomina eorum ſcripta in cœlis eſſe indicaſſet, in ipſa hora exultauit in ſpiritu & dixit: Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ. *Diſtribuit diſcũbentibus.* Alio Euangeliſta narran
Mat. 11. te didicimus, quia Dominus accipiens panem dedit diſcipulis, diſcipuli autem appoſuerunt turbæ. Et hoc eſt quod ſcriptum eſt Cùm enim initium noſtræ ſalutis per Dominum enarrari cœpiſſet, ab his qui audierunt in nos confirmatum eſt. Chriſtus enim reſurgẽs ex mortuis cum triumpho victoriæ, Apoſtolis ſuis archana diuinarum ſcripturarũ
reue-

reuelauit, quando aperuit illis ſenſum vt intelligerent omnia, quæ de eo ſcri-pta erant in lege & prophetis, & dixit: Ite, docete omnes gentes. Illi autem pro-fecti prædicauerunt vbique. Poſſumus & apertiùs dicere: Accepit panem & be-nedixit, ſecundum alium Euangeliſtam, quando omnia quæ de eo ſcripta erant in lege & prophetis, ſpiritualiter in ſe compleuit, ea quę tunc minus erant ſup pleuit, oſtendens legem à Deo eſſe datā. Fregit, aperuit diſcipulis ſenſum vt in-telligerent ſcripturas, diſtribuit illis, vt apponerent cùm dixit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomi ne patris & filij & ſpiritusſancti. Illi au-tem appoſuerunt turbæ, quando profe-cti prædicauerunt vbique Domino coo perante & ſermonem confirmante, ſe-quentibus ſignis. Myſticè hoc Domini præcepto ſignatur, quia vberiora ſacra-menta quæ rudes turbæ penetrare non ſufficiunt, perfectiores quique ſolerti cura debent recondere, vt & congruen-te tempore valeant ad incrementum a-liorum promulgare, & explanare docē-do & ſcribendo, ſicut fecerunt ſancti A-poſtoli & ſancti doctores, vt Auguſtin⁹, Hieronymus, & Gregorius & cæteri, qui dicto & ſcripto myſteria altiora ſcri pturarū nobis expoſuerunt. Poſſunt e-tiam per fragmenta fortiora prçcepta &

altiora inſtituta vitæ intelligi: ſicut eſt cōtēptus ſeculi, de quo Dñs dicit: Si qs nō renūciauerit omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Virginitas quoque de qua Dominus loquitur, qui poteſt capere capiat, iſta eſt, quã generalis multitudo & ſimplices quique implere non præualēt, perfectiores quique debent obſeruare, maximè prædicatores. *Collegerunt ergò & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum plenos.* In cophinis vilia officia geri ſolent, & quid per cophinos accipere debemus, niſi Apoſtolos & reliquum ordinem imitatorum illorum, Apoſtolicos ſcilicet viros? Qui licet in tempore præſenti deſpicabiles viléſque appareant, ſpiritualium tamen Sacramentorum diuitijs interius ſunt refecti: quorum vnus dixit: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſima vſque
2.Co.4 adhuc. Notandum verò breuiter, quod
1.Co.4 hoc differt iſta turbarum refectio ab altera, quæ de ſeptem panibus celebrata legitur, quia cùm hic panes hordeacei memorantur, illic verò nil tale dicitur. Per hanc lex exprimitur, per illam Euangelium ſignatur. Vtraque tamen in mōte geritur, quia vtraque Dominum noſtrū Ieſum Chriſtū, qui eſt verus mons, panis voce pronunciat, vtraque altitudi
nem

ſtem iuſtitiæ, diuinorúmque præceptorum myſteria nobis commendat. Sed meritò quæritur, quid ſignat quòd Dominus Ieſus has turbas reficiens, primò de quinque panibus quinque milia, Secundo de ſeptem panibus tria milia pauit, cur primò de paucis panibus plures, cur ſecundò de pluribus pauciores? Quæſtio myſticè eſt notanda. In illo enim conuiuio ſeptẽ panũ quod nouum teſtamentum, vt præmiſſum eſt deſignat, de pluribus panibus pauciores ſatiauit, quaſi volens oſtendere paucos eſſe, qui perfectionẽ Euãgelicã ſequi atque opere exercere, aut velint, aut valeant. At verò in illo quod de quinque panibus factũ, legem antiquitus datã deſignat de paucioribꝰ plures reficit innuẽs & numeroſiores inueniri, qui leuia carnaliaq́ legis decreta implere eligũt, quã qui Euangelicæ authoritatis arduã obſeruationem velint attingere. Clarè enim legis mandata ad implendum faciliora eſſe quàm præcepta ſancti Euangelij. *Illi ergò homines cùm vidiſſent quod fecerat ſignũ, dicebant. Quia hic eſt vere Propheta, qui venturus eſt in mundum.* Hinc liquidò patet longè nos aliter credere, quã turbæ tunc temporis de Chriſto ſentiebant. Quantùm licet errarent, tamen errori illorum cum deuotione aliquid veritatis in eſſe depræhenditur.

Nempe quidē idē Dominus ſe prophetam nuncupari quòd voluerat, quā pluꝛima exempla ſuppetunt: è quibus ipſo dicente proferimus. Non capit perire prophetam extra Hieruſalem. Propheta nanque dicitur, quia antequā ſecūdum humanitatem naſceretur, vniuerſa futura per legem & prophetas præſignare potuit. De quo & Moſes: Prophetā vobis ſuſcitabit Deus de fratribus veſtris, tanquam meipſum audite. Ita verò duntaxat Chriſtum prophetam debemus credere, vt fateamur etiam Dominum prophetarum, ſicut regem regum & dominum dominantium. Quo circa nos qui iam per illius dignationem illuminati ad fidem ſumus, amplioris fidei indicia de certiori confeſsione declaremus. Quia hic eſt Deus omnipotēs filius Dei patris vnigenitus, qui in principio mūdalis fabricæ, nos cùm non eſſemus condidit, & oportuno tempore cum perditi eſſemus, propria nos paſsione redemit. Idem denique qui à mundo eſt iudicatus pro noſtra ſalute, in fine mūdi iudex & arbiter omnium ſeculorum creditur eſſe venturus, vt electos omnes à mundi origine pia retributione pro laboribus cunctis remuneret, reprobos autem nihilominus pro admiſsis facinoribus meritis ſupplicijs dānet, iſtis triſtem ſententiam intonādo, diſcedite à me

à me maledicti in ignem æternum, illis verò clementi beneuolentia inferendo, venite benedicti patris mei, poſsidete præparatum vobis regnum ab origine mundi Cuius deſyderatiſsimę vocis auditores & participes ipſo opitulante exiſtere mereamur in ſecula ſeculorum, Amen.

Dominica in Paſsione.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Ioannis octauo.

Q*Vis ex vobis arguet me de peccato,* Sermo euangelicus deſcribit, quod oſtenderit dominus Iudæos eſſe peccatores, dicens: Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: & patrem illorum eſſe diabolum inquiens: Vos ex patre diabolo eſtis. Quibus præmiſsis, ſtatim ſubintulit. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Arguere dicebant antiqui oſtendere: vnde habetur in epiſtola Pauli ad Romanos, incipit argumentum, id eſt, oſtenſio. *Quis ex vobis arguet me de peccato*, id eſt, quis ex vobis oſtendet me eſſe peccatorem, ſicut ego oſtendo vos peccatores eſſe, & patrem veſtrum diabolum, exeat in medium, & dicat: *Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?* Dominus veritatem dicebat cũ eos arguebat, vos ex patre diabolo eſtis: quare non creditis mihi, niſi quia filij diaboli eſtis. *Qui*

ex Deo eſt, verba Dei audit. Legimus in euangelio ſecūdum Ioannem dixiſſe dominum ad Iudæos, qui in eum crediderunt: Si manſeritis in ſermone meo, veri diſcipuli mei eritis: & veritas liberabit vos. Vnuſquiſque homo qui verbum Dei corde concipit, & ore profitetur, & opere implet, ex Deo eſt. Cœleſtē patriam deſyderare veritas iubet, aliena non rapere, propria largiri, terrena pro Chriſti nomine relinquere. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Erant tunc temporis tales in populo Iudæorum, qui nunquam erāt credituri in dominum Ieſum Chriſtum, neque ad æternam vitam venturi, de illis dicit dominus: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Ex Deo erant, & ex Deo non erant. Ex Deo erant ſecundum naturā corporis & animæ, quia Deus creauerat corpora & animas illorū. Ex Deo nō erāt per culpam & vitiū imitationis: quia cuius opera facis, eius filius appellaris: *Reſponderunt ergò Iudæi, & dixerunt: Nónne bene dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Reſpondit eis Ieſus: Ego dæmonium non habeo.* Duo quippe ei illata fuerant, vnum negauit quod de ſe fallaciter audiuit dicens: Ego dæmonium non habeo: & alterum tacendo conſenſit, quod ille ſe eſſe veraciter intellexit, quia dixerūt ei: Samaritanus

Ioan. 8.

es tu, quia Samaritanus interpretatur
cuſtos, & dominus Ieſus Chriſtus cu-
ſtos eſt humani generis, vnde dicit Pſal
miſta: Ecce non dormitabit neque dor- Pſ.120.
miet, qui cuſtodit Iſraël. Et Eſaias: Cu- Eſai.21.
ſtos quid de nocte, cuſtos quid de no-
cte? Si enim negaſſet ſe Samaritanum eſ
ſe, tunc negaſſet ſe cuſtodem generis
humani eſſe. Poterat dominus Ieſus Chri-
ſtus veraciter illis dicere, vos dæmoni-
um habetis, quia niſi dæmonio pleni
fuiſſent, tam peruerſa loqui de domi-
no non potuiſſent. Quare? Si dixiſſet
enim, vicem contumeliæ illis videretur
reddere, & dicerent illi: Certè vicem cō
tumeliæ dominus nobis reddit. Dedit
nobis exemplum, quia quando verbum
contumeliæ à proximis audimus, vera
illorum mala taceamus: *Sed honorifico pa-
trem meū*, honorifico & glorifico & cla-
rifico tria verba ſunt, vnum ſenſum ha-
bentia. Dominus Ieſus Chriſtus hono-
rificauit Deū patrem, quia omnia quæ
loquebatur & operabatur, ad laudē Dei Ioā.14.
patris referebat, iuxta quod ipſe dicit, Matt.18
pater in me manens ipſe facit opera: *&* Mar.6.
vos inhonorabitis me, dicentes: Samarita-
nus es, & dæmonium habes: & amicus
publicanorum & peccatorum homi-
num, & potator vini, & filius fabri. *Ego
nō quæro gloriam meam*. Gloria humana
eſt, vicem reddere maledicenti vel per-

cuſ

cutienti. Dominus non quæſiuit gloriã
ſuam , quia Iudæis calumniantibus ſe
noluit vindictam expetere in præſenti,
ſed in futurum ſeruauit : *Eſt qui quærat*
& iudicet. Deum patrem vult hic intelli-
gere. Eſt pater qui quærat gloriam meã
& iudicet, id eſt, diſcernat gloriam meã
Ioan.5. â gloria veſtra. Dominus alibi dicit: Pa-
ter non iudicat quenquam, ſed omne iu
dicium dedit filio . Quare igitur hic di-
cit, eſt pater qui quærat gloriam meam,
& iudicet: Dei iudicium dupliciter poſ-
ſumus intelligere, vno modo dicitur iu
dicium Dei damnatio, vndè dicit domi
nus : Princeps huius mundi iudicatus
Ioan.12 eſt Alio modo dicitur iudicium Dei diſ-
cretio, iuxta quod Pſalmiſta dicit: Iudi-
ca me Deus. Quid eſt iudica, ſtatim ma-
nifeſtat cùm dicit , & diſcerne cauſam
meam . Magna diſtantia eſt inter gloriã
Dei , & gloriam humanam. Filius Dei
quando voluit natus eſt: quando voluit
in hoc mundo prædicauit, quando vo-
luit paſſus & ſepultus , & quando vo-
luit reſurrexit, & ad cœlos aſcẽdit. Nos
verò ita non agimus, nec quando volu-
mus , naſcimur, nec quandiu volumus
viuimus , nec quando volumus mori-
mur . *Amen amen dico vobis* , id eſt , ve-
rum verum dico vobis. *Si quis ſermonem*
meum ſeruauerit, mortem non videbit in æ-
ternum. Sermonem Dei poſſumus intel-
ligere

ligere filium Dei, tã in veteri teſtamen-
to,q̃ in nouo: quia ipſe qui loquutus eſt
in lege & prophetis & Pſalmis, ipſe lo-
quutus eſt in euangelio: Amen amen di
co vobis, ſi quis præcepta mea cuſtodie
rit fide & opere, non guſtabit mortem
in æternum, id eſt, non experietur mag-
nitudinem mortis inferni. *Dixerunt ergò
Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium
habes. Abraham mortuus eſt & prophetæ,
& tu dicis: ſi quis ſermonem meum ſeruaue-
rit, mortem non guſtabit in æternum.* Sæpe
vtebantur Iudæi nomine Abraham, vt
dominus aliquid contrarium loquere-
tur de Abraham, & haberent occaſionẽ
damnandi eum. Sed fruſtra nomine A-
brahæ & nominibus prophetarum vte-
bantur, qui filium Dei perſequebantur.
Ac ſi dicerent Iudæi: Si Abraham qui a-
micus Dei appellatus eſt, & prophetæ
per quos Deus loquutus eſt generi hu-
mano, mortem temporalem non potue-
runt euadere, quomodo illi qui ſermo-
nem tuum ſeruauerint, mortem tempo-
ralem poſsint euadere? *Nunquid tu maior
es patre noſtro Abraham?* ſubauditur in
ſanctitate. *Quem teipſum facis?* id eſt, cuius
meriti te exiſtimas? *quia dicis: ſi quis ſermo
nem meum ſeruauerit, mortem non videbit
in æternum. Reſpondit eis Ieſus: Si ego glorifi
co meipſum*, id eſt, laudo meipſum, *gloria
mea nihil eſt.* Vt vos putatis. *Eſt pater qui
glo-*

glorificat me. Glorificauit Deus pater filiũ, tẽpore baptiſmatis, quando vox patris delata eſt ſuper eum, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacuit. Et filius Dei honorificauit patrẽ, quia oĩa quæ agebat, ad laudẽ Dei patris referebat. Docet igitur nos quid agere debeamus. Si enim dñs Ieſus Chriſtus omnia quæ agebat, ad laudẽ Dei patris referebat, qui ante omnia ſecula genitus eſt à Deo patre, & æqualis ei per oĩa: quãtò magis nos qui ſumus homines & ſerui illius, omnia quæ agimus ſiue in loquẽdo, ſiue in operãdo, ad laudẽ Dei patris referre debemus à quo omne bonũ quod habemus accepimus, qui di-

1. Co. 2. cit, ſine me nihil poteſtis facere? Multò magis. *Quẽ vos dicitis quia Deus veſter eſt.* Iudæi dicebãt Deum patrẽ, Deum ſuum eſſe, ſed mentiebãtur, quia ſi Deũ patrẽ cognouiſſent, nequaquã filiũ eius ſpreuiſſent. *Ego autem noui eum*. Hic poterat dominus arrogans videri, quia dicit ſe Deum patrem ſcire, quem Iudæi ignorabant. Sed non eſt ita. Nõ eſt arrogantia cauenda, vt veritas relinquatur. *Et ſi dixero quia non noui eum, ero ſimilis vobis mẽdax*. Sicut vos eſtis mendaces, qui dicitis noſſe Deum, ita ero ego mendax, ſi ego dixero quia non noui eum. *Sed ſcio eũ*. Quia ab ipſo miſſus ſum, & ſermonẽ eius ſeruo, Sermo Dei patris eſt ipſe filius,

lius, iuxta quod Ioan. dicit in exordio huius euangelij; In principio erat ver- *Ioan. 1.* bum, & cę. Ipſe filius ſermonem Dei patris ſeruabat, quia ſalutem humano generi quærebat, propter quam miſſus fuerat. *Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt.* Tũc Abraham diem domini vidit, cùm figura ſanctæ trinitatis tres angelos hoſpitio ſuſcepit. Quibus ſuſceptis ſic tribus quaſi vni loquutus eſt dicens: Domine ſi inueni gratiam in conſpectu tuo, de- *Gen. 18* clina in domum pueri tui. Quia & ſi Deus trinitas eſt in perſonis, vnitas tamen eſt in eſſentia deitas, iuxta quod ipſe dicit filijs Iſraël: Audi Iſraël, dñs Deus tu^9, *Deut. 6* Deus vnus eſt. Abrahã pater veſter exultauit vt videret diẽ meũ, & vidit, & gauiſus eſt. Dupliciter poſſum^9 intelligere diẽ dñi, vel diẽ, id eſt, ęternitatem eius, quã habet ante oĩa ſecula cũ Deo patre, quæ nec eſt ortũ habet nec finẽ. Et hanc ęternitatem vidit .i. intellexit mente beatus Abraham. Videre aliquando ponitur pro eo quod eſt intelligere. Vndè dicitur in Exodo: Et omnis populus videbat voces domini .i. intelligebat. Vel diẽ domini poſſumus intelligere tempus incarnationis eius, ꝙ beatus Abrahã præuidit oculis cordis. Videre etiã deſyderauit oculis corporis, ſi fieri potuiſſet. Iu- *Luc. 10* xta quod dominus dixit diſcipulis ſuis:

Multi

Multi reges & prophetæ voluerunt vi-
dere quæ vos videtis, & non viderunt:
& audire quæ auditis, & non audierũt.
Sicut enim nos credimus dominum Ie-
ſum Chriſtum iam aduenifſe, & paſſum
fuiſſe ſecundùm humanitatem, & reſur-
rexiſſe à mortuis, & aſcẽdiſſe ad cœlos,
& venturum ad iudicium: ita patriar-
chę & prophetæ qui aduentum domini
præceſſerunt, crediderunt futurum, &
per hoc ſaluati ſunt. Quòd B. Abraham
diem domini vidit, id eſt, tempus incar-
nationis eius per ſpiritum ſanctum, ex
verbis illius poſſumus approbare, qui-
Ge. 24. bus dixit ſeruo maiori domus ſuæ: Po-
ne manum tuam ſub fœmore meo & iu-
ra mihi per dominum Deum cœli, vt
non accipias vxorem filio meo Iſaac de
filiabus Cananæorum. Fœmur dicitur
à renib᷑ vſq; ad genua. Quid pertinebat
fœmur Abrahę ad dominum Deum cœ-
li? Per fœmur intelligitur generatio.
Sciebat B. Abraham dominum naſcitu-
rum de ſuo fœmore ſecundum carnem.
Et ideo dixit: Pone manum tuã ſub fœ-
more meo, & iura mihi per dominum
Deum cœli. Ac ſi diceret: iura mihi per
illum qui naſciturus eſt ex iſto ſemine,
id eſt, per dominum Ieſum Chriſtum
qui Deus cœli eſt. *Reſponderunt Iudæi, &
dixerunt: Quinquaginta annos nondum ha-
bes, & Abraham vidiſti?* Non dixit do-
mi-

minus quod ipſe Abraham viderit, ſed quod Abraham viderit eum: non oculis corporis, ſed intelligentia mentis. Solã carnis ætatem attendebant Iudæi in domino Ieſu Chriſto, non deitatem. *Reſpõdit eis Ieſus dicens: Amen amen dico vobis*, id eſt, verum verum dico vobis. Si dici fas eſt, iuratio domini eſt, *antè quàm fieret Abraham, ego ſum.* Fio verbum eſt paſſiuam ſignificationem retinens. Antè verbum eſt præteriti temporis, ſum eſt præſentis. Non dixit dominus ante Abraham fui, aut eram, ſed ante Abrahã ſum. Quare hoc tempus, id eſt, præſens, ſibi vendicat dominus? quia cuncta præſentia illi ſunt, & præterita & futura. Abraham antè habuit & poſt Ante habuit, ſcilicet naſcẽdo, & poſt moriẽdo, quia ante quàm naſceretur non erat: & pòſt quàm mortuus eſt, deſijt eſſe. Dominus Ieſus Chriſt' nec ante nec pòſt habuit, *Exod. 3.* quia nec priori tempore ei quicquam incipitur, nec ſubſequẽti terminatur. *Nu. 16.* Quaſi diceret dominus Iudæis. Certè ego ſum qui dixi ad Moſen: Ego ſum qui ſum. Hæc dices filijs Iraël: Qui eſt miſit me ad vos *Tulerunt ergò lapides, vt iacerẽt in eum* Iudæi lapidei erant. Væ illis qui cum lapidibus repulerunt dominum Ieſum à ſe. Poterat hic dominus os inferni aperire, & demergere eos in profundum abyſsi, ſicut fecit Dathan & Abyron,

ron, & Chore in deſerto: ſed noluit anteq̀uam mortui fuiſſent & antè forent ſepulti, vt daret nobis exemplum, quotieſcunque perſequutiones patimur, inquantum poſſumus debemus fugere,
Mat. 10 quod præcepit nobis agendum dicens: Si vos perſequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Ipſe in ſemetipſum primus illud exhibuit. *abſcondit ſe & exiuit de templo*. Iam præfigurabatur per hoc, quod relictus erat Iudæos propter incredulitatem, & tranſiturus ad gentes per fidem. Dominus quaſi infirmus nõ reſiſtebat: ſed quid poſſet tempore paſſionis ſuæ oſtendit, quando Iudæos vna voce proſtrauit in terram, dicens:
Ioã. 18. Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum. Reſpondit eis: Ego ſum. Tunc abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram velut mortui. Si dominus Ieſus Chriſtus mortalis & paſsibilis & iudicandus talia fecit, quid facturus erit in die quando glorioſus veneerit de cœlo, & iudicaturus orbem terræ in æquitate? Certè impios æternaliter damnabit dicens: Ite maledicti in ignem æternum. Iuſtos autem ſecum introducet in patriam cœleſtem, dicens:
Mat. 25 Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Ad quod regnum nos peruenire faciat domin⁹ noſter Ieſus Chriſtus,

ſtus, qui cum patre & ſancto ſpiritu viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

¶ Homiliam in die palmarum require ſuprà in dominica prima aduentus domini.

In die ſancto Paſchę.

Homilia ſuper eo quod ſcriptum eſt, Matthæi ſextodecimo.

MAria Magdalenæ, & Maria Iacobi & Salomæ, emerunt aromata, &c. Quatuor Marias legimus in euãgelio fuiſſe ex quibus tres fuerũt ſorores, Mariam matrem domini ſaluatoris, & Mariã matrem Iacobi minoris quę fuit matertera domini, & Mariam matrem filiorum Zebedæi, quæ appellatur Salomę, ſororem matris domini, & Mariam Magdalenæ, quæ dicta eſt a Magdalon caſtello vel vico, vbi fuit orta & nutrita, de qua eiecit Dominus ſeptem dæmonia, id eſt, vniuerſa vitia. Fuit conſuetudo vetus apud Iudæos, vt mulieres nobiles & diuites prædicatoribus ſuis victum & veſtitũ præberent ex facultatibus ſuis. Secundum hanc conſuetudinẽ iſtæ ſanctæ mulieres, quæ dominũ ſecutæ fuerãt à Galilæa in Iudęã, victũ & veſtimentum ei miniſtrabant. Et reuera *Luc. 8.* *Mat. 15*

dis

dignum erat, vt à quo accipiebant dona cœleſtia, ei tribuerent terrena cõmoda, *emerunt aromata*. Aromata Græcè Latinè dicuntur odoramenta pigmentorum. Fuit etiam conſuetudo antiquorum Iudæorum, vt corpora nobilium Iudæorum mortuorum poſt mortẽ varijs odoramentis condirentur, vt multo tempore potuiſſent ſeruari illæſa & incorrupta: incorrupta à putredine, illæſa à vermibus. Secundem hanc conſuetudinem hæ mulieres religioſæ emerunt aromata, & parauerunt ea, volentes corpus domini vngere, vt multo tẽpore potuiſſet ſeruari illæſum & incorruptum, incorruptum à putredine, & illæſum à vermibus. *& valde mane vna ſabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam ſole.* Siue dicas primam ſabbati, ſiue vnam ſabbati, ſiue vnam ſabbatorum, diem dominicum ſignificas, in quo factus eſt mundus, & in quo dominus reſurrexit à mortuis. Secundum literam feruor animi illarum mulierum demonſtratur in hoc quod valde mane ad ſepulchrum domini venerunt, vt vngerent corpus eius. Niſi enim eum valde dilexiſſent, nequaquam tam mane ad monumentum veniſſent. Quem nanque dilexerant in vita, etiam mortuum diligebant. Quantũm attinet ad ſpiritualẽ intellectum, iſtæ mulieres innuunt nobis:

bis: vt diſcuſsis tenebris vitiorum & orto iam ſole iuſtitiæ, id eſt, domino noſtro Ieſu Chriſto in cordibus noſtris (de quo dicit Propheta, Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ) Mal. 4.
cum aromatibus, id eſt, cum bonis operibus & mundis orationibus quæramus dominum virtutum: quem reſurrexiſſe credimus à mortuis. Veniamus itaque ad ſepulchrum eius, id eſt, imitemur paſsionem eius: vt ſicut ille mortuꝰ eſt propter delicta noſtra, ita & nos moriamur peccato: vt inter illos annumeremur, de quibus dicit Apoſtol. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcētiis. Aromata bonum odorem de ſe reddūt, ſic & nos debemus bonum odorē .i. bonā famam de nobis reddere. Quod per 1. Co. 2.
bonum odorem deſignetur fama bona, manifeſtat Paulus Apoſt. qui dicit: Christi bonus odor ſumus Deo .i. bonā famā de nobis reddimus Deo in his qui pereunt, & in his qui ſalui fiunt, *& dicebant ad inuicem* .i. inter ſe, *quis reuoluet nobis lapidē ab oſtio monumenti?* Sexus fœmineus fragilis eſt, ideo hę mulieres cōſyderantes fragilitatē ſuā, nō videntes ſe concomitari virum aliquem, qui eis reuoluiſſet lapidē, dicebant mutuò, quis reuoluet nobis lapidē ab oſtio monumenti? *Et reſpicientes viderūt reuolutū lapidē*. Qua-

liter ille lapis reuolutus ſit, Matth. euan. euidenter exponit dicens: Angelus au-
Mat. 28 tem domini deſcendit de cœlo, & acce-
dens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eũ. Nõ debemus credere, quòd ideò angelus reuoluiſſet lapidem ab oſtio monumẽti, vt domino egreſſuro de monumento viam faceret, qui iam reſurrexerat. Sed vt veram reſurrectionem eius oſtẽderet mulieribus celebratam. Quid mirum eſt, ſi dominus Ieſus Chriſtus iã immortalis & incorruptibilis & in æternum iam victurus, clauſo monumento iã exiuit, cũ anteà mortalis paſsibilis & corruptibilis, clauſo oſtio ſeu vtero virginis, exiuit ſalua eius virginitate? Non eſt mirũ, *erat quippe magnus valde*, ille lapis qui appoſitus eſt oſtio monumenti, *& introeuntes in monumentũ*, illud monumentũ domuncula erat rotunda, in petra exciſa, tam alta, vt homo conſiſtens in medio, vix culmẽ eius potuiſſet attingere erecto brachio. Et ille loc⁹ vbi dñs iacuerat, tribus palmis eminebat à pauimento. Palmus eſt à minimo digito vſque ad pollicẽ. Habebat aũt corpus dñi eum caput ad occidentem, pedes ad oriẽtem, dexteram vero ad meridiẽ, ſiniſtrã ad aquilonem. Intrabatur autẽ in illud monumentum ab orientali parte, & habebat duos colores, candidum & rubicundum, Ieſumq́ dominum noſtrum ſignat

gnabat, qui eſt candidus caſtitate mentis & corporis, & rubeus effuſione ſanguinis, de quo eccleſiaſtes in cantico amoris. Dilectus meus candidus & rubicundus candidus caſtitate, rubicundus paſsione, *viderunt iuuenem*, id eſt, angelum qui in habitu iuuenis apparuit, *ſedentē in dextris*. Per dexteram deſignatur vita perpetua, ſeu vita immortalis, per ſiniſtram vita prę̨ſens. Vnde dicit eccleſiaſtes in Cāticis Canticorū. Leua eius ſub capite meo, & dextera eius amplexabitur me. Quia dominus Ieſus Chriſtus iā immortalis erat, iuxta quod Paulus dicit. Chriſtus reſurgens ex mortuis, iā nō moritur, mors illi vltra nō dominabitur. Recte angelus qui perennem eius vitā nunciare venerat, in dextris ſedebat, *coopertum ſtola candida*. Per ſtolā deſignatur totum veſtimentum. In candore veſtis deſignatur lętitia ſolennitatis, quoniam ſolent homines diebus feſtis præcioſis & cādidis veſtimentis indui. Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectio feſtiuitas hominū fuit, & angelorū feſtiuitas. Hoīm fuit, quia reſurgendo à mortuis, ad immortalitatē nos perduxit iam in ſpe. Feſtiuitas angelorū fuit, quia dū nos per fidē reſurrectio eius ad ſuperos reuocamur, numerus illorū qui quōdā fuit minoratus peccātibus angelis, reſtauratur quotidie, cum ad patriā

Cant. 5.

Cant. 2.

Rom. 6.

cœleſtẽ ducimur, *& obſtupuerũt*. i. timue runt. Stupor dicitur admiratio, ſed non ponitur pro admiratione, ſed pro timo re Obſtupuerunt. i. timuerunt, *& dixit il lis angelus: Nolite timere*, quaſi diceret. Iſti reprobi milites pertimeſcant, qui aduen tum ſupernorum ciuium non diligunt. Vos autem ô ſanctæ mulieres, cur per timeſcitis, qui veſtros conciues angelos videtis? Nolite timere, dixit: *ſcio quod Ieſum qui crucifixus eſt quæritis*. Ieſus He braicè, Latinè ſaluator dicitur, eo quod ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, *nazarenum*. Nazarenus dictus eſt dominus à Nazareth ciuitate vbi fu it conceptus & nutritus, vnde dicit pro pheta: Quoniam Nazaræus vocabitur *crucifixum*. Multi tunc temporis pote rant in populo Iudæorum Ieſu nomine nuncupari, ideo ſubiunxit angelus cru cifixum, vt de quo Ieſu dixerit, manife ſtetur: quoniam nullum Ieſum legimus crucifixum pro ſalute humani generis, niſi dominũ Ieſum Chriſtum, *ſurrexit*, à mortuis, *nõ eſt hic*. Non eſt hic per præ ſentiam carnis, qui vbiq; eſt per plenitu dinẽ deitatis. *Ecce locus vbi poſuerũt eũ*, ac ſi diceret. Si verbis meis nõ creditis ſal tẽ vacuo monumento credite. *Sed ite, di cite diſcipulis eius & Petro*. Quærendũ eſt, quare generaliter diſcipulis nominatis, Petrus ſpecialiter deſignatur ex nomi ne

ne? Quoniã qui dominũ negauerat inter diſcipulos corã eo venire non auderet, niſi nominatus ab angelo exprimeretur. Licet enim cęteri apoſtoli culpabiles fuiſſent in paſsione domini, tamẽ minoris culpæ erant ꝙ ille, qui dominum negauerat. Vocatur ergò ex nomine, ne deſperaret ex negatione. Meritò etiam quæritur, quare dominus eum quẽ cunctæ ſuæ eccleſię prępoſiturus erat, ad vnius ancillæ vocem pertimeſcere, & ſeipſum negare permiſit? Cauſa pietatis & miſericordię cõceſſum eſt hoc vt ille quẽ futurus erat paſtor eccleſiæ in culpa ſua diſceret, qualiter aliorum infirma toleraret. Prius ergo oſtendit eum ſibi ꝙ fragilis, deinde præpoſuit cæteris. Vt ſi verbi gratia, veniens ad eũ aliquis peccator aut adulator, aut periurus, aut homicida, aut cęteris vitijs capitalibus maculatus, & diceret ſe ob vitiorũ ſuorũ magnitudinẽ non poſſe pertingere ad patriam cœleſtem, nõ deſperaret eũ de ſalute, ſed potius ſalubriter reuocaret eũ ad pœnitentiam dicens: Certè ſi Deus omnipotens mihi maiora peccanti pepercit, non ſolùm veniam concedendo, verùm etiã dignitatem apoſtolatus habere permittendo, multò magis tibi minora indulgebit ſi fructũ dignæ pœnitẽtiæ egeris, ſicut ego feci, *ecce præcedet vos in Galilæam*. Quærendum eſt etiam nobis, quare

re dominus & per ſemetipſum ante paſ‑
ſionem ſuam ſe videndum eſſe in Gali‑
læa, & poſt paſsionem per angelum pro
miſit, cum ibi nec primũ viſus fuit à diſ‑
cipulis. Sciendum quod Galilæa inter‑
pretatur tranſmigratio facta. Quia ergo
iam tranſmigrauerat à morte ad vitam,
de paſsione ad reſurrectionem, de pœna
ad gloriam, dignũ erat, vt ille locus in
quo videndus erat à diſcip. Galilęa vo‑
caretur. Vel aliter, Galilæa interpreta‑
tur rota vel volutatio, & ſignificat mul
titudinem gentium. Præceſsit dominus
diſcipulos in Galilæam, hoc eſt, in volu
tabrum gentium & ſecuti ſunt eum diſ‑
cipuli ſui. Quia niſi dominus illuminaſ
ſet corda gentilium, nequaquam prędi‑
cationem apoſtolorum percepiſſent, *ibi
eum videbitis*. i. ibi eum reperietis in mẽ‑
bris ſuis, hoc eſt, in electis quia ipſe eſt
caput electorum, & oẽs electi ſunt mem‑
bra eius. Poteſt & aliter intelligi. Gali‑
læa quæ interpretatur reuelatio, ſignat
beatitudinem regni cœleſtis, vbi ſe reue
lat dominus cum patre & ſpiritu ſancto
diſcipulis ſuis. Præceſsit dominus diſ‑
cipulos ſuos in Galilæam, id eſt, in æter
nam beatitudinem: & ſequuti ſunt eum
ſancti Apoſtoli, & ſequuntur quotidie
electi: ibi eſt vera reuelatio. i. manifeſta‑
tio, quia ibi reuelat ſe electis ſuis, ſicut
dixit: De hac reuelatione dixit ipſe dñs
alibi:

alibi: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Et Ioan. Chariſsimi nunc filij Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus. Cùm autem apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Vel etiam in die iudicij erit vera reuelatio: quando reprobi ſeparabuntur ab electis, dicente domino: Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternum. Electis autem: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi, id eſt, gloriam æternam. Ad quam nos Deus introducere dignetur, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. *Matt. 5.* *1. Ioã. 3.* *Mat. 2.*

Dominica tertia Paſchæ.

Homilia ſuper eo verbo.

Lucæ. XXIIII.

Stetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorũ, & dixit: Pax vobis. Superiùs textus euãgelicus narrat, ꝙ reuertentes duo diſcipuli in Hieruſalem de caſtello Emaus, inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum ipſis erant dicentes: quia ſurrexit dominus verè, id eſt, veraciter, & apparuit Simoni. Et niſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Dũ hæc loquuntur, ſtetit Ieſus in medio diſcipulorũ ſuorũ. Hãc manifeſtationẽ & Ioãnes cõmemorat dicens: *Ioã. 20*

Cũ eſſet ſero die illa, & fores eſſent clauſæ: vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Ieſus ianuis clauſis, & dixit eis: Pax vobis. Quid eſt, quod domini natiuitate angeli pacẽ mundo offerunt, dicentes. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis? Et ipſe dominus pergens ad paſsionem, pacem cõmendauit diſcipulis ſuis dicens. Pacẽ relinquo
Luc. 2. vobis, pacem meã do vobis. Poſt reſurrectionem etiam per ſemetipſum pacem obtulit diſcipulis, ſicut præſens lectio narrat. Pax recõciliatis conuenit. Peccãte primo homine Adam in paradiſo of-
Ioan. 4 fendimus Deũ, ſed dominus Ieſus Chriſtus nolens genus humanum æternaliter perire: venit in mundum per incarnationis ſuæ myſterium. Natus eſt, paſſus eſt, reſurrexit à mortuis, vt per ſuã natiuitatem, paſsionem, reſurrectionem à mortuis, nos recõciliaret Deo patri, à cuius pace & familiaritate receſſeramus peccando. *Conturbati & conterriti*.i. ſimul territi de domini viſione. *Aeſtimebant ſe ſpiritum videre*. Putabant ſe non corpus quod poſitum fuerat in ſepulchro videre, ſed animam quam depoſuerat in ligno & in manus patris cõmendauerat, dicens: Pater in manus tuas commendo
Luc. 23 ſpiritum meum. Spiritus ponitur pro anima, vt hic Pater in manus tuas commen-

mendo ſpiritum meum.i.animam meã. Error diſcipulorum, ſecta eſt Manichæorum. Manes perfidus hæreticus fuit, & diabolus, & Manes vel à Manum appellati ſunt Manichæi, qui dixerunt dominum Ieſum Chriſtum non verùm corpus habuiſſe, ſed diuinitatem pro anima aſſumpſiſſe. Iſte error Manichæorum ſurrexit in cordibus diſcipulorum, quia putauerunt dominum non corpus ſed ſpiritum eſſe. *Et dixit eis: Quid turbati eſtis modicæ fidei, & cogitationes* variæ, id eſt, falſæ, *aſcendunt in corda veſtra?* Quia ſpiritum putatis eſſe, & non corpus. Tanquam bonus agricola diceret: Quod ibi plantaui ibi inueniam, id eſt, fidem non ſpinas quas non plantaui in cor veſtrũ. Deſcendat quæ deſuper eſt, cogitationes autem iſtæ non deſuper deſcenderunt, ſed in ipſo corde, velut herba mala aſcenderunt. *Videte manus & pedes meos.* Quare oſtendit eis manus & pedes: Require in euangelio. Quum ſero eſſet. Ac ſi diceret: Certè ego ſum ipſe, qui ante paſſionem, commoratus ſum vobiſcum in vera carne. *Palpate*, id eſt, tangite, *& videte*, id eſt, intelligite, *quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Et quare non creditis. *Adhuc illis non credentibus*: quod dominus vero corpore illis appareret, *& mirantibus præ gaudio*: quia dominum vide-

bant: quē mortuum nouerant, *dixit: Habetis aliquid quod manducetur?* Non ideo mãducauit dominus poſt reſurrectionē, quaſi cibo corporali indigeret, aut quaſi nos poſt generalem reſurrectionem cibis indigere ſignaret: ſed vt demonſtraret veritatem ſui corporis Manducauit non neceſsitate, ſed propria voluntate. Aliter enim abſorbet terra aquam, aliter ſol: Sol poteſtate, terra neceſsitate, quia arida eſt. Forſitan quærit aliquis, quid factum ſit de cibo & potu, quē dominus ſumpſit poſt reſurrectionem, qui non iuit poſtmodum ad ſeceſſum emittendi cauſa, ſicut ante paſsionē ſolebat agere: dabo tibi exemplum. Sicut verbi gratia. Si immiſeris igni ardēti paululũ aquæ, aqua ſtatim conſumitur ab igne vt nihil ſit: ſic ille cibus & potus quem dominus poſt reſurrectionem ſumpſit: conſumptus eſt à virtute diuinitatis illius, vt nihil eſſet. *At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi & fauum mellis.* Per piſcem aſſum intelligitur dominus paſſus. Piſcis in aquis latitat, & dominus Ieſus Chriſtus latere dignatus eſt in aquis generis humani. Multò tempore conuerſatus eſt cum hominibus, corporali præſentia capi voluit laqueo mortis noſtræ, per oſculum traditus eſt, aſſatus eſt tempore paſsionis ſuæ. Sed qui piſcis aſſus factus eſt nobis in paſsione, fa

fauus mellis extitit nobis in reſurrectio‑ne, quia lætificauit nos de ſua præſen‑tia & reſurrectione glorioſa. Aliter, qui in piſce aſſo voluit ſignare ſuam paſ‑ſionem, in fauo mellis voluit demon‑ſtrare vtramque ſuam naturam, diui‑nam ſcilicet & humanam. Fauus quip‑pe mel in cera eſt. Mel in cera eſt diui‑nitas in humanitate. Vel certè per piſ‑cem aſſum deſignantur electi, qui in præſenti ſeculo paſsiones ſuſtinent pro amore omnipotentis Dei. In comme‑ſtione ſua filius Dei piſci aſſo coniun‑gere voluit mellis fauum, vt demonſtra‑ret: quia qui hic pro vita æterna dolo‑res & tormenta tribulationum ac paſ‑ſionum ſuſtinent, illic, id eſt, in cœleſti beatitudine, vera dulcedine ſatiantur, de qua ſatietate dicit Pſalmiſta. 6. Satia‑bor, dum manifeſtabitur gloria tua. *Et cùm comediſſet, ſumens reliquias dedit illis.* Ideo dedit illis reliquias cibi quem mā‑ducauit, vt reſeruarent eas, & demon‑ſtrarent aliis, ac dicerent: Hæc ſunt reli‑quiæ cibi quem manducauit dominus poſt reſurrectionem. *Hæc ſunt verba quæ loquutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vo‑biſcum.* Nunquid non tunc cum illis e‑rat, quando iſta loquebatur? Erat vtiq; corpore, ſed non erat cum illis mortali‑tate: quia illi erant adhuc mortales, ille immortalis, iuxta quod Paulus dicit:

Chriſtus reſurgens ex mortuis iam nõ moritur. Hæc ſunt verba quæ loquutus ſum ad vos, quoniam moriturus eram & reſurrecturus, & vobiſcum manducaturus quum adhuc eſſem vobiſcũ, id eſt, ſimilis vobis mortalis. *Quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege & prophetis & Pſalmis de me.* Non fuit ſatis domino Ieſu Chriſto oſtendere diſcipulis ſuis cicatrices corporis ſui, & manducare cum illis: ſed dat teſtimonium de ſcripturis, vt cùm viderent in illo eſſe completa quæ prophetæ prædixerant, veraciùs crederent in eum. Hic conuenit illud Pſalmiſtę quadrageſimo quarto. Audi filia & vide, audi prędicta, vide cõpleta. Quaſi diceret illis: Certè quicquid ego egi in carne, quod paſſus ſum, quod ſepultus, quod tertia die reſurrexi à mortuis, totum prædictum eſt à Prophetis: ideo nolite dubitare de me. Fuerunt pagani qui dixerunt dominum Ieſum Chriſtum magũ fuiſſe, ſed mentiti ſunt, quoniam magus non poteſt ſe antè prophetare, quàm naſcatur. Dominus ergò Ieſus Chriſtus antè quàm naſceretur ſecundum carnem, antequàm pateretur, antè quàm reſurgeret à mortuis: antè prophetatus eſt. *Tunc aperuit illis ſenſum.* Parum fuit oculis ſe videndum præbere, parum fuit ſe manibus tangi: ſed aperuit illis ſenſum. *Vt in-*

intelligerent, ſpiritualiter. *Omnia quæ de eo ſcripta ſunt in lege & prophetis & Pſalmis. Et dixit eis: quoniam ſic ſcriptum eſt*, ſicut à me impletum cernitis. Paſſus ſum, reſurrexi, totum eſt ſcriptum. *Et ſic oportet Chriſtum pati & reſurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſsionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hieroſolymis.* Quare præcepit Dominus Apoſtolis incipere ab Hieroſolymis prædicare verbum Dei? Vt daret gentibus variis erroribus implicatis ſpem adipiſcendæ veniæ. Quaſi diceret: Si Iudæis perfidis qui me morti tradiderunt, non ſolùm veniam reatus his qui in me credere voluerunt conceſsi, verumetiam & gaudium vitæ æternæ cõtuli: multò magis vobis parcam ſi in me credideritis, & fidem veſtram bonis operibus adornaueritis.

Dominica prima poſt Paſcha.

Homilia ſuper eo verbo, Ioannis. XX.

C*Vm ſero autem eſſet*, id eſt, veſpere, *die illo*, id eſt, die quo Dominus ſurrexit à mortuis: *Et fores eſſent clauſæ*. i. oſtia vbi erant diſcipuli cõgregati, propter metum Iudæorum. Quare diſcipuli metuebant Iudæos? Quia timebant, ne ſicut interfecerant magiſtrum ſuum Dominum Ieſum Chriſtum vocibus ſuis,

ſta interficerēt eos. *Venit Ieſus ianuis clauſis*, id eſt, oſtijs. Quærendum eſt, ſi corpus Dominicum poſt reſurrectionē verum fuit, quomodo ianuis clauſis ad diſcipulos ingredi potuit? Verùm vtique fuit. Sed quid mirum eſt, ſi iam incorruptibilis, impaſsibilis, & in æternū victurus, clauſis oſtijs, ad diſcipulos intrauit qui mortalis paſsibilis, & corruptibilis ad humanos oculos clauſo vtero Mariæ virginis exiuit? Non mirum eſt. Quale tunc fuit corpus poſt reſurrectionem, talia erunt corpora electorum poſt generalem reſurrectionem. Corpus Domini ſubtile fuit, quia obſeratis ianuis, ad diſcipulos intrauit: Et palpabile, id eſt, quę tāgi potuit. Similiter & corpora ſanctorum poſt reſurrectionem ſubtilitatem habebunt, per effectum ſpiritualis potentiæ. Vbi nāque voluerint, ibi erūt, ibi intrabunt, ſed tamen palpabilia erūt per veritatem naturæ. Neque huic rationi quā dicimus, contrarius videtur ſermo beati Pauli apoſtoli, qui dicit: Caro & ſanguis regnum Dei non poſsidebūt.
1.Co.15
Tripliciter accipitur caro in ſacra ſcriptura. Dicitur caro ſecundum naturam, vt illud Adæ: Hoc nunc os ex oſsibus meis & caro de carne mea. Os appellauit Euam, quia de coſta eius formata eſt. Dicitur caro ſecundum culpam, iuxta illud Pauli Apoſtoli. Caro concupiſcit aduerſus
Gene.2

ſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnē. Dicitur caro iuxta corruptionem mortalitatis, iuxta illud Pſalmiſtæ. Et recordatus eſt, quia caro ſunt. i. fragiles & moribundi Caro ſecundum naturam poſſidebit regnum cœlorum. Caro autē ſecundum culpam vel ſecūdum corruptionem non poſsidebit. Manifeſtat autem Paulus, quum ſubiungit. Neque corruptio incorruptelam poſsidebit. *Et dixit eis: Pax vobis.* In natiuitate filij Dei angeli pacem obtulerunt mundo, dicentes: Lucę ſecūdo. Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volūtatis. Et ipſe Deus iturus ad paſsionē, pacē cōmēdauit diſcipulis dicens: Pacē relinquo vobis: pacem meā do vobis. Similiter & poſt reſurrectionem pacem illis obtulit, ſicut præſens lectio Euangelica narrat. Quare hoc? Scimus quia pax ad reconciliatos pertinet. Quaſi diceret diſcipulis ſuis. Ideo natus ſum temporaliter ex virgine. Ideo crucifixus ſum pro ſalute veſtra. Ideo reſurrexi mea virtute, vt vos reconciliarem Deo patri meo, à cuius pace & familiaritate receſſeratis, primo homine Adam peccante. *Et cùm hoc dixiſſet*, id eſt, cùm dixiſſet pax vobis. *Oſtendit ei manus & latus.* Quare oſtendit Dominus diſcipulis ſuis manus & latus, & non potiùs vultū, in quo homo recognoſcitur, aut Ioā. 19.
fron

frontem, aut os, aut nares? Quia manus
illius clauis ferreis fuerant affixę cruci,
ſimiliter & pedes. Et lãcea latus eius fue-
rat apertum, vndè ſanguis & aqua exi-
uit. Vulnera in corpore Domini iã erãt
ſanata, cicatrices tantummodò, id eſt,
veſtigia vulnerum remanſerant, & ma-
nent adhuc, & manebunt in æternum.
Quare ergò cum cicatricibus vulnerum
voluit reſurgere? Quia maiora fecit, mi-
nora facere non diſtulit, hoc eſt, qui re-
gna mortis deſtruxit, & electos ſecũ ad
cœlos perduxit, qui ſe etiam in immor-
talitatem induxit, iuxta quod Apoſto-
lus Paulus dicit: Chriſtus reſurgens ex
mortuis iam non moritur, mors illi vl-
trà non dominabitur. Signa vulnerum
ſuorum obliterare noluit quatuor ob
cauſas. Primò vt oſtendens eaſdem cica-
trices in corpore ſuo diſcipulis ſuis, in-
formaret eos in fide reſurrectionis ſuæ,
& crederent eum per verum corpus re-
ſurrexiſſe de ſepulchro. Secundò vt aſcẽ-
dens in cœlum, ſemper oſtenderet Deo
patri, quale genus mortis pro nobis ſu-
ſtinuit, & prouocet eũ ad miſericordiã.
Tertiò, vt electi qui quotidie aſſumũtur
in patriam cœleſtem: videntes eaſdẽ ci-
catrices in corpore redemptoris ſui, in-
Pſa. 88. deſinenter agant ei gratias, iuxta illud
& 105 Pſalmiſtę: Miſericordias tuas Domine
& 135. in æternum cantabo. Et alibi: Confite-
mini

mini Domino quoniam bonus, quoniã in ſeculum miſericordia eius. Quartò, vt veniens in die iudicij, oſtendat impijs Iudæis, quale genus mortis illi intuleꝛ rint. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Miſsio filij incarnatio eius eſt. In hoc Deus pater filium miſit, quum hunc in vtero virginis Mariæ pro ſalute geneꝛ ris humani incarnari inſtituit. Amauit Deus pater filium, quem tamen ad paſꝛ ſionem miſit in mundum. Similiter & Dominus Ieſus Chriſtus amauit diſciꝛ pulos, quos tamen non ad mundi gauꝛ dia, ſed ad paſsiones perferendas miſit, ſicut ipſe miſſus eſt. Cõprobemus hoc. Crucifixus eſt ipſe Dominus, Deo patre volente. Crucifixus eſt Petrus Deo perꝛ mittente, decollatus eſt Paulus, crucifiꝛ xus eſt Andræas, quos ſequuti ſunt marꝛ tyres & virgines. *Sicut ergò miſit me paꝛ ter, & ego mitto vos:* quaſi diceret, ea chaꝛ ritate qua me pater dilexerat, quum ad paſsionem me miſit in mundum, ea cha ritate vos diligo, quum inter ſcandaꝛ la perſequutorũ vos mitto. *Hoc quum diꝛ xiſſet inſufflauit, & dixit eis: accipite ſpiritũ ſanctum.* Per hanc inſufflationem quam dedit dominus Ieſus diſcipulis ſuis, ſpiꝛ ritumſanctum demõſtrauit ita à ſe proꝛ cedere, ſicut à patre. Deus pater à nullo eſt, dominus Ieſus à ſolo patre eſt geniꝛ tus, ſpiritusſanctus ab vtroque proceꝛ

dit

dit.i. à patre & filio. Non fuit illa inſufflatio ſpirituſſanctus, ſicut nec ille ignis qui ſuper diſcipulos venit decima die poſt aſcenſionem Domini ad cœlos. Iſta inſufflatio non eſt aliud niſi aër cōmotus, ſicut anhelitus tuus non eſt pars animæ tuæ, ſimiliter & illa inſufflatio non fuit ſpirituſſanctus. Sed per illam inſufflationem & ignem corporeum, deſignatus eſt ſpirituſſanctus incorporeus, qui in cordibus diſcipulorū à Domino mittebatur. Patriarchę & Prophetæ, Abraham, Iſaac & Iacob, Moſes, Dauid ſpiritumſanctum habuerunt, ſed tamen occultè, vt innocenter viuerent, rectè crederent, & quibuſdam in prædicatione prodeſſent. Poſt reſurrectionem Domini habuerunt manifeſtè & euidenter, vt iam non paucis, ſed multis prodeſſent. Quare non habuerunt eum manifeſtè, ante reſurrectionem manifeſtat Ioannes, cùm dicit: Nondum erat ſpiritus datus, ſubauditur manifeſtè, ita luculenter, quia Ieſus nondum fuerat clarificatus reſurrectione. Bis legimus in ſancto Euangelio diſcipulis ſpiritumſanctum à Deo datum Semel eo die quo reſurrexit à mortuis in terra cōſiſtens, & ſemel poſt aſcēſionem in cœlo præſidēs. Quare hoc? Quia duo ſunt pręcepta charitatis, dilectio ſcilicet Dei & proximi. Sicut
Act.2. vna eſt charitas, & duo præcepta.i. dilectio

ctio Dei & proximi, ita vnus ſpiritus & duo data. In terra datur ſpiritus vt diligatur proximus, è cœlo datur ſpiritus vt diligatur Deus. Et primum in terrà datur, poſt modum de cœlo mittitur, quia per dilectionem proximi perueniatur ad dilectionem Dei, quia dicẽte Ioãne Euangeliſta: Qui non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quẽ nõ videt, quomodo poteſt diligere? *Quorum remiſeritis*.i.dimiſeritis *remittũtur*, id eſt, dimittuntur, *eis*. Hãc poteſtatem dimittendi peccata primùm dedit Dominus Petro, dicens ante paſsionem: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorũ: & quodcunq; ligaueris ſuper terrã, erit ligatum & in cœlis. Multi arbitrati ſunt propter hoc, quia ſpecialiter dixit Dominus: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, hanc poteſtatem ſoli Petro datam. Sed manifeſtum eſt non ſolùm illi datam hanc poteſtatem, ſed etiam omnibus Apoſtolis. Sicut eidem Petro dixit Dominus alibi, Matthæi decimo octauo: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te nõ audierit, adhibe tibi vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtiũ ſtet omne verbum: ſi autem ſic ſe non correxe-

1. Ioã. 4

Matth. 16.

rit, dic eccleſiæ. Et ſi eccleſiam nõ audie-
rit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.
*Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis
ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. Et quæ-
cunque ſolueritis ſuper terrã, erunt ſoluta &
in cœlis.* Ecce omnibus Apoſtolis dedit
hanc poteſtatem, & in Apoſtolis omni-
bus prælatis eccleſiæ, epiſcopis, presby-
teris, abbatibus, vt quoſcũque viderint
humiliter confiteri peccata ſua & plãge-
re, ſoluant eos à peccatis. Quos viderint
in priſtinis peccatis permanere, & ad hu-
militatis confeſsionem non deſcendere,
oſtendant eos ligatos in conſpectu om-
nipotentis Dei. Legimus in veteri teſta-
mento, ſacerdotes poteſtatem diſcernẽ-
di habuiſſe inter leproſos & non lepro-
ſos, inter mundos & immundos: vt quiſ-
cunque fuiſſet leproſus accederet ad ſa-
cerdotem, & oſtenderet ei cutem corpo-
ris ſui, & per iudicium ſacerdotis ſeque-
ſtraretur à ſocietate ſanorum. Pòſtquã
autem per Dei miſericordiam & per of-
ficium ſacerdotis recepiſſet mundiciam,
iterum accederet ad ſacerdotes, & per il-
lorum licentiam reciperetur intra ca-
ſtra. Illud ſacerdotium figuram gerebat
veri ſacerdotij, quod modò agitur in
ſancta eccleſia. Omnis homicida, & om-
nis adulter, aut immundus, aut falſus te-
ſtis, aut rapax, aut reliquis vitijs pollu-
tus, leproſus eſt. Iſte talis neceſſe eſt, vt
iudi-

Iudicio ſacerdotis eijciatur extra caſtra, id eſt, extra ſocietatem ſanctæ Eccleſiæ, vſque dum dignam pœnitentiam agat: tamen ſi viderit ſacerdos compunctionem & afflictionem cordis eius, nõ debet conſiderare longum tempus reconciliationis eius, quia ſcriptum eſt Pſal. quinquageſimo: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Sed potiùs recipiat eum in caſtra, id eſt, in ſocietatem ſanctæ Eccleſiæ, & reconciliet eum ad altare, & cõmunicet corpore & ſanguine Domini. Quod demonſtrauerat Dominus in Lazaro (Ioannis vndecimo) quem ſuſcitauit quatriduanũ in monumento. Ille Lazarus licet iuſtus fuiſſet, tamen peccatorem hominem ſignat, qui iacet ſub lapide, hoc eſt, ſub lege mortuus peccato. Sua voce viuificauit eum Dominus clamans excelſè: Lazare veni foras Hæc vox filij Dei ſignat magnam gratiam illius, qua vocat peccatorem interiùs per occultam inſpirationem, dicens illi: Veni foras, id eſt, cõfitere peccata tua ſacerdoti. Et quod ſanctus Iacobus Apoſtolus capite quinto dicit: Confitemini alterutrum peccata veſtra Tunc egreditur de ſepulchro peccator, quum incipit confiteri quod malè geſsit. Prçcepit dominus diſcipulis ſuis, ſoluite eum, & ſinite abire, hoc eſt, quod hic dicit. Quorum remiſeritis peccata, Iaco. 5.

remittuntur eis. Si diſcipuli antè ſoluiſſent, quā Dominus præcepiſſet, fœtorē oſtenderent magis quàm virtutem. Similiter & ſacerdotes Eccleſię, quem viderint à Domino per afflictionem cordis & corporis ſanatum à peccatis: ſoluant eum ipſi per ſuum miniſterium. Sūt modò tales in ſancta Eccleſia epiſcopi & ſacerdotes, qui damnāt innoxios, & criminoſos ſoluunt. de quibus dicit Propheta: Mortificabant animas quæ nō moriūtur, & viuificabant quæ non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iuſtum damnat, & non viuentem viuificat, qui peccatorem ſoluit. Quia illis ſpiritualiter dicit Dominus: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. i. epiſcopis & abbatib⁹. *Thomas vnus ex duodecim, qui dicitur dydimus.* Dydimus. i. dubius, quia de reſurrectione dubitabat. Hîc oritur quæſtio, quare Ioannes Euangeliſta dicat non tunc fuiſſe Apoſtolum Thomā cum cæteris diſcipulis, quando apparuit eis Dominus ad veſperam eo die, quo reſurrexit à mortuis: quum ſecundum Lucam duo illi quorum vnus erat Cleophas reuertentes à caſtello nomine Emaus, veniētes in Hieruſalem, inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum ipſis erant, id eſt, ſeptuaginta &

& ſanctas mulieres dicentes, quòd ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni: & ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo eũ in fractione panis cognouerunt: dum hæc loquuntur ſtetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorũ. Quæ quæſtio hoc modo ſoluitur, dum illis vndecim loqueretur diſcipulis, quę diximus, quòd ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni, & illi duo referrent quæ geſta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis, ſubitò inde exijt Thomas, forſitan aliqua neceſsitate compulſus: & dum ille exiſſet, ſtatim venit Ieſus ianuis clauſis, ſicut hæc lectio narrat. *Dixerũt ergò alij diſcipuli: Vidimus Dominũ.* Certè poſtquã reſurrexit à mortuis. *Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus eius fixurã clauorum*, vbi claues fixi ſunt, *nõ credam*, Quærẽdum eſt, quare Dominus voluit dilectum diſcipulum de ſua reſurrectione dubitare? Nõ ſine cauſa. Propter nos gentiles factum eſt hoc, qui poſt aſcẽſionem eius ad fidem venimus, per prædicationem Apoſtolorum. Plus enim nobis profuit dubitatio Thomę, quã certiſſima fides Mariæ, vel diſcipulorum. Dũ enim legimus in Euangeliſtis illius dubitationẽ, palpationẽ & agnitionẽ, nulla iã ambiguitas in cordibus noſtris reſidet de reſurrectione filij Dei. Sic ergò

voluit diſcipulum de reſurrectione ſuã dubitare, nec tamẽ in eadem dubitatione permanere: ſicut voluit matrem ſuã temporalem habere ſponſum, id eſt, Ioſeph, qui tamen ad eius coitum nõ peruenit. Vt ſicut Ioſeph fuit cuſtos integerrimæ virginitatis, ita iſte diſcipulus fieret teſtis veraciſsimus reſurrectionis. *Infer digitum tuum huc*, id eſt, mitte digitum tuum in locum clauorum, & palpa cicatrices vuln.rum meorum, *& affer manum tuam, & mitte in latus meũ*, quod lancea fuit apertum. Dicere ſolẽt in hoc loco gentiles, id eſt, infideles, & deridere nos qui Chriſtiani ſumus. Si Deus veſter (vt dicitis) cicatrices vulnerũ ſuorũ non deleuit, qua temeritate putatis, ꝙ veſtra corpora incorrupta & integra poſsit reſtaurare poſt mortem? Quibus reſpondendum eſt, ꝙ Dominus Ieſus cũ omnipotens eſſet, omnia quæcũque voluit fecit. Qui maiora fecit, minora ſui per ſe facere diſtulit, hoc eſt, qui clauſtra mortis deſtruxit, & electos qui ibi detinebantur eripuit, illos etiam qui erãt in hoc mundo à diaboli poteſtate liberauit, dicẽs: Princeps huius mundi, id eſt,
Ioã. 12. diabolus eijcietur foras de cordibus hominum: ſigna vulnerum ſuorum delere noluit vt per eaſdem cicatrices corroboraretur fides diſcipulorum, & noſtra ad ſalutem. Secundò, vt aſcendens in cœlum

lum quale genus mortis pro nobis ſuſti nuit, oſtēderet. Veluti ſi aliquis miles iubente imperatore ſuo inierit ſingulare certamē cōtra hoſtem regni ſui, qui.ſ. ibi multa vulnera excipiat in capite, in dorſo, in manibus, in ventre, tamē cū victoria reuertitur ad imperatorē ſuū, refert illi imperator multas gratias ſenatus eius. Deinde cōmittit eū imperator peritiſsimo medico ad ſanādum, & interrogat eū medicus, vis à me ſanari, vt cicatrices remaneant in corpore tuo? Ita volo, vt cū viderint me conciues mei, agāt mihi gratias. Similiter & Dominus Ieſus, *& noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. Fides eſt credere, quod nō videmus: ſicut nos credimus Deū, quem tamen non videmus oculis corporeis. Et cognitio eſt, videre qđ credidiſti. Diuinitas filij Deì eſt inuiſibilis. Vndè dicit Ioan. Deū nemo vidit vnquam. Nam Moſes amicus Dei voluit videre Deū, dicēs: Domine ſi inueni gratiā in oculis tuis, oſtēde mihi teipſum vt videam te manifeſtè. Cui dictum eſt à Domino: Nō me videbit homo & viuere poteſt. i. homo mortalis nō videbit inuiſibilitatem meā. Certè nec ipſi angeli, qui iugiter aſsiſtūt Deo perfectè videre poſſunt diuinitatē illius maieſtatis ſicuti eſt: ſed tantū vident, quantùm ad ſalutem eorum proficit. B. Thomas homo erat, hominē Deum videbat: *Ioan.1.* *Exo.33.*

quare ergò dixit: Dominus meus & Deus meus? Quia aliud vidit, aliud credidit: Vidit hominē, & credidit Deū: vidit humanitatis naturā, & credidit diuinitatis potentiā, *quia vidiſti*, hominē, *& credidiſti* Deū, beatus es, ſed & illi *Beati qui nō viderunt, & crediderunt.* Beati qui non viderunt me hominē, & crediderunt. Nos gentiles ſumus in hac ſentētia expreſsi, qui Deum non vidimus incarnatum, & paſſum & ſepultum, & tamen credimus eū verum Deum & verū hominem. Beati ergo ſumus qui in dominū Ieſum credimus: ſi tamē fidem quā habemus, bonis operibus adornemus, quia fides ſine operibus ocioſa eſt. *Beati qui nō viderunt, & crediderunt.* Quare poſuit præteritum tempus pro futuro? Quia omnia quę hominibus futura videntur, iam in pręſentia Dei quaſi pręterita manent. Hoc modo ſolet ſacra ſcriptura loqui, iuxta il-
Pſa. 21. lud Pſal. Foderunt manus meas & pedes meos, foderunt, pro eo q̀ fodiēt, dinumerauerunt pro eo q̀ dinumerabūt. Et in Pſal. 2. Quare fremuerunt gentes,
Pſal. 2. pro eo quòd frement: aliter ūt reges terræ, pro eo quòd aſtabunt. *Multa quidem & alia fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc*, librum appellat hic volumen quatuor Euangeliſtarum Matthæi, Lucæ, Marci, & Ioānis. Multa loquutus eſt Dominus, quæ

quæ non ſunt ſcripta in libris quatuor Euangeliſtarum, multa miracula patrauit in mundo, quæ ſimiliter non ſunt ſcripta. Quare? Vel quia fuit impoſsibile humanæ fragilitati omnia ſcribere, vel quia incredibilia viderētur in cordibus humanis. Tanta ſcripta ſunt, quæ ad noſtrā ſalutem ſufficerent. Vel hæc pauca miracula *ſcripta ſunt* de eo *vt credatis* corde, & cōfiteamini ore, *quia dominus Ieſus Chriſtus eſt filius Dei*. Chriſtus qui in lege & prophetis fuit promiſſus, & oleo .i. plenitudine ſpiritusſancti vnctus vel repletus, qui requieuit ſuper eū tēpore baptiſmatis in ſpecie colūbæ: ipſe eſt filius Dei non adoptiuus, ſed proprius, iuxta quod Apoſtolus Paulus dixit: Proprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Nos ſumus filij per adoptionem, ille per naturā Deus & homo: *& vt credētes vitā habeatis in nomine eius*. Quæ merces dabitur nobis, qui credimus in dominum Ieſum Chriſtū? Vita ęterna, Ipſe dominus Ieſus Chriſtus, qui iturus ad paſsionem dixit Deo patri: Hæc eſt autem vita ęterna, vt cognoſcant te Deū verū, & quē miſiſti filiū tuū cum ſpiritusſancto. Habe fidem, & ipſam fidem bonis operibus exorna: Chriſtū habes, qui tēplū illius es: vnde dicit Paulus Apoſtol. In interiori homine habitaſſe Chriſtū per fidē in cordibus veſtris,

Lucæ.3. *Rom.8.* *Ioā.17.* *Ephe.3.*

P 2 Cum

Mat.25 Cùm autē dies iudicij aduenerit, & Dominus dixerit electis: Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi: tunc erit amplior vita æterna, quia facie ad faciem Deum videbis. Iam non morieris, ſine hoſte regnabis, vbi erit gaudiũ ſine triſtitia, lux indeficiens, beatitudo
1.Co.13. ſine fine manſura. Tũc erit Deus omnia in omnibus.

Dominica prima poſt oct. Paſchæ.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Ioannis decimo.

EGo ſum paſtor bonus. Loquens Dominus ouibus ſuis tam præteritis, quàm & præſentibus & futuris, id eſt, & eis quæ iam crediderant in eũ: & quæ tunc tēporis credebãt, & quæ poſtmodum crediturę erant, ait: *Ego ſum paſtor bonus.* Sicut dicitur Dñs Ieſus per ſimilitudinē ouis & agnus, & petra & leo: ita dicitur per ſimilitudinē paſtor, non quòd ipſe oues, id eſt, vervueces pauerit,
Apoc.3. ſicut paſtores faciunt in agris: ſed quòd paſcua vitę ęternæ præbet credētibus in ſe. Quę ſunt illa paſcua? In ſubſequentibus dicendum eſt. Leo appellatur Dominus in ſacra ſcriptura propter fortitudinem, vt illud: Ecce vicit leo de tribu Iu-
Eſa.53. da. Ouis dicitur, vt illud Eſaię. Tanquã ouis ad occiſionem ducetur. Agnus, vt illud

illud Ioannis Baptiſtæ: Ecce agnus Dei. Petra vt illud Pauli, Petra autem erat Chriſtus. *Ego ſum paſtor bonus*, quaſi diceret, nullus alius. Sic vidētur iſta verba Dñi ſonare, quaſi nullus ſit alius bonus paſtor, niſi ipſe. Nunquid non boni paſtores fuerunt ſancti Apoſtoli? Dictū eſt Petro à Dño: Paſce oues meas. Et Paulus, & cæteri Apoſtoli, Auguſtinus, Hieronymus, Gregorius? Fuerunt vtique. Sed dominus Ieſus Chriſtus eſſentialiter, id eſt, ſubſtantialiter, naturaliter eſt bonus paſtor: bonitatem quâm habet non ab alio, ſed à ſeipſo habet. Apoſtoli autē, & cæteri ex accidenti dono fuerāt boni paſtores: bonitatem quam habuerunt non à ſeipſis, ſed à Deo Ieſu Chriſto acceperunt. Ipſe eſt caput omniū electorum, & omnes electi ſunt mēbra eius. Omnia autem membra corporis, à capite vegetantur. Similiter & ſancti Apoſtoli à capite ſuo Ieſu Chriſto, qui eſt paſtor paſtorum: acceperunt vt boni paſtores eſſent. Dū Dñs omnipotens opus boni paſtoris innoteſcere voluit, ſemetipſum in exemplo poſuit dicēs: ego ſum paſtor bonus. Non diceret, ego ſum paſtor bonus, niſi & eſſent paſtores mali: de quib⁹ ipſe alibi dicit: Super cathedrā Moſi ſederunt ſcribę & phariſęi Omnia quęcūq; dixerint vobis, ſeruate & facite ſed opera eorū nolite facere. De quibus

Mat. 23. *Phili.* 3.

Paulus. Sua quęrentes non quæ ſunt Ieſu Chriſti. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Animam ſuam, hic debemus accipere præſentem vitam. Animã ſuam, id eſt, vitam præſentem, dedit Dominus pro electis ſuis. Primùm paſtor Eccleſię debet ouibus ſuis impẽdere exteriora bona. i. victum & veſtimentum: deinde ſi neceſſe ſit, ipſam animam ponere, ſicut dominus Ieſus fecit. Sed cùm magna diſtantia ſit inter temporalẽ ſubſtantiam, qua corpus ſuſtentatur, & animã qua viuificatur: qui nõ tribuit in pace Chriſti ouibus temporalem ſubſtantiã, quomodo in perſecutione daturus eſt animã ſuã? Nullo modo. *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupũ venientẽ, & dimittit oues, & fugit.* Mercenarius dicitur à mercede tẽporali. Habẽt homines in domo ſua filios, habẽt ſeruos, habẽt mercenarios: filij ſeruiunt patribus amore intimo, quì credunt ſe in hęreditate eorũ ſucceſſores. Serui ſeruiunt eis propter timorẽ, quia timent flagellari ab eis. Mercenarij ſeruiũt eis propter mercedem tẽporalẽ. Iſtos tres ordines poſſumus inuenire in ſancta Eccleſia. Sũt paſtores, qui quaſi filij diuino amore pręſunt ouibus ſuis dñicis, & fideliter illius miniſtrant bona tẽporalia & ſpiritualia. i. doctrinã & exemplũ ſanctitatis, vt hęreditatẽ pa-

triæ

triæ cœleſtis cõſequi mereantur. Et ſunt paſtores qui quaſi ſerui ob metũ gehennę, ſeruiunt Deo, & prędicant ſuis ſubiectis, vt præcepta Dei obſeruent, quatinus & ipſi pœnas æternas euadant: & hoc bonum eſt. Sunt etiam paſtores qui quaſi mercenarij non requirunt gaudia æterna de ouibus ſibi commiſſis, ſed potius lucra terrena. Honorari ab hominibus cupiũt, diuitias terrenas cõgregãt, propinquos ſuos diuites & honeſtos & nobiles & potentes efficiunt. Mercenarij ſunt, quia pro terrenis cõmodis præſunt hominibus ſeu ouibus Dominicis. Sed tamẽ aliquãdo neceſſarij ſunt, quia criſma conficiunt, ſpiritumſanctum tribuunt per impoſitionem manuum. *Mercenarius autem & qui non eſt paſtor*, quia non paſcit oues Dominicas *cuius nõ ſunt oues propriæ*, ſed Chriſti *videt lupum venientem.* Dupliciter poſſumus hic intelligere lupum. Primò per lupum intelligitur quilibet iniuſtus, raptor, comes, aut vicecomes, aut vaſſalus Dominicus: qui gregem Chriſti iniuſtè opprimit, & more luporũ ſubſtãtiã eius diripit. Quid facit ille qui præeſt, epiſcopus aut ſacerdos, aut abbas, aut prǫlatus, aut prępoſitus cũ talia viderit perpeti oues ſuas? Fugit. Quomodo fugit, qui epiſcopatũ ſuũ nõ dereliquit? Fugit non mutando locũ, ſed ſubtrahendo ſolatium. Non dat

 adiu-

adiutorium plebi ſuę, qualiter liberetur à prędonũ deuaſtatione. Fugit, quia ſub ſilentio ſe aſcõdit. Fugit, quia iniuſtitiã vidit & tacuit. Fugit, quia dũ ſibi aliquid aduerſi ab eo venire metuit, reſiſtere eius iniuſtitiæ nõ præſumit: timet illius animũ cõtra ſe mouere, & aliquid periculũ ſibi ab eo inferri: & ideo non audet eius cõtradicere volũtati. Quid faciat ille raptor, cũ paſtor fugit? *Lupus rapit & diſpergit oues*, cũ alium interficit, aliũ occidit, alium ſpoliat, alterius equum aufert, alterius vxorem polluit, alterius domum incendit, & cætera peccata quæ diuina lex prohibet. Eſt alius lupus qui ſine ceſſatione, non corpora ſed mẽtes dilaniat, malignus. ſ. ſpiritus: qui leo appellatur,
1. Pet. 5. dicente Petro Apoſtolo: Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide. Iſte inceſſanter circuit congregationes monachorum, canonicorum & ſanctarum monialium, bonorum coniugatorum, vt aliquem protrahat ad ruinam. Iſtius aduentum debet prædicare paſtor Eccleſiæ ſuis ſubditis, vt nullo modo cõſentiant ſuis malignis ſuggeſtionibus. Si hoc nõ fecerit. i. ſi nõ dixerit ouibus ſuis, cauete aduentũ diaboli vt non vos decipiat, quaſi tunc fugit: quia diabolũ videt ſuper gregẽ ſuũ incumbere, & non eis prædicit. Quid faciet

dit ille lupus, id eſt, diabolus? *Rapit & diſpergit oues.* Quia alium ad luxuriã pertrahit, alium ad auaritiam incendit, alium in ſuperbiam erigit, alium in homicidium mittit, in adulterium, in falſum teſtimonium, in rapinam, in furtum, in inuidiam, & cætera his ſimilia. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt*, id eſt, ouibus Dominicis, non pro mercede Dei, ſed pro mercede temporali præeſt. *Et non pertinet ad eum de ouibus*, id eſt, non eſt illi cura de ouibus: non quærit lucrum animarum, nullo zelo accẽditur ad liberandum gregem ſuum de impugnatione diaboli. Nõ pertinet, id eſt, nõ habet curã & ſolicitudinem de ouibus ſibi commiſsis. Tale quid legimus de Iuda in paſsione dominica, dixit autem hoc non, quia ad eum pertinebat de egenis. i. non erat illi cura de pauperibus. *Ego ſum paſtor bonus.* Pòſtquã Dominus culpas ficti paſtoris notauit, iterum formam cui debemus imprimi oſtendit, cũ ſubdit. Ego ſum paſtor bonus. Repetitio ſermonis, cõfirmatio eſt operis. Quaſi diceret: Me ſequimini, me ſectamini, nõ mercenarios iſtius ſeculi, non falſos paſtores. *Et cognoſco meas.* i. diligo oues meas, *& cognoſcunt me meæ.* i. obſequũtur mihi diligẽtes. Cognoſcere Dei eligere eſt. Vndè ſcriptũ eſt: Nouit Dñs qui ſunt eius, id eſt, elegit. Et ipſe ad Moſen. No-

Ioã. 12.

1. *Tim.* 2

Exo. 33.

ui te i. cognoſco te ex nomine. Ac ſi diceret: Non te generaliter, vt cæteros ſcio: ſed velut vnum ſpecialiter eligo. *Sicut nouit me pater*, id eſt, diligit, *& ego agnoſco patrem*. i. diligo: quia vnius ſubſtantiæ eſt filius cum patre & ſpiritusancto, ſicut ipſe dicit in Euangelio: Ego & pater vnum ſumus: *& animam meam pono pro ouibus meis*, ac ſi diceret: In hoc conſtat, quia & diligo patrem, & diligor à patre, quia pro ouibus meis pono animã meã. Dum enim pro ouibus patris morior, quãtum patrem diligã oſtendo. In tãtũ dilexit filius Dei oues ſuas, id eſt, prędeſtinatos ad vitam æternam, vt pro illis deponeret ad tempus animam ſuam in vitam pręſentẽ. Dicit in hoc loco B. Auguſt. Securè paſcant oues Chriſti, licet paſtores ſui eas derelinquãt in neceſsitate, licet ſubſtantiã temporalem non illis tribuãt, ſed in aliorum vſus cõuertãt: tamen dominus Ieſus Chriſtus verus paſtor diliget eas & vitam æternam dabit eis. *Et alias oues habeo* redemptionem noſtram, qui de gẽtili populo venimus ad fidem, dominus aſpexerat: cũ ſe & alias oues adducere dicebat. Habuit nanque ex Iudæis oues de quibus dicit: Nõ ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. Sed plures habuit de gentibus. Et alias oues habeo, *quæ non ſunt ex hoc ouili*, i. non ſunt ex genere patriarcharum

Augu.

rum & prophetarum, non ſunt ex ſtirpe Abraham Iſaac & Iacob, *& illas oportet me adducere.* Quomodo duxit Dominus gentiles ad fidem? Per prædicationē Apoſtolorum, quibus Dominus dixit. Euntes in vniuerſum mūdum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Illi autē profecti prędicauerūt vbique Domino cooperante & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis i. in omnibus gētibus. Antè defecit eis terra quam lingua, id eſt, prædicauerunt vbique Domino cooperante. Vndè Deus erat cooperator illorū. Prędicabat Paulus, Chriſtus prędi- 1. Co. 13
cabat per os eius. Vndè ipſe dicit: An experimētū quęritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Prædicabat Petrus, Chriſtus prędicabat. *Et vocē meā audiēt.* Quæ eſt vox Chriſti? Vox Apoſtolorum, quia quicquid ſancti Apoſtoli loquuti ſunt, Dominus loquutus eſt per ora illorum. *Et vocem meā audient,* i. pręceptis meis obediēt: *& fiet vnum ouile,* id eſt, vna ſancta Eccleſia ex populo gētili & Iudaico congregata: *& vnus paſtor,* dominus Ieſus Chriſtus. Quare paſtor? Quia paſcua vitę æternæ dabit electis ſuis. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnū i. & Iudaicum ex parte & gentilem populū in ſua fide coniunxit, & fecit vnā ſanctā Eccleſiam. De his ouibus electis dixerat Dominus ſuperius. Si quis per me intra

uerit, id eſt, ſi quis in ſocietate ſanctę Ecclesiæ per baptiſmum venerit: ingredietur ad fidem & egredietur à fide ad ſpeciē, vt quod credit videat, & paſcua inueniet. Quæ paſcua? Paſcua ſemper virentis paradiſi, quæ ſemper virent & nūquam ſiccantur. Quæ ſunt gaudia virētis paradiſi? Vultus Dei omnipotētis patris & filij & ſpiritusſancti. Viſio ſanctæ trinitatis erit æterna ſatietas electorū: vbi nullus eſuriet neque ſitiet, ipſo Domino dicente: Qui credit in me, non eſuriet neque ſitiet ampliùs.

Dominica ſecunda poſt oct. Paſchę.

Homilia ſuper eo verbo, Ioannis. XVI.

Modicum & iã non videbitis me. Sciēs Redemptor diſcipulorum animos perturbandos ex ſua paſsione & morte: ſæpiſsimè antèquàm pateretur, prædixit eis & paſsionis ſuæ pœnam, & reſurrectionis ſuæ gloriam: vt cum viderent eum pati ſicut prędixerat, reſurrecturū etiam non dubitarent ſicut promiſerat. Quia faciliùs & leuiùs tolerari poſſunt ea aduerſa quę antè præſciũtur, quàm ea quæ ſubitò & inſperatè eueniunt. *Modicum & iam non videbitis me.* Hęc verba ſpecialiter ad Apoſtolos pertinēt, qui ea ex ore Domini audierũt & poſtmodum impleta viderunt. Modicum

cùm fuit illud tempus quo dominus ia-
cuit ſepulchro , quando non viderunt
eum ſancti Apoſtoli. Sexta feria fuit cru
cifixus hora ſexta , & hora nona emiſit
ſpiritum, adueſperaſcente die poſitus eſt
in ſepulchro, & iacuit ibi illa nocte & ſe
quenti die, & iterum ſequenti nocte. die
dominica diluculò reſurrexit à mortu-
is, Vnde Pſalm. dicit ex perſona filij : Ex-
xurgam diluculò . Quare dixit , & iam
non videbitis me : quaſi iam vltra non
eſſent viſuri : cùm iam poſt reſurrectio-
nem manducauerunt & biberunt cum
eo, quod Petrus Apoſtolus dicit : Nos
qui manducauimus & bibimus cum
illo, pòſt quàm reſurrexit à mortuis: Ita
ſoluitur hæc quæſtio. *Modicum & iam nõ
videbitis me* , hoc eſt , non iam videbitis
me mortalem, corruptibilem , ſicuti ha-
ctenus ſoliti eſtis videre : ſed immorta-
lem , incorruptibilem & impaſsibilem.
Et iterum modicum , & videbitis me . Per
primum modicum ſicut diximus, intel-
ligitur ille vnus dies & duæ noctes, qui-
bus dominus quieuit in ſepulchro . Per
ſecundum modicum poſſumus intelli-
gere quadraginta dies , quibus domi-
nus in multis argumentis ſe viſibilem
diſcipulis exhibuit , manducans & bi-
bens cum illis, intrans & exiens. Et ite-
rum modicum & videbitis me. Quare?
Quia vado ad patrem. Ac ſi diceret. Tem-

pus eſt vt expleta paſsione, ſepultura, reſurrectione à mortuis, cum triumpho, hoc eſt, cum victoria mortis reuertar ad patrem qui me incarnari conſtituit. *Dixerunt ergo diſcipuli ad inuicem: Quid eſt hoc quod dicit nobis: Modicum & non videbitis me, & iterum modicum et videbitis me, quia vado ad patrem?* Quare non intelligebāt diſcipuli verba de ſua paſsione & morte? Quia intantū credebant eum eſſe verum Deū, vt nō putarent omnino quod potuiſſet mori. Sciebant nanque eum reuerſurum ad patrem qui eum miſit, ſed ita quod poſſet mori qui Deus erat minimè credebant. Et ideo quandocunque loquebatur illis de ſua paſsione & morte, putabant eum parabolicè loqui: & aliud intelligendum eſſe in verbis illius, quā ſonabant. Sed quod iſtis præ amoris magnitudine abſcondebatur, Iudæis præ nimietate inuidiæ facile ad vnum verbum notum fiebat. *Dicebāt ergo: Quid eſt hoc quod dicit nobis modicum.* Nihil eſt aliud quā repetitio ſermonis. Hanc conſuetudinem habet Ioan. euangeliſta, vt nihil breuiter dicat. *Cognouit ergo Ieſus, quod volebant eum interrogare.* Quia Deus eſt, cogitationes hominum videbat,
I.Re.16 hoc Deo proprium eſt, vt cogitationes hominum contempletur. *De hoc quæritis inter vos*, id eſt, de hoc habetis altercationem, *quia dixi, modicum & iam non vi*-

videbitis. Vultis ſcire quid dixi, modi-cum & iam non videbitis me? Ego oſtendam vobis: *Amen amen dico vobis,* id eſt: verum verum dico vobis. *Quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Plorabãt & flebant amatores Chriſti, ſcilicet ſancti Apoſtoli & cæteri credentes, cùm viderent dominum Ieſum Chriſtum ab hoſtibus comprehendi, ligari velut latronem, & ad concilium duci ad domum Annæ & Caiphæ, flagellari, conſpui, ſpineam coronam ſuper caput eius imponi, deriſui haberi, damnari, mori, ac ſepeliri. E contra gaudebant mundi amatores, & ridebant, ſcilicet Scribæ & Phariſæi, quando dominum flagellabant, deridebant occidebant, quia grauis eis etiam ad videndum erat. Sed quid factum eſt? Triſtitia Apoſtolorum verſa eſt in gaudium, & lætitia Phariſæorum verſa eſt in triſtitiam. *Mundus autem gaudebit.* Tripliciter accipitur mundus in ſacra ſcriptura. Dicitur mundus vniuerſitas quæ conſtat ex cœlo & terra. Et accipitur in bonam partem, vt ibi: Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, id eſt, electos. Et alibi: In tantùm dilexit Deus mundum, id eſt, electos, vt filium ſuum vnigenitum daret pro mundo. Mundus etiam accipitur in malam partem, vt hic: Mun-

2.Co. 5.

Ioan.3.

Mundus autem gaudebit,id eſt, mundi amatores. Et idem Ioannes euangeliſta in principio libri ſui. Et mundus eum non cognouit, id eſt, mundi amatores Iudæi, quos ipſe in plebem peculiarem ſibi elegit. *Vos autem contriſtabimini*, ſcilicet de morte mea. *Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*. Completũ eſt hoc poſt reſurrectionem, ſicut idem Ioan. Euangeliſta.20.dicit: Gauiſi ſunt diſcipuli viſo domino. Manducantes cum illo poſt reſurrectionem lætati ſunt. Videntes eũ aſcendere in cœlum lætati ſunt, iuxta quod Lucas dicit: Quia regreſsi in Hie-
Act. 1. ruſalem à monte oliueti, vndè dominus aſcenderat in cœlum, erãt quotidie laudantes & benedicentes dominum Deũ. Quantum nanque fuerunt diſcipuli triſtati de domini paſsione, tantum fuerũt lætati viſa eius reſurrectione. Et quantum fuerunt ſcribæ & phariſæi lætati, gloriati & gauiſi & de eius morte, tantum ſunt triſtes effecti audita eius reſurrectionę. Vnde & magnam pecuniam dederunt militibus annunciantibus reſurrectionem domini, precantes, ne alicui denunciarent quod reſurrexiſſet à mortuis. Cõgruit & hoc totius ſanctę eccle-
Mat. 18 cleſiæ ſtatui. Plorant nanque electi peccata ſua præterita, vt veniam à domino conſequi mereantur. Deflent etiam peccata aliorum per compaſsionem, ſicut fle-

flebat beatus Paulus Corinthios, qui poſt fornicationem & immunditiã non egerunt pœnitentiam. Vel ideo plorant & flent, quia differuntur à regno, non ſtatim aſcendunt ad patriam cœleſtem vbi volunt, dicẽtes cum Pſalmiſta. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, id eſt, prolongatio mea. Similiter & reprobi quos ob infimas terrenasq́ cogitationes & ob infima deſyderia dominus mundum appellat, tripliciter lætantur in præſenti ſeculo. Gaudent in argento, in auro, in veſtibus, in gemmis preciosis, in pulchritudine vxorum, in multitudine filiorum, in obſequijs ſubditorum. Gaudent etiam, quia vel non putant aliam vitam, niſi iſtam miſeram & caducam, qua vtuntur in præſenti: vel quia deſperãt, ſe pertingere poſſe ad eã. Vel ideo gaudẽt, quia deſperãt, ſe pertingere poſſe ad eã. Sed triſtitia electorũ quã habẽt in hoc ſeculo, verteſ in æternę beatitudinis lętitiã, cũ ab hac miſerrima vita mortem carnis fuerint abſtracti, & in cœleſti ſede collocati. Lætitia verò impiorum vertetur in triſtitiam, cum ab hoc ſeculo migrauerint, & in pœnis perpetuis poſiti fuerint. *Mulier cũ parit triſtitiam habet.* Aliud eſt parere, aliud eſt parturire. Parere eſt quãdo mulier fœtum quem habet in vtero emittit ex vulua ſua. Parturire eſt parere velle, 2. *Co*. 12 *Pſa*. 119

& non poſſe, quando ſcilicet mulier periclitatur ob difficultatē partus, ſicut periclitata eſt Rachel. Parturio dicimus, parere volo: ſicut lecturio legere volo, eſurio edere volo. *Mulier cū parit*, i. parere vult, & nō poteſt, *triſtitiam habet, quia venit hora eius*. i. paſsionis eius. *Cùm autē peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium*. i. non recordatur tribulationis quam perpeſſa eſt in natiuitate pueri. Quare? *Quia natus eſt homo in mundum*. Et hoc ſecundum literam. Secundum ſpiritualem intelligentiam, mulierē appellat dominus ſanctā eccleſiā propter fœcunditatem bonorum operū. Bona opera dicuntur filij. Vel quia ſpiritualès domini filios gignere nō deſinit, baptizando, docendo, confirmando, ad vitam æternam trahendo, verbo & exemplo. Hæc mulier, id eſt, hæc ſancta eccleſia triſtatur modo in electis, dolet & affligitur, vt per lachrymas & per præſentes labores ad gaudia æterna valeat peruenire. *Quum autem peperit puerum*. i. cum ſancta eccleſia iuſtum & fortem populum miſerit ad patriam cœleſtem per mortem carnis. *Iam non meminit preſſuræ* præcedentis *propter gaudium*, perceptæ retributionis, *quia natus eſt homo in mundum*: quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Sicut cō

ſueto

ſueto more naſci dicitur, quiſquis egre-ditur de vtero matris ad hanc lucem vi-ſibilem: ſic non inconuenienter naſci di-citur: quiſquis de hac tenebroſa & cri-minoſa vita per mortem corporis ad vi-tam ſublimatur æternā. Vndè mos ino-leuit in ſancta eccleſia, vt dies quibus ſancti Dei exierunt à præſenti ſeculo, non dies mortis, ſed dies natiuitatis ap-pellentur. Natalis ſancti Petri, natalis ſancti Pauli, non vocatur mortale, ſed natale. Et dignum eſt, quia tunc mortui ſunt mundo, & nati ſunt in cœlo. *Vos i-gitur nunc triſtitiam habetis.* Ad quod per tineat præmiſſa parabola, dominus ma-nifeſtat quū ſubiungit: Et vos (inquit) triſtitiam habetis. Hæc verba loquutus eſt dominus ea nocte, qua traditus eſt à diſcipulo. Triſtes erant ſancti Apo-ſtoli, quia iam imminebat domini tra-ditio & paſsio. Iam dixerat illis, vnus veſtrum me traditurus eſt, & qui intin-git mecum manum in paropſide, hic me tradet, ideo triſtes erant. Et vos nunc in præſentia triſtitiam habetis, quia dixi vobis quia tradēdus ſum & moriturus. *Iterum autem videbo vos*, poſt reſurrectio nem. *Et gaudebit cor veſtrum*: de mea re-ſurrectione. *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Gaudium quod ſancti A-poſtoli habuerunt de dominica reſur-rectione, aſcenſione, aduentu ſpiritus

ſan-

ſancti, nemo tulit ab eis: non quilibet perſecutor, non diabolus, nõ Nero. Neronem dico pro omnibus perſecutoribus. Petrus negauit dominum ante paſſionem ad vocem vnius ancillæ, poſt reſurrectionem confortatus à domino imperator totius mundi Nero non potuit eum compellere, vt Deum negaret. Licet enim flagellati fuiſſent, vt in actibus Apoſtolorum legimus, quando ibãt gaudentes à conſpectu concilij, licet crucifixi fuiſſent vt Petrus, decollati vt Paulus, vſtulati vt Lauren. tamen in ſpe reſurrectionis, & in ſpe gaudij ſempiterni ſemper mente quieſcebant. Hoc quantũ ad Apoſtolos pertinet. Cæterùm verò poſſumus hæc verba ad electos referre. Triſtantur modò electi & affliguntur à malis hominibus & à malignis ſpiritibus, à ſtimulis propriç carnis, ab incommoditatibus terrenis. Quare triſtantur electi? Quia non ſunt adhuc vniti capiti ſuo domino Ieſu Chriſto. Quum illi fuerint iuncti in cœleſti gloria, eorum mœror vertetur in gaudium & lætitiã ſempiternam. *Iterum autem videbo vos.* Videt dominus modò electos in præſenti ſeculo laborantes, & protegit ne fortè ſuperentur ab hoſtibus. Iterum autem videbit eos, id eſt, videndus eis apparebit quum abſtraxerit eos à laboribus præſentis vitæ, & collocauerit eos

in

in cœleſti ſede. *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Quod erit gaudium in regno cœlorum? Quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. B. Aug. dicit: Quod gaudium ſanctorum Chriſtus eſt, ipſe eſt vita æterna, quia dixit ad patrem: Hæc eſt autem vita æterna, vt credant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ. Vt te Deum patrem, & me filium quem miſiſti, cùm ſancto ſpiritu credant vnũ Deũ verũ eſſe. Viſio ſanctæ trinitatis patris & filij & ſpiritus ſancti, erit lætitia ſanctorum. Cùm viderint dominum Ieſum Chriſtum regnantẽ, cum patre & ſpiritu ſancto in charitate deitatis ſuæ, maius gaudium quam illud habere nõ poterunt. Et gaudiũ veſtrũ nemo tollet à vobis. Nullus ſcilicet aduerſarius, nõ Nero nõ diabolus, nõ erit ibi ſciſsio mẽtium, ſed pura concordia ſanctorum, non aduerſitas corporis, non debilitas mentis, cuncta mala deerunt, & omnia bona aderunt. Ad quæ nos indiuidua trinitas peruenire faciat, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Dominica tertia poſt octauas Paſchæ.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt Ioannis decimoſexto.

Vado

VAdo ad eum qui me miſit. Tempore paſsionis appropinquante, curauit dominus prædicere diſcipulis ſuis quod moriturus, & reſurrecturus, & aſcenſurus eſſet ab eis in cœlum, & ſpiritum ſanctum illis daturus: vt ſi eos contriſtaret eius paſsio, lætificaret eius reſurrectio: & ſi eos contriſtaret eius receſſus, conſolaretur ſpiritus ſancti aduentus, qui venit ſuper illos decima die poſt aſcenſionem illius in linguis igneis. *Vado ad eum qui me miſit*, id eſt, reuertar ad
Acto.2 patrem, qui me incarnari conſtituit pro ſalute generis humani. Secundum humanitatem reuerſus eſt ad patrē, qui ſecundum deitatem non receſsit à patre, vndè ipſe dicit: Ego in patre, & pater in me eſt. *Et nemo ex vobis interrogat me quò vadis*. Præſens tempus, interrogat, poſuit pro futuro, quod eſt, interrogabit. Et nemo ex vobis interrogat me quò vadis, id eſt, non eſt neceſſe vt interrogetis quò pergam, quia cernentibus cunctis cœlos petam, vt ad dexteram Dei patris ſedeam. Hoc impletum eſt quadrageſimo die reſurrectionis illius. Cũ que loqueretur cum diſcipulis, & benediceret eis: venit nubes de cœlo & circundans eum aſſumpſit in cœlum. Tũc non verbo interrogauerunt quò pergeret, ſed oculis viderunt. Et quum intuerentur in cœlum euntem, illum, ec-

ce duo viri, id eſt, duo angeli aſtiterunt iuxta illos in habitu virorum & in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum: ſic veniet ad iudicium, id eſt, in eadem carne, vel in eadem nube: quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum. Illi, id eſt, diſcipuli flentes, & ſuper veſtigia domini lachrymas fundentes, reuerſi ſunt à monte oliueti in Hieruſalem. Et erant quotidie, vt Lucas dicit, laudantes & benedicentes dominum in templo. In illo loco vbi dominus aſcendit in cœlum, eſt modò ſancta eccleſia conſtructa, & veſtigia domini non ſunt cooperta tecto. Nam quãtumcũq; homines de terra veſtigiorum domini propter reliquias ſecum deferunt, tamen adueniente die craſtina ita apparent integra, quaſi eo die dominus aſcendiſſet. *Sed quia hæc loquutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum*, Dñs Ieſus Chriſtus Deus & homo eſt: per hoc quòd Deus eſt, ſecreta cordium noſtrorum intuetur. Videbat nãque quod verba ſua magis generarẽt triſtitiam in cordibus diſcipulorum, quàm lætitiam, idcirco dixit eis: Sed quia hæc loquutus ſum vobis, ſcilicet ꝙ moriturus ſum, & à vobis receſſurus. *Triſtitia impleuit cor veſtrum*. Quare triſtabantur diſcipuli?

Quia

Quia illud quod videbant, id eſt, huma nitatem filij Dei amittere metuebant Si fieri potuiſſet ſemper vellent cum ſecum habere mortalem. Ideo quandocunque loquebatur eis de ſuo receſſu, dicebant in corde. Quid faciemus ſi iſte receſſerit à nobis? Certè interficiët nos perſequutores Iudæi. *Sed veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam.* Expedit vobis, id eſt, neceſſe eſt, vt forma humanitatis veſtris ſubtrahatur aſpectibus, quatinus amor meæ diuinitatis arctius veſtris infigatur mentibus. Expedit vobis, vt formam ſerui quam aſſumpſi, cœlis inferam, vt vos omne deſyderium veſtrum illuc transferatis. Quandiu ſancti Apoſtoli Dominum Ieſum Chriſtum ſecum corporaliter conuerſari cernebant, mentes ſuas ad ſitienda munera gratiæ cœleſtis erigere non valebant. Poſtquàm verò illa humanitas exaltata eſt ſuper cœlos, & ſuper choros angelorum: & illi pariter omne deſyderium ſuum poſt dominũ tranſtulerunt, iuxta quòd ipſe eis alibi dixerat: vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. *Si enim non abiero, paraclytus non veniet ad vos.* Quidam Græcus veniens in palatium regis, quum legeretur illud euangelium, & diceretur à legente paraclytus, dixit quod paracletus deberet dici. Non eſt ibi iota, ſed e longum. Tamen nos nõ audemus illud ver-
tere

tere propter conſuetudinem, ne nouum aliquid inuenire dicamur. Paracletus Græcè, Latinè conſolator dicitur. Quare cõſolator? Quia corda diſcipulorum quæ receſſus domini mœſtificauerat, ipſe adueniens decimo die lætificauit, vt iam non triſtarentur de eius abſceſsione, ſed potiùs gauderent de æqualitate quam habet filius cum patre & ſpiritu ſancto. *Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos*. Nunquid non poterat dominus Ieſus Chriſtus in terra adhuc conſiſtẽs ſpiritum ſanctum dare diſcipulis, quum legamus eum eo die quo reſurrexit à mortuis inſufflaſſe, & dixiſſe Ioannis vigeſimo: Accipite ſpiritum ſanctum? Poterat vtique. In illo non erat vlla impoſsibilitas dandi: ſed in illis erat impoſsibilitas, qui necdum erant capaces donorum ſpiritus ſancti, propter præſentiam domini corporalem: vbi autem receſsit ab eis in cœlum, & illi cœperũt ſpiritualiter cogitare vbique eum manere per plenitudinem deitatis ſuæ, ſtatim digni effecti ſunt ad percipiendum ſpiritum ſanctum. *Si enim abiero mittam eum ad vos*. Habuerunt ſancti patriarchæ & prophetæ ſpiritum ſanctum, Abraham, Iſaac, & Iacob, Dauid, Eſaias, & cæteri. Vndè & dicebant: Hæc dicit dominus. Similiter & ſancti Apoſtoli,

Hiero. vt beatus Hiero. dicit ex eo tẽpore quo
à domino vocati ſunt, & virtutem ab
eo acceperunt, omnem infirmitatem cu
randi & calcandi ſuper omnem poteſta
tem inimici, ſpiritum ſanctum habue
runt: ſed non ita pleniter ac manifeſtè,
ſicut decimo die poſt aſcenſionem eius,
quando acceperunt eum in liguis ig
Acto. 2 neis. Sicut enim ferrum calidum in fer
uenti igne inflammatur, ita & ſancti A
poſtoli, igne ſpiritus ſancti inflammati
ſunt *si enim abiero*, id eſt, aſcendero in
cœlum, *mittam eum ad vos*: ſubauditur
manifeſtè *et quum venerit ille arguet mun
dum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio.*
Nunquid non redarguit dominus mun
dum, id eſt, mundi amatores, de his om
nibus quæ hic dicuntur, id eſt, de pecca
to, de iuſtitia, & de iudicio? Redarguit
vtique Sed Chriſtus ſolummodo gen
tem Iudaicam redarguit ſpiritus ſan
ctus aduenjens, & corda diſcipulorum
replens, non ſolum populum Iudaicum
redarguit, ſed & totum mundum redar
guit per Apoſtolos, ſicut ſcriptum eſt
de eis: In omnem terram, &c. Compro
bemus hoc quomodo dominus redar
guit Iudæos, primùm de peccato, quum
dixit: Si non veniſſem, & eis loquutus
fuiſſem, peccatum non haberent. Et ali
bi: Si nõ credideritis quia ego ſum Chri
ſtus, moriemini in peccato veſtro. Re
darg

darguit eos de iuſtitia aliorum, quum dixit: Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia egerunt pœnitentiam in prædicatione Ionæ. Ex iuſtitia Niniuitarum, condemnabitur impietas Iudæorum, in die iudicij, quia illi egerunt pœnitentiam in prædicatione Ionæ ſerui Dei. Et Iudæi dominum Ieſum Chriſtum proprio ore loquentem audientes & videntes miracula eius in eum credere noluerunt, ſed potius interfecerunt. Simulq́ꝫ redarguit eos de iuſtitia, vt in eodem euangelio legitur: Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta peſsima, & cõdemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire Salomonis ſapiẽtiam. Redarguit eos de iudicio, quum dixit: Vos ex patre diabolo eſtis, & deſyderia patris veſtri vultis perficere. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas in eo non eſt. Et qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis: ſicut nec pater veſter diabolus. Redarguit autem ſpiritus ſanctus Iudæos per Apoſtolos, quum dixit eis: Vos autem iuſtum & ſanctum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis. *Ille arguet de peccato quidem, quia non crediderunt in me*. Peccatum incredulitatis quaſi ſpeciale poſuit, quia ſicut fides

recta eſt origo omnium virtutum: ita infidelitas eſt origo omnium vitiorum. De qua infidelitate dominus alibi dicit: Qui non credit iam iudicatus eſt. i. damnatus, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. *De iuſtitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me.* Iuſtitia Apoſtolorum erat Chriſtus, quia quem ſciebant temporaliter natum ex matre, credebant eum vtique ante omnia ſecula genitum ex patre. Et quem ſemel videbant à ſe recedere, credebant eum ſemper ſecum manere per magnitudinem deitatis ſuæ, iuxta quod ipſe antè eis promiſerat, dicens: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationẽ ſeculi. Per hoc quia ita crediderunt, iuſtificari meruerunt. Iuſtitia verò cæterorum credentium eſt .i. noſtra qui non vidimus dominum Ieſum Chriſtum incarnatum, & tamen credimus eum verum Deum, & verum hominem eſſe: & per hoc iuſti efficimur. Ex iuſtitia Apoſtolorum damnabuntur impij Iudæi, quum dixerit illis Dominus in die iudicij: Iſti diſcipuli mei Iudæi fuerunt ſicut & vos & eandem legem habuerunt, quam & vos habuiſtis, & iſti crediderunt in me. Vos autem ò miſeri, qui cœleſtem doctrinam ex ore meo audiſtis, & mea miracula vidiſtis, quare non credidiſtis in me? Ite in ignẽ æter-

æternum. Tunc implebitur illud quod dominus promiſit eiſdē diſcipulis: Vos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Nequitia reproborum non ſolum damnabitur ex ſola ſua prauitate, ſed etiam ex iuſtitia aliorum. Verbi gratia: Eſt modò aliquis canonicus, monachus, ſiue laicus videt alium lectioni incumbentem, orationi inſiſtentem, caſtitatem ſeruantem, hoſpitalitatem ſectantem, & cæteris bonis inhiantem, & non ſequitur eum: iſte talis non ſolum punietur ex ſua nequitia, ſed etiam ex iuſtitia eius quem videt bona operantem & non eſt imitatus. *Quia ad patrem vado, & iam non videbitis me.* Nō videbitis me, dicit priuſquàm aſcendero, qualem me modo videtis. i. mortalem, corruptibilem, & paſsibilem: ſed vi debitis me venientem ad iudicium, non mortalem ſed ſempiternum, non humilem, ſed excelſum, non iudicandum ſed iudicaturum. Peracto verò iudicio videbitis me in claritate B. glorię cū patre & ſpiritu ſancto fulgentē. *De iudicio autem, quia princeps mundi huius iā iudicatus eſt.* i. iudicio ignis æterni irreuocabiliter deſtinatus eſt. Principē mūdi appellat diabolum, non ꝙ principatū habeat in cœ-

lo aut in terra vel in mari. Sed dominatum tenet in mundo, id eſt, in amatoribus mundi, in Iudæis, in paganis, in hæreticis, & in falſis Chriſtianis. Iudicatus eſt diabolus à domino, id eſt, damnatus quum præcipitatus eſt de cœleſti ſede in hanc aëris turbulentiam vbi modo expectat diem iudicij damnandus adhuc. De iſtius caſu dicit dominus alibi: Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Et Iudas Apoſtolus: Angelos qui non ſeruauerunt ſuum principatũ, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, reſeruauit in diem magni iudicij cruciandos. Iudicauit etiam dominus in carne poſitus diabolum, quum abijceret eum de obſeſsis cordibus. Iudicauerunt eum & ſancti Apoſtoli, quum ſimiliter per virtutem Dei eijcerent dæmones ab hominibus, dicentes: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti, exi ab homine. Arguitur igitur mundus de iudicio, quia diabolus iudicatus eſt. i. damnatus, quãdo homines ne Dei voluntati reſiſtere præſumant, terrẽtur exemplo dãnati angeli .i. diaboli propter ſuperbiam. Dicit aliquis: Certè in dominũ Ieſum Chriſtum credo, non reputabuntur mihi peccata mea ab eo in die iudicij. Reſpondet illi ſpiritus ſanctus per hominẽ in quo eſt: Si deus omnipotens non pepercit angelis peccãtibus ſolummodo cogitatione, ſed

ſed eiecit eos de cœleſti ſede: nunquid ti-
bi parcet ſi diabolũ fueris imitatus pec-
cando? Certè nõ parcet. Cœlum nõ po-
tuit ſeruare angelos peccãtes, nec para-
diſus hominem, quia locus non ſancti-
ficat hominem, ſed per hominem ſancti-
ficatur locus: & tu quomodo ſaluari po-
teris, ſi peccaueris? Quærendũ eſt. Qua-
re homo poſt lapſum meruit recupera-
tionem, & dabolus non meruit? Pri-
mum, quia homo habuit autorem cri-
minis ſui; id eſt, diabolum, qui ei ſuaſit
per ſerpentem vt peccaret. Diabolus ve-
rò non habuit autorem peccandi quem
imitaretur; nullus enim eum inſtigauit
ad peccandum. Secundò, quia homo ne-
ceſsitate peccauit, habuit neceſsitatem
manducandi, ideo manducauit de ligno
vetito. Diabolus verò non neceſsitate,
ſed propria voluntate peccauit. Non ha-
buit neceſsitatem manducandi, quia ſpĩ-
ritualis naturæ eſt, vt peccaret ſicut ho-
mo. Tertiò, quia homo in illo loco vbi
conditus fuerat, id eſt, in terra ibi ma-
nebit adhuc: nondum aſcenderat quò
aſcendere habebat, id eſt, in cœlum. Si
enim non peccaſſet, impleto numero e-
lectorum ſine morte corporis tranſiret
ad patriam cœleſtem. Diabolus verò
in gloria cœleſti vbi conditus fuerat, i-
bi erat, non habebat quò altiùs aſcen-
deret: & ideo vbi peccauit, ſtatim ruit,

Et ob hæc non meruit recuperationem, ſicut homo. *Adhuc multa habeo vobis dicere. Sed non poteſtis portare modò.* Duo ſunt propter quæ diuina myſteria non panduntur hominibus, vel quia infirmus auditor ad intelligendum, vel quia indignus eſt ad capiendum, quorum propter vnum dicit dominus alibi: Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. Canes & porcos appellat Iudæos & hæreticos & paganos. Iſti non ſunt digni ad percipienda diuina myſteria. De infirmis auditoribus dicit dominus hic. Adhuc multa vobis habeo dicere, ſed non poteſtis portare modò: quia Apoſtoli adhuc erant paruo ſenſu. Hanc regulam
1. Co. 1. ſeruans B. Paulus Apoſtolus dicit. Lac potum dedi vobis non eſcam, nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidē poteſtis. Adhuc enim carnales eſtis. i. paruuli, adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Hæc verba loquutus eſt dominus poſt quàm cœnauit cum diſcipulis ſuis ſero, anteq̃ pateretur ſeu traderetur. Si forſitan quęrit aliquis: Quando loquutus eſt dominus ea verba, quę tunc reticuit præ infirmitate ſenſus illorū? Nimirū poſt aſcenſionē ad cælos, quādo miſit eis ſpiritum ſanctū. Ille ſpūs ſanctus aduenīēs docuit illos ſpiritualiter quæ antea nō poterāt intel-

intelligere: tantum edocuit eos de Dei cognitione, quantum mortalibus de Deo erat ſciendum. *Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Manifeſtum ſecundum literam Apoſtolos ante aduentum ſpiritus ſancti minus capaces fuiſſe arcana intelligenda diuinæ ſublimitatis, & minus fortes ad tolerāda aduerſa humanæ prauitatis. Poſtquàm verò ſpiritus ſanctus aduenit & gratia ſua eorum corda illuſtrauit, capaciores effecti ſunt ad intelligenda diuina myſteria, & fortiores ad ſufferendas iſtius ſeculi paſsiones, ſicut ſcriptum eſt in Act. Apo. Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia, id eſt, cum audacia. Petrus qui ad paſsionem ad vocem vnius ancillæ negauit dñm poſt aſcenſionem eius ad cœlos, ſpiritu ſancto confortatus, coram regibus & principibus ſine timore verbū Dei prædicabat. *Act. 2.* *Luc. 22* *Act. 23*
Docebit vos omnem veritatem. Omnis veritas ſancta trinitas eſt, pater & filius & ſpiritus ſanctus, quia in illa non eſt mēdacium. Et quare dixit dominus Ieſus: docebit vos omnem veritatē, cùm nullus mortalium dum adhuc viuit, poſsit Deū cōprehendere tota mēte ſicuti eſt? Illud quod cōprehenditur, minus eſt eò à quo cōprehēditur. Si mēs hominis potuiſſet Deum totum comprehendere ſi-

ſuti eſt, maior eſſet mens quàm Deus. Certè nec ipſi angeli qui ei aſsiſtũt. Cherubim & Seraphim, neq; cęteri ordines angelorum, vidẽt eũ adhuc ſicuti eſt, iuxta quod ſcriptum eſt de eis, in quẽ deſyderant angeli proſpicere. Sed hoc in futuram vitam reſeruatur, cùm homines fuerint immortales corpore, & immutabiles in aïa, & ſimiles angelis fuerint effecti in cœlo: tunc cognoſcẽt omnem veritatem.i. patrem & filium & ſpiritum ſanctum, qualiter eſt in perſonis trinus, & in ſubſtantia deitatis vnus. Iuxta quod Paulus dicit: Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcã ſicut cognitus ſum. Et Ioan. euang. Chariſsimi nunc filij Dei ſumus & nondum apparuit quid erimus. Cùm autem apparuerit ſimiles ei erimus: quoniã videbimus eum ſicuti eſt. Et nunc videmus per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et hoc eſt quod dicit: *Docebit vos omnem veritatem*.i. infundet cordib⁹ veſtris dilectionẽ, quæ vos amare faciet omnem veritatem.i patrem & filium & ſpiritum ſanctũ vt diligatis eũ toto corde, tota anima, tota virtute, & proficiatis quotidie de virtute in virtutem, donec videamus Deum deorũ in Sion.i. in cõtemplatione cœleſtis beatitudinis. *Nõ enim loquetur à ſemetipſo*. Quare? Quia nõ à ſeipſo, ſed à patre & filio. Deus pater à nullo

nullo eſt. Filius à ſolo patre eſt. Spiritus ſanctus ab vtroque procedit, id eſt, à patre & filio. A quo eſt illi proceſsio, ab illo vtique accipit quod loquitur. Non enim loquetur à ſemetipſo ſine communione patris & filij, quia quorum eſt vna ſubſtantia, vna natura, vna maieſtas, horum eſt vna gloria, & inſeparabilis vna æternitatis cooperatio. *Sed quæcunque audiet loquetur*. Poterat dicere audiuit, ſed dixit loquetur, quæcũq; audiet. Quid eſt audire ſpiritui ſancto? Auditio illius non eſt aliud niſi ſubſtantia illius. Hoc eſt illi audire quod eſſe, & hoc eſt illi eſſe, quod ſcire, & hoc eſt ſcire quod & eſſe & audire & loqui. Aliud eſt tuũ eſſe, & aliud eſt tuũ ſcire, quia potes eſſe neſciens literas. In Deo omnipotente, nulla eſt duplicitas. *Quæcunque audiet loquetur*, id eſt, illud loquetur quod eſt, Deus eſt, diuina proferet, *& quæ ventura ſunt annunciabit vobis*. Futura annunciauit ſpiritus ſanctus Apoſtolis, quia prophetas eos fecit. Quod prophetæ fuerũt ſancti Apoſtoli, poſſumus probare ex verbis domini, quibus dixit Iudæis ſecundum Matt. Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes. Prophetas appellat ſanctos Apoſt. hic, quia ille ſpiritus qui loquutus eſt per prophetas, ille loquutus eſt per Apoſtol. Propheta dicitur, eò quod futura prædicat. B. Paulus propheta
 fuit,

fuit, quia verbis & ſcriptis gaudia electorum & ſupplicia reproborum prædixit. Similiter B. Ioannes euange. qui ſcripſit Apocalypſim propheta fuit, quoniam quicquid poſt aduentum domini in ſancta eccleſia actum eſt, & modò agitur, & quæcunque ante diem iudicij, vel poſt diem iudicij agenda ſunt, cuncta in ſcriptis eius conſiſtunt. Et non ſolum ſancti Apoſtoli fuerunt prophetæ, verumetiam & martyres & confeſſores atque virgines, & multi alij, vt beatus Benedictus, qui etiam cogitationes hominum videbat, quando dixit puerulo tenenti ſibi candelam, pone pone candelam: malè cogitas. Quantum ad nos pertinet, tunc nunciat nobis ſpiritus ſanctus futura, cùm gaudia patriæ cœleſtis ad memoriã reducit. Inſpirat in cordibus noſtris, quæ gaudia ſunt electi percepturi, & ſine fine habituri. Legimus in Eſaia propheta. Quę nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hoĩs aſcẽdit: quę præparauit De⁹ his qui diligũt eũ. Dicit tibi ſpiritusſanctus in corde: certè verũ dicit tibi propheta. Cùm effectus fueris ſimilis angelis in cœlo, qui modò cuſtodis præcepta Dei in mundo: tunc percipies gaudia quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hoĩs aſcendit, quæ pręparauit Deus diligẽtibus ſe. *Ille me clarificabit.* Eſt ſermo apud gręcos qui

Eſaiæ. 40. *1. Cor. 2*

qui vocatur doxachin, & exprimitur in latino tria verba vnum idemq; ſignificãtia, id eſt, glorifico, clarifico, & honorifico. Clarificauit, id eſt, honorificauit, magnificauit, ſpirituſſanctus Dominum Ieſum Chriſtum, cũ docuit Apoſtolos, vt vt quem nouerant temporaliter natum ex matre, crederent eum ante omnia ſecula genitum ex patre æqualem ſibi per omnia. Clarificauit eum etiam cũ tot ac tãta miracula fecit per Apoſtolos in nomine Ieſu Chriſti, vt penè totum mũdũ ad fidem Chriſti perduceret. *Quia de meo accipiet & annũciabit vobis*, id eſt, de meo patre. Deus pater, ſicut ſuperiùs diximꝰ, nullius originis eſt, filius à ſolo patre eſt genitus, ſpirituſſanctus ab vtroq; procedit. A quo procedit, accipit quod loquatur. Loqui ſpirituſſanctus pater & filius loquũtur, quia ſpirituſſanctus vnius ſubſtantiæ eſt cũ patre & filio. *Omnia quæ habet pater mea ſunt.* Quæ ſunt quæ habet pater? AEternitatem. Similiter & filius æternitatẽ habet, quia coæternus illi eſt. Oſtende mihi ignem ſine calore, ego oſtendam tibi patrem ſine filio. Pater nõ præceſsit filium tẽpore ſed origine. Eſt pater omnipotens, ſimiliter & filius omnipotens eſt, cũ ſpirituſancto. Pater creator totiꝰ mũdi eſt. Similiter & filius creator totius mũdi eſt. Per ipſum eñ creauit Deus pater omnia, & quæ in cœlis, Ioã. 17.

& quæ in terris cõtinentur. Iuxta quod idem Ioannes Euange. qui hoc Euãgeliũ ſcripſit, dixit in exordio libri ſui: Omnia per ipſum facta ſunt. Propterea dixit: *Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

Dominica quarta poſt oct. Paſchæ.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Ioannis. XIIII.

SI quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Amen Hebræus ſermo eſt. Nullus interpres, neq; græcus, neq; latinus, auſus eſt de hebręa lingua trãſferre in aliam linguã: ſed it à profertur in omnibus linguis, ſicut à Dño prolatus eſt. *Amen amẽ dico vobis*.i. verum verum dico vobis: *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hic oritur quęſtio quare Dñs dicit, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, cùm
2.Co.12 Paulus Apoſt. tãtæ ſanctitatis vir petierit, vt Deus omnipotens auferret ab eo diabolicam tentationẽ: & impetrare nõ meruit? Huic quęſtioni reſpõdendũ eſt, quod Paul. nõ petit in nomine filij Dei. Quod eſt nomẽ filij Dei? Ieſus hebraicè. Quod latinè dicitur ſalutaris ſiue ſaluator. Quia B Paulus nõ petijt ea quæ ad ſalutẽ animę pertinebãt, ideo nõ meruit exaudiri. Poterat in ſuperbiã erigi, quia præ cæteris Apoſtolis ſcientiam à Domino acceperat: & totius mundi prædica

cator effectus fuerat. Reliqui Apoſtoli
vnuſquiſque ſuam prouinciam accepit
cui prędicaret verbũ Dei. Matt. AEthio-
piam, Ioann. Aſiam, Andreas Achaiam,
Paulus autem totum mundum accepit
in prædicationem. Et ne offenderet crea
torem ſuum in ſuperbiam elatus, datus
eſt ei ſtimulus libidinis carnis, ſicut ipſe
dixit: Ne magnitudo reuelationũ extol-
lat me, datus eſt mihi ſtimulꝰ carnis meę
angelus Satanæ, qui me colaphizet: pro-
pter quod ter Dominum rogaui vt au-
ferretur à me, & dixit mihi: Sufficit ti-
bi gratia mea, nam virtus in infirmita-
te perficitur. Non permiſit eum Domi-
nus cadere. *Vſque modò non petiſtis quic-
quam in nomine meo.* i. ad comparationẽ
illius rei, quam petere debuiſtis. Pro ni- *Matth.*
hilo habendum eſt quod petiſtis Petijt 20.
Ioannes, qui ſcripſit Euangelium, petijt
Iacobus frater eius, vt vnus ſedeat ad
dexteram Domini regnãtis, & alter ad
ſiniſtram. Sed nihil fuit quod petierũt,
quia non cœleſtia ſed terrena petierunt.
Ideo ab ipſo Domino audierũt: Neſcitis
quid petatis. *Petite & accipietis* Quomo-
do debes petere? Bene optãdo, iuſtè viuẽ
do, bene orãdo, in bonis operibus perſe
uerãdo. Si ita petieris, vt præces tuæ cõ-
cordẽt bonis operibus, tunc impetrabis
quod petis. Petite & accipietis. Quare?
Vt gaudiũ veſtrũ plenum ſit. Non eſt plenũ
gau-

gaudium in præſenti ſeculo, quia ſæpe miſcetur mœrore. Gaudet homo in auro, in argento, in facultate terrenarum rerum, in pulchritudine vxorum: ſed iſtud gaudium non eſt perfectum, nõ ſtabile, ſed tranſitorium. Quia qui hodie delectatur in pulchritudine vxoris ſuæ, ſolet fieri vt cras ſequatur eam ad tumulum. Et qui hodie gaudet ſuper bono equo & bene currenti, cras ſolet triſtari de eius amiſsione, ſi ſublatus illi fuerit aut mortuus. Quid eſt ergò gaudiũ plenum? Salus animarum. Quid eſt ſalus animarum? Remiſsio peccatorum, & vita æterna. Si in pręſenti ſeculo per exercitia bonorum operum, cõſequutus fueris remiſsionem peccatorum, in futuro gaudium vitæ æternæ mereberis adipiſci. Quod gaudium nullo vnquã termino diſſoluetur, neque vllius mœrori copulabitur. *Hæc in prouerbijs locutus ſum vobis.* Prouerbia dicuntur eò quòd frequenter in ore loquentium verſentur. Sed hîc prouerbia, pro obſcuritate ſermonis poſita ſunt. Hæc in prouerbijs, hoc eſt in ænigmatibus ſenſus veſtri locutus ſum. Quia Apoſtoli nondum pleniter à ſpirituſancto illuminati, verba quæ à Domino dicebantur, adhuc intelligere non poterant: *Venit hora cùm iam non in prouerbijs loquar vobis: ſed palam de patre meo annunciabo vobis.* Hora hîc pro tem-

tempore poſuit. Venit hora, id eſt, tem-
pus reſurrectionis meæ, & aſcẽſionis ad
cœlos, quando daturus ſum vobis ſpiri
tumſanctum: cùm non in prouerbijs, id
eſt, non in obſcuritate ſermonis loquar
vobis, ſed palam, id eſt, manifeſtè de pa-
tre meo annunciabo vobis, hoc Domi-
nus per Spiritumſanctum aduenientem
in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos, quã *Act. 2.*
do ita illuminati ſunt corde, vt quicquid
de Deo patre omnipotente & filio & ſpi
rituſancto mortalibus erat neceſſariũ, to
tum intelligerent. Vel aliter, hanc ho-
ram poſſumus intelligere in futura vi-
ta, id eſt, in cœleſti beatitudine. Quotidie
moriuntur electi, & aſſumuntur ad pa-
triam cœleſtem, ſicut aſſumpti ſunt Apo
ſtoli & martyres: & crucifixi ſunt, vt Pe
trus, decollati vt Paulus, lapidati vt Ste
phanus, vſtulati vt Laurentius. Cũ ſan-
cti Dei per mortem corporis ab hac vi-
ta abſtracti, in ſocietatem angelorũ trã-
ſeunt, tunc non in occulto ſed manifeſtè
loquitur illis dominus de patre, quia ad
contemplationem ſuam, patris & filij &
ſpirituſſancti eos perducit, vbi perpetuò
gaudeant. *Illo die*, id eſt, tempore, quo da
turus ſum vobis ſpiritumſanctũ. *In no-
mine meo petetis*. i. illa ſolummodo petere
incipietis, quæ ad ſalutem animarum ve
ſtrarum pertinent. Non diuitias huius
ſeculi caducas, non honores fugitiuos,
non

nō gaudia terrena, ſed cœleſtia. Dicam⁹ & aliter. *Illo die*.i.in cœleſti beatitudine: *In nomine meo petetis*. Petunt modò electi pro ſe, vt veniat dies iudicij, & recipiāt corpora ſua incorruptibilia, & qui cū corpore & anima Deo ſeruierunt, in corpore & anima remunerētur.i.beatificētur. De hac petitione dicit Ioā.Euāg. in Apoca. Vidi ſub altari Dei animas interfectorum propter verbum Dei quod habebāt, & clara voce dicebant: *Vſque quo Domine verus & ſanctus non iudicas & vindicas ſanguinē noſtrū, qui effuſus eſt ſuper terram?* Et acceperunt diuinū reſpōſum. Suſtinete adhuc modicum tēpus, donec impleatur numerus fratrū veſtrorū, Et datę ſunt illis ſingulis ſtolę albæ.i.gloria ſempiterna in anima ſola. Cū autem receperint incorruptionē corporū, quod erit in die iudicij, & immutabilitatem animarum: tūc duplicia poſſidebunt.i.in anima & corpore beatitudinem ſine fine manſuram. Petunt pro nobis, vt ad illorum ſocietatem peruenire valeamus. Petunt etiam pro reprobis, vt corrigantur à nequitia ſua. Si autem noluerint corrigi, citò ſubtrahantur à præſenti vita, ne bonis noceant, & pœnas dānationis ſibi accumulent. *Et nō dico vobis quia ego rogabo patrē de vobis*. Rogo eſt verbum pręſentis tēporis, rogabo futuri. Nō dixit Dominus de præſenti

rogo, quia modò rogat pro nobis vſque in diem iudicis, ſicut ipſe dixit in paſsione Petro: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Sed de futuro poſuit rogabo, quia cũ ſancti Dei immortales fuerint corpore & immutabiles in anima, & ſimiles angelis effecti in cœlo: tũc iã nõ erit neceſſe vt Chriſtus roget pro eis, quia tantæ gloriæ Dei donandi ſunt, quæ maior eſſe nõ poſsit. Aliter: Et nõ dico, quia ego rogabo patrem de vobis. Dominus Ieſus Chriſtus Deus eſt & homo. Per hoc quòd homo eſt interpellat, p nobis apud patrẽ nõ voce, ſed miſeratione, iuxta quod Ioann. Euãg. dicit de eo. Aduocatũ habemus apud patrem Ieſum Chriſtum, & ipſe interpellat pro peccatis noſtris. Per hoc verò quòd Deus eſt, non rogat pro nobis patrem, ſed poſtulata à nobis ſimul cum patre concedit quia vnius ſubſtãtiæ eſt cum patre & Spirituſancto. *Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Hic non legemus in præſenti tempore amatis, ſicut quidam codices habent, ſed præterito amaſtis. Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis. Sed videntur hæc verba Domini ſonare, quaſi ipſi prius amarint Chriſtum, & poſtmodum ſint amati à patre, quaſi amor diſcipulorum præuenerit amorem Dei. Nullus poteſt diligere Deum, niſi gratia Dei

fue-

Pſal.18. fuerit prçuentus,iuxta quod Pſal.dicit: Miſericordia eius prçueniet me, & miſe
Rom.11 ricordia eius ſubſequetur me. Et Paulus Apoſtol. Quis prior dedit ei, & retribue tur ei? Sed hoc modò eſt intelligendum. Deus pater cũ filio & ſpirituſancto prç uenit Apoſtolos gratis. i. ſine merito illorum, & amando perduxit eos ad cre dulitatem, & ad amorem filij ſui. Illi autẽ illuminati corde, & cognoſcẽtes miſe ricordia Dei ſe eſſe præuentos, cœperũt arctiùs amare dominũ Ieſum Chriſtũ. Cũ cœpiſſent eum arctiùs amare & dili gere, digni effecti ſunt, vt reamarentur à patre, & qui amat filium, amat patrem cũ ſpirituſancto, & qui amatur à patre, à filio, & à ſpirituſancto amatur. Quia quorum vna eſt ſubſtantia, vna deitas, vna miſericordia, horum eſt inſeparabilis amor: *Et credidiſtis quia à Deo exiui.* i. à Deo patre genitus ſum. *Exiui à patre & veni in mundum.* Quare dixit exiui à pa tre cũ alibi dicat: Ego & pater vnum ſumus? Duobus modis intelligi poteſt. Exiui à patre. i. genitus ſum ante omnia ſe cula à patre. Sicut calor procedit à ſole coæternus illi: ſic filius proceſsit à pa tre coæternus illi, & conſubſtantialis. Et veni in mundum. i. videndum me præ bui amatoribus mundi, qui eram inuiſibilis apud patrem humanæ creaturç, factus ſum viſibilis natus ex Maria virgi ne,

ne. Vel aliter. *Exiui à patre & veni in mundum*.i.non mea forma qua æqualis ſum patri apparui mũdo, ſed in ea qua minor ſum patre.i.forma humanitatis. *Iterum relinquo mundum*.i.per abſentiam corporis. Corpus humanum quod de virgine ſumpſi, ſubtraho aſpectibus mundi. *Et vado ad patrem* per gloriam aſcenſionis. *Dixerunt ei diſcipuli: Ecce nunc palã loqueris, & nullum prouerbium dicis.* Prouerbia appellantur parabolæ, vt parabolæ Salomonis filij Dauid. Hæc verba loquutus eſt Dominus paululum ante paſsionem ſuam, illa nocte qua traditus eſt diſcipulo. Ecce nunc palam loqueris & prouerbium nullum dicis, id eſt, nullam obſcuritatem profers in verbis tuis. Sãcti Apoſtoli non intelligentes verba Domini, quia nondum habebant plenitudinem ſpiritusſancti, putabant ſe intelligere quæ ignorabant, ideo dixerunt. *Ecce nunc palam*, id eſt, manifeſtè, *loqueris & prouerbium nullum dicis*.i. nullam obſcuritatem verborum inſeris in cordibus noſtris. *Nunc ſcimus quia ſcis omnia & non opus eſt tibi; vt quis te interroget.* Quandocunque volebãt ſancti Apoſtoli vt Dominus loqueretur illis obſcuris verbis, loquebatur obſcurè, & quando manifeſtè, loquebatur illis manifeſtè, ſecundum qualitatem cordis illorũ. Ideo dixerunt: Nunc ſcimus quia ſcis omnia,

Id eſt, omnia ſecreta cordium noſtrorũ intueris. Indicium Deitatis eſt occulta hominum cognoſcere, ſicut Pſalmiſta dicit: Dominus ſcit cogitationes ho-
Pſa.93. minum. Et Salomon: Tu ſolus noſti cor-
3.Re.8. da filiorum hominum. Et non eſt opus tibi, vt quis te interroget: quia antèquã proferimus ore quod cogitamus corde, anteà tu loqueris ſecũdũ qđ cogitamus. *In hoc credimus, quia à Deo exiſti.* In hoc quòd ſecreta cordium noſtrorũ vides, & ſecundum deſideria cordis noſtri loqueris antèquàm interrogemus, ſcimus & credimus, quia à Deo exiſti, id eſt, à Deo patre es genitus verus Deus & verus Dei filius.

In die Rogationum.

Homilia ſuper eo verbo, Lucæ vndecimo.

Quis veſtrum habebit amicum & ibit ad illum media nocte, &c. Narrat ſuperiùs Euangeliſta, q erat Ieſus in quodã loco orans, & vt ceſſauit dixit vnus ex diſcipulis eius ad eum: Domine doce nos orare, ſicut Ioannes docuit diſcipulos ſuos. Et dixit eis: Cùm oratis dicite: Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Et paulò pòſt dixit hoc quod modò audiuimus. *Quis veſtrum habebit amicum, &c.* Rogatus enim à diſcipulis ſuis ſaluator noſter, & ver-

bum

bum orandi tradidit,& perſeuerantiam orandi per comparationem monſtrauit omnibus in ſe credentibus. Per amicum ad quem media nocte itur, ipſe Deus intelligitur, cuius amici efficimur, quando voluntate eius paremus, iuxta illud Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quę pręcipio vobis. Per mediam noctem, tribulatio vel ignorantia exprimitur. Per tres panes fides ſanctæ trinitatis deſignatur, per amicum verò qui ad nos venit de via, noſter anim⁹ intelligitur. Quotiens à nobis recedit, toties iſta terrena & caduca foris inquirit. Qui tunc ad nos reuertitur & de ſpirituali cibo ſatiari deſiderat: quãdo in ſe reuerſus ſolũmodo quę ſpiritualia& cœleſtia ſunt, deſiderat. Quãdo ergò amicus, id eſt, animus noſter ad nos de via, i. mundi actibus reuertitur, ſi nõ habemus quod ante illum ponamus i. pabulum ſpirituale, eamus ad alium amicum. i. ad Dominũ orando, & rogemus illum vt nobis tribuat tres panes. i. cogitationes ſanctę trinitatis, quia noſter amicus. i noſter animus ſatietur. Nihil enim animus à Deo compunctus, póſtquàm mũdi tenebras deſpicit, & tranſitoria contemnit, niſi quæ ad eum pertinent, cogitare deſiderat: ſolùm quod cognoſcere & credere cœpit contẽplari ſatagit i. ſanctę & indiuiduæ trinitatis gaudium. Si enim ſta- *Ioan.15*

tim

tim non accipimus quod petimus, non ideo ab oratione ceſſare debemus. Videamus quod ſequitur. *Et ille deinde reſpondens dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtiũ meũ clauſum eſt, & pueri mei mecũ ſunt in cubili: non poſſum ſurgere & dare tibi.* Per oſtium amici ſignatur intelligentia verbi Dei. Quod oſtium tunc clauſum eſt, quando prædicatio diuina ſubtrahitur. Et tunc eſt apertum quando cōceditur. Oſtium enim Paulus Apoſtolus apertũ ad loquendum Chriſti Euangelium inuenire cupiebat. Per pueros verò qui ſunt in cubili cũ Domino, deſignantur Apoſtoli & ſancti prædicatores. Iſti pueri ſunt in cubili. i. in cœlo. Non eſt modò præſens Petrus qui nos doceat, non Paulus, non Ioannes, nō Hieronymus, non Auguſtinus, nō Gregorius, quia iã in cubili omnes iſti pueri requieſcunt. Forſitan hoc quod nos quærimus, ipſi in ſuis libris ſcripſerũt: ſed clauſum eſt, non intelligimus ipſum quod ſcriptum eſt. Quid faciemus? Nunquid ſic remanebimus ſine intellectu, ſine pabulo verbi? Audiamus quid dicat in ſequentibus. *Et ille ſi perſeuerauerit pulſans, dico vobis: & ſi non dabit illi eò quòd amicus eius ſit, propter improbitatem eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios. Et ego vobis dico: Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis.* Comparatio eſt à mi-

à minimo venire ad maius. Si amicus homo ſurgit de lecto, & donat amico ſuo quod ille petit, non pro amicitia, ſed pro tædio, quantò magis Deus qui ſine tædio donat ſemper nobis quod petimus, dabit, ſi in noſtra petitione perſeuerantes fuerimus. Ne igitur amicus noſter fame intereat. i. animus noſter ne diu ieiunus remaneat, à Domino diuitias ſpirituales petamus. Quęramus, pulſemus, vt nobis detur intelligentia verbi Dei, de qua intelligentia animas noſtras paſci & nutrire poſsimus. *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* Secundum exẽplum huius parabolæ neceſſaria eſt valde perſeuerantia in oratione, vt accipiamus quod petimus, & inueniam⁹ quod quærimus, & quod pulſamus aperiatur. Nã ſi petenti datur, & quærens inuenit, & pulſanti aperitur: certũ eſt ꝙ ille qui nõ accipit, & qui non inuenit, & cui nõ aperitur, nõ bene petierit, quęſierit & pulſauerit. Verax nãꝙ eſt qui nos hortatur ad quęrendũ nõ nos amminonuiſſet Dñs petere, niſi ipſe dare voluiſſet. Erubeſcat noſtra pigritia, plus vult ille dare quã nos accipere, plus vult ille miſereri, quã nos à miſeria liberari. Certè ſi nos à miſeria non fuerimus liberati, miſeri remanebimus. *Quis autẽ ex vobis patrẽ petit panẽ, nũquid lapidẽ dabit illi?* Per panem intelligi-

R tur

tur charitas quia ſicut panis ſuper omnes diuitias, ſic charitas maior eſt cæteris virtutibus. Charitas enim fundamentum eſt omnium virtutum, & ſine illa virtus nulla vel operatio hominem poteſt ſaluare. Huic contraria eſt duritia cordis, quæ deſignatur per lapidē. Qui enim duritiam cordis habet, charitatem habere non poteſt. Nos verò ſi charitatem à Domino petierimus, nequaquam ipſe nobis duritiam cordis dabit. *Aut piſcem, nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi?* Per piſcem intelligitur fides, ſiue propter aquam baptiſmi, ſiue quia ſicut piſcis in vndis, ſic fides in perfectionibus creſcit. Huic contrarius eſt ſerpens, per quem primus homo fuit deceptus. *Aut ſi petierit ouum, nunquid porriget illi ſcorpionem?* Per ouum intelligitur ſpes. Tenet homo ouum in manu, & ſperat ex illo pullum quem adhuc non videt. quapropter p ouū pulchrè ſpes intelligitur, quia ſicut ex ouo pullus qui adhuc non eſt, ſed fouendo ſperat, ſic à fidelibus vita beata ſperatur poſt mortem. Huic cōtrarius eſt ſcorpio, cuius aculeus retrò timendus eſt. Cōtrarium verò eſt ſpei retroſpicere, quia in illis rebus quæ ante ſunt, eſt ſpes dicenda. Quærentibus igitur nobis panem, non dat nobis pater lapidem, neque quærentibus ouum dat ſcorpionem, neque piſcem deſiderantibus

bus dat ſerpentem. Piſcẽ nobis donat, cùm fidem ab illo accipimus. Ouum nobis donat, quando nobis ſpem concedit habere. Panem nobis donat, quãdo nos charitate confirmat. *Si ergo vos quum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quantò magis pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Quærẽdum eſt quomodo mali donent bona? Malos in hoc loco homines peccatores & mundi amatores appellat: bona verò quę donauit ſecundum eorum ſenſum bona ſunt dicenda, quia hæc neceſſaria nobis ſunt. Bona nanque ideo dicuntur, quia per iſpſa bona hæc vita conſtat tranſitoria & infirma. Et quando mali iſta bona dant (quia Domini eſt terra & plenitudo eius, ipſe enim fecit cœlum & terrã, mare & omnia quæ in eis ſunt) ergò mali homines, quando bona filijs ſuis donãt, id eſt, panem, ouum, piſcem, carnem, vinum, lac, & cætera talia: non de ſuo illa donant, quia hæc omnia bona mortalibus à Deo donata ſunt. Et ſi mali homines ſciunt bona data dare filijs ſuis, cùm ipſi ſint mali, quantò magis debemus credere & firmiter tenere quod Deus qui ſolus eſt bonus, ſolus eſt verax: nobis ad ſe clamantibus daturus ſit bona. Poteſt hoc etiã quod dixit, quãtò magis vos cùm ſitis mali. Et ad Apoſtolos referri: qui cæteris hominibus cõparati

boni erãt, Deo verò cõparati mali erãt. Nihil enim eſt per ſe ſtabile, nihil bonũ, nihil immutabile, niſi ſola deitas. Solus Deus bonus eſt, & verax dicitur. Nã omnis homo mendax dicitur. Omnis verò caro & creatura vt ſtabilis & beata ſit, non hoc à ſe, ſed à Deo habet.

In die Aſcenſionis Domini.

Homilia ſuper eo verbo, Marci. XVI.

RECũbentibus vndecim diſcipulis, apparuit illis Ieſus. In textu Euangelij habetur: Nouiſsimè recumbentibus. Quare dixit nouiſsimè, quaſi vltra non eſſent eum viſuri? Nouiſsimum tempus fuit, quo Dominum Apoſtoli in terra viderunt, qui à quadrageſimo die reſurrectionis illius qua aſcendit in cœlum, nõ viderunt eum corporaliter ſecũ conuerſantem in terra. Recumbere, eſt iacendo comedere. Bene vndecim diſcipuli, quia iam Iudas perierat, & Matthias necdũ
Gen. 18 in locum eius fuerat ſubrogatus. *Apparuit illis Ieſus*, id eſt, ſubito viſus eſt ab
Lucæ. 1 eis. Vbicunque legimus in ſacra ſcriptura apparuit, ſubitò eueuiſſe neceſſe eſt vt intelligas. Legimus in Geneſi apparuiſſe Abrahæ tres pueros, id eſt, ſubitò viſos ab eo. Apparuit Zachariæ angelus, id eſt, ſubitò viſus eſt ab eo. *Et exprobrauit*, i. increpauit, redarguit, *incredulitatem illo-*

illorum, & duritiam cordis. Quæ fuit duritia cordis illorum, manifeſtat Euangeliſta, cùm ſubiungit, *quia his.*i. mulieribus & viris. *Qui viderãt eum reſurrexiſſe* à mortuis, *non crediderunt*, ſicut cæteri. Venit Maria Magdalena nuncians ſibi Dominum apparuiſſe, non crediderunt ei. Venit eadem Maria, & altera eiuſdem nominis mulier, non crediderunt eis. Venit Petrus dicens ſibi Dominum apparuiſſe, nõ crediderunt ei. Venerunt duo diſcipuli de caſtello nomine Emaus, nõ crediderunt eis, donec & ipſi viderent: propter hoc increpauit eos. Et quare voluit eos increpare die quo aſcendit in cœlum, de incredulitate reſurrectionis ſuæ? Vt omni tempore quoad viuerent, dolerent & triſtarentur, & pœnitẽtiam agerent, quòd increduli fuerunt ex reſurrectione Domini. More boni patris egit Dominus, qui appropinquans morti, conuocat filios ſuos, & dat eis præcepta quę omni tempore vitę ſuę retineât, & opere cuſtodiant. Quod diſcipuli tardè crediderũt reſurrectionem Domini, non tam illorum infirmitas fuit, quàm noſtrę, vt ita dicã, fidei firmitas extitit. Plus enim profuit nobis dubitatio Thomæ ad fidem noſtram corroborandam, quàm fides beatę Marię Magdalenę, quę citò credidit. Quia dum Thomas vidit, tetigit cicatrices corporis Domini, om-

nem infidelitatem ac dubietatem à cordibus noſtris repulit. *Et dixit eis: Euntes in vniuerſum mundum*, i. ab Oriente in Occidentem, ab aquilone in meridiem, *prædicate Euangelium*. Euangelion græcè, la-
Mat. 4 tinè dicitur bona annunciatio. Quæ eſt bona annũciatio? Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnum cœlorum, *omni creaturæ*. Quare dixit omni creaturæ? Nunquid ſanctum Euangelium brutis animantibus, & inſenſatis rebus prædicandum erat? Non. Sed omnis creaturæ nomine omnem hominem vult intelligi. Sunt lapides tantummodò, ſed nec viuunt, nec ſentiunt, nec diſcernũt. Sunt arbuſta & herbæ, viuunt per viriditatem, ſed non ſentiunt, neque diſcernunt. Sũt animalia, boues, equi, ſentiũt, viuunt, ſed non diſcernunt. Sunt angeli, viuũt, ſentiũt, & diſcernunt. Habet nãq; homo cõmune eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, diſcernere cum angelis. Omni creaturæ prædicatur Euangelium, quum ſoli homini prædicatur: quia ille docetur, propter quem omnis creatura
Mat. 10 viſibilis facta eſt. Vel aliter. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, id eſt, omni nationi. Ante paſsionem dixerat Dominus diſcipulis ſuis: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum, ne intraueritis. Poſt reſurrectionẽ
dixit

dixit illis: Euntes in mundum. Ac ſi dicē ret: Quia Iudæi veſtram prędicationem non ſunt ſuſcepturi, ſicut nec meam ſuſceperunt, ſed potiùs perſequuturi vos, & interfecturi ſicut me: tranſite ad gentes & prædicate illis, vt gratiam meam quam Iudæi perdunt propter infidelitatem, gentiles percipiant per fidem. *Qui crediderit & baptizatus fuerit.* Primò poſuit qui crediderit, deinde qui baptizatus fuerit, quia ille qui baptizatus fuerit, ſi maioris ætatis eſt, antè debet à ſacerdote inſtrui, qualiter credere debeat in ſanctam trinitatem, ſcilicet patrē ingenitum, filium genitum à patre, & ſpiritumſanctum ab vtroque procedentem: & in his tribus vnam ſubſtantiam quòd filius qui ante omnia ſecula genitus eſt à patre, & in fine temporum natus ex matre, quòd paſſus eſt, quòd reſurrexit a mortuis, quòd aſcēdit ad cœlos, & quòd venturus eſt ad iudicium. Quum in his omnibus fuerit imbutus, tunc baptizetur in nomine ſanctæ trinitatis Apoſto. nullū, antèquā taliter fuiſſet inſtructus, baptizabāt. Qui ergò crediderit & credulitatem ſuam bonis operibus adornauerit, vt hoc quòd ſe promiſit in baptiſmate abrenūciaturū iterū non repetat ſaluus erit. Quid promiſimus in baptiſmo? Promiſimus nos abrenunciaturos diabolo. Abrenunciare,

eſt deſpicere, reſpuere & omnibus operibus eius. Quæ ſunt opera diaboli? Homicidium, adulterium, furtum, & cę. his ſimilia. Si hoc poſt baptiſmi gratiam repetierimus, ſalui eſſe non poſſumus, niſi per pœnitentiæ lamentum. *Qui verò non crediderit, condemnabitur* i. peribit. Quid dicendum eſt de paruulis, qui quando baptizantur non habent intellectũ credendi, neque ſenſum reſpondendi? De maioribus nulla quæſtio, quia ipſi pro ſe reſpondere ſciunt. Facilis ſolutio eſt. Paruuli qui necdum ſciunt loqui, fide illorum qui eos ſuſcipiũt de ſacro fonte, merētur remiſsionem peccatorum accipere. Et certè dignum eſt, vt qui peccato carnalium parentum polluuntur, fide ſpiritualium parentum ſaluentur. *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequētur.* Hęc ſigna. i. miracula ſequentur. i. comitabūtur eos qui in me crediderint. *In nomine meo dæmonia eijcient.* Hoc faciebant ſancti Apoſtoli, & cæteri qui per prædicationem Apoſtolorum credebant. Vbicũque videbant hominem arreptum à dęmonio, dicebant. In nomine Ieſu exi ab homine: & ſtatim exibat. *Linguis loquentur nouis.* Hoc fecerunt ſancti Apoſtoli in die Pentecoſtes, quando venit ſuper eos ſpiritusſanctus in linguis igneis: & poſtmodum non ſolum ipſi, verùmetiã & qui per eos credebant. *Serpentes tollēt.*

Sic

Sic legimus in Actibus Apoſtolorum de beato Paulo, qui veniens in Mitilenam inſulam, cùm congregaſſet multitudinem ſarmentorum ſuppoſuit igni, quia frigus erat: ſtatim vipera à calore ignis coacta exiuit, & inuaſit manum eius: ille excutiens manum, proiecit in ignem & occidit eam. *Et ſi mortiferū quid biberint, non eis nocebit.* Mortiferum verò venenum dicitur, quod infert mortem. Legimus beatum Ioannem venenū bibiſſe in nomine Domini, & nihil ei nocuiſſe. Et in libro Dialogorum de quodam Epiſcopo, qui erat cæcus: cui cùm Archidiaconus ſuus tranſmiſiſſet venenum per puerum ſuum, volens illum occidere, & loco eius in Epiſcopatum ſuccedere: adueniens puer, propinauit Epiſcopo venenum. Dixit illi Epiſcopus: Bibe tu. Cùm ille non audens manifeſtare quid eſſet, deferret ad os vt biberet, dixit illi Epiſcopus: Noli bibere, vade & dic Archidiacono illi. Ego quidem venenum bibam in nomine Domini, ſed ille non erit Epiſcopus poſt me. Et vbi Epiſcopus in nomine Domini bibit venenum, ſtatim Archidiaconus in loco vbi erat mortuus eſt. Et de B. Benedicto legimus, ꝙ cùm eſſet abbas in quodā monaſterio, tranſmiſerunt illi venenum monachi ſui. Illo faciēte ſignum crucis ſuper vas, ſtatim fractum eſt totum: &

confeſtim receſsit ab eis B. Benedictus. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Diſtantia eſt inter ægrum & ęgrotum. Aeger dicitur infirmus & anima & corpore, qui lãguet. Aegrotus infirmus tantũ corpore. Super ægros manus imponent, & bene habebũt. Nõ ſolũ Apoſtoli hoc faciebant, verũetiã martyres, cõfeſſores & virgines ſuper infirmos ponebãt manus, & ſanabãtur ab omni infirmitate. Forſitan dicit modò aliquis: Ego iã credidi, Chriſtianus ſum: quare non facio eadem miracula quæ ſancti Apoſtoli faciebãt, & cęteri credẽtes videlicet vt dæmonia eijciã, linguis loquar nouis, ſerpentes tollam: Cui reſpondendum eſt, quòd hæc miracula in exordio fidei ſanctæ Eccleſiæ fuerunt neceſſaria. Videbant enim homines increduli multa miracula ſanctos Apoſtolos facientes, & credebant in dominum Ieſum Chriſtum. Pòſtquàm verò fides Eccleſię creuit in toto mundo, miracula ceſſauerũt, ſicut verbi gratia. Quando plantamus arbuſta in nemoribus noſtris, tandiu eis aquam infundimus, donec radix eorũ in terra conualuiſſe perſpeximus, ab irrigatione ceſſamus: Sed quod tunc fecerunt Apoſtoli carnaliter, modò agit ſancta Eccleſia ſpiritualiter. Dæmonia eijcit, quando baptizat credentes in nomine ſanctæ trinitatis. Homo ab exordio

natis

natiuitatis ſuę vſq; quo baptizetur propter originale peccatum à diabolo poſſidetur. Cùm autem à Sacerdote, aut etiam à Diacono intingitur aquis baptiſmatis, continuò recedit diabolus. Et ſecundum literam, ſancta Eccleſia eijcit dæmones à corporibus hominum, quãdo dicit exorciſmos ſuper inergumi nos. Linguis loquentur nouis. Quandiu homo turpibus & vanis ſermonibus inſeruit, vetera verba loquitur. cùm autẽ ad laudes Dei cõuertitur aut ad miſſarum ſolennia, aut ad Pſalmos canendos dicens cum Pſamiſt. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo, quaſi linguis nouis loquitur. Serpentes tollent. Per ſerpentem deſignatur hic malitia vel odium. Quiſquis malitiam vel de corde, aut de cordibus aliorum doctrina vel exemplo aufert, quaſi ſerpentes tollit. Etſi mortiferum quid biberint, nõ eis nocebit. Per mortiferum deſignatur mala ſuaſio. Si autem diabolus aut alius malus homo ſuaſerit tibi, vt alterius vxorẽ polluas, alterius equum auferas, alterius ſubſtãtiam diripias, aut aliud tale facias: & tu nõ cõſenſeris illi opera implẽdo quę ſuggerit, mortiferum quidem eſt quod bibis audiendo, ſed nõ tibi nocet, quia malam ſuaſionẽ ad effectũ operationis non perducis. Super ægros manus imponẽt,

& bene habebunt. Eſt modo aliquis titubãs in bono opere, nõ venit ad nocturnale officium, piger eſt in Dei ſeruitio: ſi quis talẽ flagellãdo, aut excommunicãdo, aut etiam verbo vel exẽplo in Dei ſeruitio, deuotum fecerit, ſuper ęgrũ manus imponit. *Et Dominus quidẽ Ieſus poſtquàm loquutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlũ, & ſedet à dextris Dei.* Et iſta quæ modò lecta ſunt, & alia quę in Euãgelio continẽtur: aſſumptus eſt in cœlum, venit nubes & aſſumpſit eum. Et ſedet à dextris Dei, nõ debemus ita intelligere, vt ſic ſedeat filius ad dexteram Dei patris, ſicut iſte ſedet iuxta me, ſed ſedet poſuit ꝓ habitat. Sedet à dextris Dei. i. habitat in magnitudine honoris & paternæ gloriæ. Hic oritur quęſtio, quare dicit Marcus, Dñm poſt aſcenſionem ad cœlũ ad dexteram Dei ſedere, & beatum Stephanum ſtare, ſicut legimus in Actibus Apoſtol. Video cœlos apertos & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Sciendum eſt, quòd ſedere iudicantis eſt, ſtare verò pugnantis vel adiuuantis eſt. Vt beatus Marcus oſtẽderet, quia dominus Ieſus Chriſtus quadrageſima die reſurrectionis ſuę cœlos penetrans, modò omnia iudicat, & in die iudicij iudex omniũ futurus eſt, ideo introduxit eum ſedere. Vt autẽ B. Stephanus demõſtraret, quia vt ille vinceret hoſtes ſuos in terra, pſeuerãdo in fide,

fide, domini gratia pugnabat, & iuua-
bat eum in cœlo, ideo retulit eum ſtare.
Illi autem profecti ab illo verbo quod eſt
proficiſcor proficiſceris, venit profe-
ctus: profecti participium eſt. Illi autem
profecti, id eſt, ambulantes *prædicaue-rũt*
vbique. Præceptum domini obedientia
diſcipulorum ſecuta eſt. Dominus præ- *Pſal.* 18
ceperat, euntes in mundum vniuerſum,
illi iuſſa eius complentes, profecti præ-
dicauerunt vbique, id eſt, in omnibus lo
cis ab Hieruſalem vſque in Indiam vbi
ſol oritur, & vſque in Britanniam vbi
ſol occidit. Anteà defecit eis terra, quã
impletum eſt illis. In omnem terram ex-
iuit ſonus eorum. *Domino cooperante.*
Dominus loquebatur per ora illorum.
Ipſe erat cooperator, quia quicquid illi
operabantur, dominus operabatur per
illos: *& ſermonem confirmante.* Quicquid
illi dicebant verbis, dominus confirma
bat miraculis. Petrus dicebat: In nomi-
ne Ieſu ſurge à mortuis: dominus facie- *Acto.* 3
bat ſurgere. *Sequentibus ſignis*, id eſt, mi-
raculis.

Dominica infra oct. aſcen. dom.
Homilia ſuper eo verbo,
Ioan. 15.

C*Vm venerit paracletus, quem ego mit-*
tam, &c. In multis lectionibus ſan- *Acto.* 2
cti euangelij reperimus, quòd ſan-

ɛti Apoſtoli ante aduentum ſpiritus ſan
cti, minus fuerunt capaces ad intelligen
da ſacramenta ſanctæ trinitatis, & mi-
nus fortes ad toleranda aduerſa huius
ſeculi. Sed in eis adueniente ſpiritu ſan-
cto die Pentecoſtes, cum plenitudine ſci
entiæ data eſt etiam fortitudo animi.
Eſai.11. Vndè bene ſpiritus ſanctus ſpiritus for-
titudinis & ſapientiæ nuncupatur: quia
quicquid boni intelligimus, per illius
gratiam capimus, & ex hoc ſpiritus ſa-
pientiæ appellatur. Etiã ſpiritus fortitu
dinis appellatur, quia omnẽ fortitudinẽ
quam habuerunt ſancti Apoſtoli, & ſan
cti Dei, & modò habent ab ipſo accepe-
rũt: qui eſt fons ſapiẽtiæ & fortitudinis
& autor omniũ bonorũ. Quod ſancti a-
poſtoli poſtq̃ acceperunt ſpiritũ ſanctũ
in linguis igneis, fortiores fuerũt ad ſuf
ferẽdas paſsiones iſtius ſeculi pro Chri
ſti nomine, probari poteſt in Petro A-
poſtolorũ principe, qui ante aduentum
ſpiritus ſancti tempore paſsionis domi-
ni imminente, ad vnius vocẽ ancillæ ne
gauit dominum. Poſtquã verò die Pen
tecoſtes ſpiritu ſancto eſt confortatus,
conſtanter, i. perſeueranter atque fidu-
cialiter coram principibus Iudæorum,
& coram imperatore totius mundi Ne-
rone, coram conſulibus & regibus gen-
tium, non timuit confiteri & prædicare
Chriſtum. Quod de Petro dicimus, hoc
de

de cæteris Apoſtolis eſt intelligendum, de quibus dicit Lucas in Actib. Apoſtolorũ, quia repleti ſpiritu ſancto, loquebantur verbum Dei cum fiducia. i. ſine timore. *Cùm venerit paracletus*: paracletus debemus legere, quia Græcus ſermo eſt. Paracletus Græce, Latine dicitur cõſolator vel aduocatus. Quare conſolator? Quia corda Apoſtolorum quæ receſſus domini ex parte mœſtificauerat, ipſo aduenìente lætificari meruerunt. Aduocatus verò dicitur .i. poſtulator, quia eos quos repleuerit poſtulantes facit. Vndè ſcriptum eſt. Ipſe ſpiritus ſanctus poſtulat pro nobis .i. poſtulare facit, gemitibus inenarrabilibus. *Quem* ſpiritum ſcilicet ſanctum. *Ego mittam vobis à patre*, procedentem *ſpiritum veritatis*, quaſi diceret, ſpiritum meum, quia Chriſtus eſt veritas, iuxta quod ipſe dicit: Ego ſum via, veritas & vita. *Qui à patre procedit* Deus pater à nullo eſt, filius à ſolo patre eſt genitus, ſpiritus ſanctus ab vtroque procedit, id eſt, à patre & à filio. Idẽ ſpiritus ſanct⁹ qui tertia perſona eſt in ſancta trinitate, ideo dicitur à patre procedere, & à filio mitti, vt intelligamus, quia ſicut patris & filij vna eſt natura, vna omnipotentia, vna ſubſtantia, vna deitas ita vna volũtas, & vna operatio. Cùm enim datur à patre ſp̃us ſanctus, datur & à filio, & cui datur à filio, da- Ioã. 14.

tur

tur & à patre. Venit etiam ipſe ſpiritus ſua ſponte, id eſt, propria voluntate, iuxta quod de eo dicit dominus alibi: Spiritus vbi vult ſpirat, id eſt, cuiuſcunque hominis cor illuminare vult illuſtrat. Et Paulus enumeratis donis eiuſdē ſpiritus ſancti, ad extremum intulit. Hæc omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult, quia vnius ſubſtantiæ eſt cum patre & filio.
1.Co.12 *Ille teſtimonium perhibebit de me.* Quale teſtimonium perhibuit ſpiritus ſanctus Chriſto, replens corda Apoſtolorum? Tale teſtimoniū perhibuit illi, quia docuit Apoſtolos, vt filium Dei qui ante omnia ſecula genitus eſt à patre coæternus illi, & nulla diſtantia temporis ab eo diſtans, crederent temporaliter natum ex Maria virgine ſalua eius virginitate, quod veraciter paſſus eſt ſecundum humanitatem deitate impaſsibilis manens, quòd paſsio eius redēptio fuit generis humani, quod deſcenſio eius in infernum in anima liberatio fuit electorū, quod veraciter reſurrexit à mortuis, quòd cœlorum altitudinem penetrauit, quòd vēturus eſt ad iudicium, vt reddat vnicuique iuxta opera ſua, iuſtis præmium, reprobis ſupplicium. Perhibuit etiam ſpiritus ſanctus Chriſto teſtimonium illuminando corda noſtra. *Et vos teſtimonium perhibebitis* prędicando

do euangelium per totum orbem: *quia ab initio mecum eſtis* non ab initio mun=di, ſed ab initio prædicationis meæ. Tri=ceſimo anno natiuitatis ſuæ baptizatus eſt dominus à Ioãne in Iordane, & poſt baptiſmum cœpit prædicare, & baptiza=re & eligere Apoſtolos. Multum profuit Apoſtolis, quod cum domino fuerunt, quia videntes eius miracula, & audien=tes eius doctrinam, liberè potuerũt poſ=ſtmodum prædicare, quæ viderunt ab illo fieri & audierunt, dicentes cum Pe=tro Apoſt. Nos qui mãducauimus & bi=bimus cum illo poſtquàm reſurrexit à mortuis, non poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui. Vndè & idem Pe=trus Apoſt. volens conſtituere in locum Iudæ alium, quia duodecimus in nume=ro Apoſtolorũ perierat, non elegit Neo=phytum, id eſt, nouiter venientem ad fi=dem Chriſti, ſed eum qui aliquãto tem=pore fuerat cum domino conuerſatus, & miracula eius viderat, & doctrinam audierat, id eſt, Mathiam vnum de ſep=tuaginta, dicens: Viri fratres oportet er=gò ex his viris, qui nobiſcum congrega=ti ſunt in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos dominus Ieſus Chri=ſtus, incipiens à baptiſmate Ioannis vſ=que in diem qua præcipiens nobis aſ=ſumptus eſt, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Et ſtatue=

Mat. 16 *Luc. 2* *Act. 10* *Act. 1*

runt

ſunt duos, Ioſeph qui vocatur Barſabas, qui cognominatus eſt iuſtus, & Mathiam, & orantes dixerunt: Tu domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum accipere locum miniſterij huius & apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum, & dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum duodecim Apoſtolis. *Hæc locutus ſum vobis vt non ſcandalizemini*, ſcãdalum Grecè, Latinè dicitur ruina, offenſio, vel impactio pedis. *hæc locutus ſum vobis* i. prædixi vobis perſecutiones quas paſſuri eſtis à Iudæis: vt cùm venerit *non ſcandalizemini*, id eſt, nõ recedatis à fide mea, *abſque ſynagogis facient vos*, id eſt, eijcient vos de ſynagogis ſuis veluti immundos. Sicut modò in ſancta eccleſia qui faciunt adulterium, homicidium, ſacrilegium, per iudicium ſacerdotum eijciuntur ab eccleſia, donec per pœnitentiæ lamentum purgẽtur: ſic tunc Iudæi ſanctos Apoſtolos eijciebãt de ſynagogis ſuis veluti peccatores. Synagoga Græcè, Latinè dicitur cõgregatio. Hoc diſtat inter ſynagogam & eccleſiam: quia antiquus ille populus, id eſt, Iudaicus ſynagoga ſimul & eccleſia dicebatur. Sic habemus in lib. Reg. Et conuertit rex Salomon faciem ſuam, & benedixit omni eccleſiæ Iſraël. Sed plaçuit

cuit Apoſtolis & Apoſtolicis viris, & po ſtmodum cæteris doctoribus ſanctis, vt illi qui in Chriſti eccleſia baptiſmi gra tia renaſcuntur, nõ ſynagoga.i. congregatio: ſed eccleſia.i. conuocatio fidelium appellentur: quia poſſunt congregari lapides in vnum, & ligna, & muta animalia: conuocari vero non poſſunt, niſi homines qui vocem emittunt, & voces aliorum audiunt. *Abſque ſynagogis faciẽt vos*. Abſque templo & ſynagogis faciebant eſſe Apoſtolos Iudæi, quando flagellabant eos, ſicut legimus in Act. Apo ſtol. quando ibant gaudentes à cõſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Nudos eos cedebant ſicut latrones, quando interficiebant eos, ſicut interfecerunt B. Iacobum fratrem Ioannis gladio, quando priuabant eos, ſicut B. Stephanum lapidauerunt: & quando priuabant eos à proprijs facultatibus, ſicut expoliauerunt Nicodemũ. Et hæc omnia ob nullam aliam cauſam fecerunt, niſi quia filium Dei credebant. Quibus congruit illud quod alibi dicitur. Beati qui perſecutionem patiũtur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorũ. *Venit hora, vt omnis qui interficit vos arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*. Hora poſuit hic pro tẽpore. Venit hora.i. veniet tẽpus: vt omnis Iudæus qui interfecerit Act. 5

vos,

vos, pro eo quod eſt interficiet de futuro: arbitretur, id eſt, iudicet, exiſtimet ſe *obſequium*, id eſt, miniſterium obedientiæ præſtare Deo. Obſequium aliquando ſignat cultum Dei vt eſt illud Apoſtoli. Rationabile obſequium veſtrum: obſequium poſuit pro cultu Dei. Obſequium ponitur pro miniſterio & obedientia vt hic *Venit hora*.i.tempus, *vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*.i. obedientiam exhibere Deo. Hoc faciebant Iudæi, perſequebantur ſanctos Apoſt. flagellabant & occidebant, & putabant hoc placere Deo: ſicut Paulus putabat ſe obedientiam domino exhibere, quando B. Stephanum lapidabat. Ipſe enim lapidauit eum, quia omnium lapidantium veſtimenta cuſtodiuit. Sed quid poſtmodum dicit Iudæis? Zelum legis habetis, ſed non ſecun-
Ro. 10. dum ſcientiam. Fruſtra enim legem defendit quæ per Moſen ſeruum ſuum data eſt, qui gratiam ſancti euangelii quæ per filium data eſt, reſpuit: *Et hæc facient vobis*, id eſt, perſequentur, affligendo, odio habebunt, *quia non nouerunt patrem neque me*, id eſt, non cognouerunt per fidem. Vel non nouerunt, id eſt, non dilexerunt patrem neque me: quia pater eſt in filio, & filius in patre: iuxta quod ipſe dixit: Ego & pater vnum ſumus. Ideo qui nouit patrem per fidem, nouit & filium:

lium: & qui non diligit filium, non diligit patrem. Quicunque enim fidem filij Dei obſtinata mente à ſe repellit, procul dubio & patrem à ſe repellit. *Hæc loquutus ſum vobis, vt cum venerit hora eorum*, tempus perſecutionis illorum *reminiſcamini*. id eſt, recordemini, *quia ego dixi vobis*. Ego qui pro vobis paſſurus ſum & proprio ſanguine vos redẽpturus: prædixi vobis perſequutiones & mala quæ inferentur vobis à Iudæis: & ego qui prędico, ero in his perſequutionibus veſter adiutor, & poſt finitos huius vitæ labores: ero veſtræ patientiæ fideliſsimus remunerator.

In die Pentecoſtes.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Ioannis decimoquarto.

SI quis diligit me ſermonem meum ſeruabit. De dilectione Dei omnipotentis requirenda eſt mens, lingua & opus. *Si quis diligit me*, id eſt, ſi quis amat me *ſermonem meum ſeruabit*. Sermonem filij Dei debemus hic intelligere textũ euãgelij, quia ipſe loquutus eſt ea quæ in euangelio continentur. Poſſumus & intelligere eius ſermonẽ, epiſtolas Petri, Pauli & cæterorum Apoſtolorum, dicta legis & prophetarum. Quia ipſe qui loquutus eſt euangelio, ipſe loquutus eſt per prophetas, & per Apoſtolos. Vndè

Pau-

Paulus dicit: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Et propheta: Hæc dicit dominus. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*, id eſt, præcepta noui & veteris teſtamenti cuſtodiet. Probatio dilectionis eſt exhibitio operis. Tunc enim verè Deum diligimus: ſi præcepta eius fide, ore & opere cuſtodimus. *Et pater meus diliget eum.* Nunquid pater diligit aliquem ſine filio & ſpiritu ſancto? Non. Quia quorum eſt vna ſubſtantia & vna natura, horum eſt & inſeparabilis dilectio. Quemcunque enim diligit pater, hunc & filius diligit cum ſpiritu ſancto. Et pater meus diligit in præſenti vt cuſtodiat, diliget in futuro vt remuneret. *Et ad eum.* Qui præcepta mea cuſtodit. *veniemus*, ego & pater cum ſpiritu ſancto, *& manſionem apud eum faciemus.* In hoc loco dat B. Gregorius comparationem. Si aliquis hominum deberet potentem aut diuitem recipere in domum ſuam, tota feſtinatione ipſa domus mundaretur: ne aliquid ibi poſſet inueniri, quod oculos amici intrantis offenderet. Si homo homini ita præparat domum ſuam mundam, quantò magis Deo omnipotenti præparandum eſt hoſpitium cordis, vt Deus omnipotens dignetur in eo habitare? Certè multò magis. Sunt tales in ſancta eccleſia, qui quando audiunt verbum

bum Dei, reminiſcuntur peccatorũ ſuorum præteritorum, & cõpunguntur vſque ad lachrymas: ſed cùm tempus tentationis aduenit, continuo redeunt ad priſtinas iniquitates: In talium corda venit dominus per inſpirationẽ cõpunctionis, ſed non facit ibi manſionẽ propter prauitatem operis, quã repetũt poſt cõpũctionem cordis. Ecõtra ſunt boni, ad quorũ corda dominus venit & manſionem facit quia & præcepta corde diligunt, & ore cõfitẽtur & opere implẽt, *Qui non diligit me, ſermones meos nõ ſeruat.* Diligo dicitur de omnibus eligo, *qui nõ diligit me*, i. non amat me, ſermones meos non ſeruat, id eſt, non cuſtodit. Qui ſunt qui non diligunt Deum? Pagani, Iudæi, hæretici, & falſi Chriſtiani. Hi tales videbunt dominum venientem ad iudicium non ad ſuam remunerationẽ, ſed potiùs ad ſuam damnationem. Videbunt eum venientem in forma humanitatis quia iudicatus eſt iniuſtè, vt iudicet iuſtè, nõ in forma deitatis qua æqualis eſt patri, quia ſcriptũ eſt, Tollatur impius, ne videat gloriã Dei. *Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me patris.* Superiùs vbi dicit Qui non diligit me, ſermones meos nõ ſeruat, ſermones meos intelligit doctrinã euãgelicã. Hic autem vbi dicit, & ſermo que audiſtis nõ eſt meus, ſed eius qui miſit me

pa-

patris, ſeipſum vult intelligi: qui nō eſt ſermo ſuus, neq; verbum ſuum, ſed verbum patris eſt. Iuxta quod Ioan. 1. de eo dicit iſtius lib. 1. compoſitor: In principio erat verbum. *Et ſermonem quem audiſtis.* Ac ſi diceret. Me quem loquentem audiſtis, non ſum meus ſermo nec meus filius, ſed filius patris. nō ſum à meipſo, ſed à patre ſum genitus. Omnem gloriam ſuam & poſſe ſuum, totum ad laudē Dei patris referebat, dans nobis exemplum, vt quicquid boni agimus, quicquid ſcimus, quicquid poſſumus non ad noſtram, ſed ad gloriam & honorem Dei omnipotētis referamus, iuxta quod
Mat. 5. alibi dicit: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, & cæ. *Hæc loquutus ſum vobis apud vos manens.* Superiùs vbi dixit: & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus, de ſpirituali māſione dixit, qua ſemper manet cum electis. Hic autem cùm dixit: Hæc locutus ſum vobis apud vos manens, de præſentia corporali dixit, qua erat ab eis receſſurus. Quando enim hæc loquebatur, pridie videlicet quàm pateretur, cum illis manebat corporaliter. Quando non maneret cum eis, qui aſcenſurus in cœlum promiſit eis: Ecce ego vobiſcū ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi? Sed verbum Dei incarnatū, & manet, & recedit. Manet deitate, qua æquas

æqualis eſt Deo patri: recedit humanita-
te, qua minor eſt patre naſcendo de vir-
gine Maria. Diuinitas verbi omnia im-
plet, & cœlum, & terram, & omnia quæ
in eis ſunt. Per hanc plenitudinem dei-
tatis, nunquam receſsit ab Apoſtolis. *Pa-
racletus autem, quē mittet pater in nomine
meo.* Paracletus Græcè, Latinè dicitur
conſolator. Quare? Quia corda Apoſto-
lorū quæ receſſus domini mœſtificaue-
rat, per illius aduentū lætificari meruê-
runt. Vel ideo dicitur cōſolator, qui cor
da electorum, ne deficiāt in præſenti ſe-
culo, ſpe regni cœleſtis conſolari digna-
tur. Vel paracletus dicitur aduocatus.
Quare aduocatus, i. poſtulator? quia pro
erroribus delinquentium interuenit a-
pud Deum patrem. Et quare dicitur po-
ſtulare ſpiritus ſanctus cùm vnius ſub-
ſtantiæ ſit cum patre & filio? Sed poſtu-
lare dicitur, quia eos quos repleuerit,
poſtulantes facit. Eſt & ſpūs ſanctus in
te orans pro ſalute tua, & pro ſalute alio
rum. *Quem mittet pater in nomine meo*, id
eſt, vice mei, & vice nominis mei. *Ille vos
docebit omnia*. Bene dicit, ille vos doce-
bit omnia: quia niſi ſpiritus ſanctus cor
di aſsit audientis, in vanum laborat ex-
terius lingua docentis. Et hoc eſt quod
Pſalmiſta dicit: Niſi dominus ædifica-
uerit domum in vanum laborauerunt Pſ. 126.
qui ædificant eam, Niſi dominus cuſtos

dierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Multa loquutus eſt dominus Iudæis, quæ non valuerunt in cordibus eorum inuenire locũ, quare? quia nõ docuit eos ſpiritus ſanctus interiùs, vt intelligerent corde, quæ dominus proferebat ore. Multa etiam loquitur quotidie per doctores ſuos, quæ nõ poſſunt capi ab auditorib⁹. Quare? quia gratia ſpiritus ſancti nõ adeſt illis. Et quid mirum ſi dicamus hoc de doctrina hominum, cùm ipſe conditor noſter aliquando loquatur, & non ad vtilitatem auditorum, niſi ſpiritus ſanctus affuerit? Legimus in Gen. quòd dixerat dominus Cain, antèquàm occiderit fratrem ſuum Abel: Quare concidit facies tua? Nunquid ſi bene egeris, recipies: ſin autem malè ſtatim in foribus tuis peccatum tuum aderit? Sed ſubter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi⁹. Cain iam peccauerat voluntate, ſed tamẽ nõdum malam cogitationem ad effectum perduxerat: ideo redarguit eum dominus. Sed ipſe non audiuit eum, quia vnctio ſancti ſpiritus non affuit illi, *Et ſuggeret vobis omnia.* Suggerere dicimus ſubminiſtrare. Quicquid mortalibus ſciendum fuit de Deo omnipotente, totũ ſpiritus ſanctus adueniens die Pentecoſtes in linguis igneis ſuggeſsit Apoſtolis, i. ſubminiſtrauit, vt intelligerent dñm Ieſum

ſum Chriſtū ante oīa ſecula genitū à patre & coæternū illi, ꝙ verā carnē ſuſcepit in fine tēporum ex virgine Maria, ꝙ paſſus eſt, quòd felle & aceto potat⁹ eſt, &c. Vel ſuggerere dicitur cōmemorare. Quicquid dominus Ieſus Chriſtus egit ante paſsionem, vel quicquid loquutus eſt: omnia ad memoriam reduxit Apoſtolis ſpiritus ſanctus quinquageſimo die. Quomodo enim tanta miracula & tanta verba à domino prolata potuiſſent corde retinere, niſi à ſpiritu ſancto edocti fuiſſent? *Quæcunque dixero vobis*. Loquitur ſpiritus ſanctus, pater & filius loquitur, quia vnius ſubſtātiæ eſt cum patre & filio. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Quid eſt quòd in natiuitate domini, & eius paſsione appropinquante, ac peracta reſurrectione, pax oblata eſt generi humano? Nato domino in Bethlehem, angeli aſtiterunt paſtoribus, & dixerunt: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus. Ipſe dominus appropinquans paſsioni pacem diſcipulis commendauit dicēs: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ſicut hic legitur. Reſurrexit à *Ioā.14.* mortuis, iterum pacem obtulit eis dicens: Pax vobis. Quid deſignatur per hoc? Myſticè innuitur nobis in hoc *Luc.24* facto, quia ideo natus eſt temporaliter *Ioan.2.* ex virgine Maria, ideo paſſus eſt

pro nobis.i.crucifixus & mortuus, ideo reſurrexit à mortuis, vt nos reconciliaret Deo Patri, iuxta quod Apoſtolus Paulus dicit: Ipſe eſt pax noſtra: cuius inimici facti eramus peccando. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Pacem relinquit dominus nobis in præſenti, vt inuicem diligamus nos, caueamus odium & diſcordiam & trãquillitatem mẽtis ergà fratres teneamus. Pacem ſuam dabit nobis in futuro, vbi nihil ab inuicem diſſentire poterimus, quia vera concordia erit in nobis. Quærendũ eſt quũ dominus primum dixerit: Pacem relinquo vobis, quare nõ dixit meã, ſicut fecit ſubiungens, pacẽ meã do vobis. Quia aliter habuit verã pacem, quia neq; peccatum loquutionis, neque peccatum mali operis illi reſtitit. Et ſi tentari potuit hoc modo per ſuggeſtionem, ſicut legimus, quando tentauit eum diabolus in deſerto, tamen delectatio peccati mentem illius non momordit, atque ideo omnis illa tentatio diabolica foris non intus fuit. Electi vero qui fide & opere Deum ſequuntur, quandiu in præſenti ſeculo ſunt, ſemper prælia gerunt, cum vitijs ſcilicet, cum dæmonibus, cũ malis hominibus, cum immundis deſyderijs, cum voluptate carnis: quæ omnia volunt eos ſtatu rectitudinis ſuæ mouere & ad peccatum trahere. Ideo

dixit

dixit dominus primò: pacem relinquo vobis, in ſequentibus addidit, pacem meam do vobis, pro eo quod eſt dabo. Vt demonſtraret quod ille pacem quam ipſe habuit qui neque cogitatione, neque loquutione, neque opere deliquit. Eandem pacem habebũt ſancti Dei poſt generalem reſurrectionem, quum immortales & incorruptibiles fuerint corpore, & immutabiles in anima: vt iam illis neque in cogitatione, neque in loquutione, neque in opere aliquid reſiſtat. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Mundus hic in malam ſignificationem accipitur, id eſt, in ſignificationem reproborum. Iam diximus in alio euangelio, quod tripliciter accipitur mundus in ſacra ſcriptura. Dicitur mundus vniuerſitas, quæ conſiſtit ex cœlo & terra. Vnde ſcriptum eſt Geneſis primo. In ſex diebus fecit Deus mundum, id eſt, cœlum & terram & quæ in eis ſunt. Ponitur mundus pro electis, vt ibi, ſic Deus dilexit mundum, id eſt, electos. Hic autem pro reprobis ponitur mundus. *Non quomodo mundus dat*, id eſt, mundi amatores. Qui ſunt mundi amatores? Adulteri, rapaces, homicidæ, latrones, & cæteris vitijs ſeruientes qui plus amant mundum quàm creatorem mundi. Hi tales dant ſibi pacem adinuicem, ſed illorum pax polluta eſt. De

qua pace dicit dominus alibi: Non veni pacem mittere, ſed gladium .i. diuiſioné inter bonos & malos. Non quomodo mundus dat, ſubauditur pacem, ego do vobis, pro eo quod eſt dabo .i. non dabo vobis illam pacem quam mundus .i. mundi amatores habent inter ſe, qui concordant in malitia ſua: homicidæ cũ homicidis, adulteri cum adulteris: ſed illam pacem dabo vobis, in qua nihil ab inuicem diſſentire poteritis. Vbi erit pax illa? In numero ſanctorum noui & veteris teſtamenti in cœleſti beatitudine, vbi erit pax, & vera pax, & vera tranquillitas: quia nihil in electis, neque in cogitatione, neque in loquutione, nec in opere Deo reſiſtet. *Non turbetur cor veſtrum neque formidet.* Poterant ſancti Apoſtoli, turbari, quum viderunt dominum Ieſum Chriſtum flagellari, aceto & felle potari, crucifigi, mori, & ſepeliri. Ne fortè eo mortuo inuaderet lupus, id eſt, diabolus gregem Chriſti, & auferret fidem à cordibus illorum: ideo anteà vult dominus eos confortare, dicẽs: Non turbetur cor veſtrum de mea morte, id eſt, intellectus veſter non recedat à mea fide, neque formidetis diabolum, quia ſi mortuus fuero vt homo, reſurgam vt Deus. *Audiſtis quia ego dixi vobis: Vado & venio ad vos.* Vado ad mortem per paſsionem, & reuertar ad vos per

per reſurrectionem. Vel vado, id eſt, aſcendo in cœlum, & reuertar ad vos cũ ſpiritu ſancto. Vel vado ad dexteram patris, & veniam ad vos in die iudicij, vt reddam præmium labori veſtro. *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem.* Quomodo iuit filius Dei ad patrem, qui vnius ſubſtantiæ eſt cum patre, ipſo dicente: Ego & pater vnum ſumus? *Ioã.10.* Reſurgendo à mortuis, & illud quod mortale erat, id eſt, corpus humanum immortale faciendo, & ad dexteram patris collocando, taliter iuit ad patrem. *Quia pater maior me eſt.* Per hoc quod filius Dei minor eſt patre, id eſt, per humanitatem, de qua dicit Pſalmiſta: Minuiſti eum paulominus ab angelis, per hoc reuerſus eſt ad patrem, per hoc verò quod æqualis eſt patri. i. per naturam deitatis, fuit ſemper cum patre. Nec quando reuerſus eſt ad patrem deſeruit nos, quia vbique eſt per plenitudinem deitatis ſuæ iuxta quod ſapientiſsimus hominum Salomon dicit de eo: Sapientia, id eſt, Chriſtus, pertingit à fine vſq; ad finẽ fortiter. *Sapi.8.* A fine vſque ad finẽ, id eſt, ab oriente vſque ad occidentem, ab altitudine cæli vſque in abyſſum. Cælo præſidet & ſuſtinet terram, totum mũdum implet, & totum mundum circundat. Præſidendo mundum ſuſtinet, & ſuſtinendo præſidet, circundando im-

plet,& implendo circundat. *Ecce nunc dixi vobis priùsquàm fiat.* i. prædixi vobis meam paſsionem, meam mortem, meã reſurrectionem, meam aſcenſionem ad cœlos, aduentum ſpiritusſancti ad vos. *Vt quum factum fuerit credatis*, quia ego ſum verus filius Dei, qui potui futura prædicere, & ea quæ prædixi opere cõplere. Si dominus mortuus fuiſſet, ſicuti & fuit ſecundum humanitatem, & non reſurrexiſſet à mortuis, potuiſſent de eo dubitare quod filius Dei eſſet: ſed vt omnis ambiguitas tolleretur de cordibus eorum, prædixit eis dominus quòd reſurrecturus eſſet: & hoc ꝙ prædixit ore, adimpleuit opere. *Iam non multa loquar vobiſcum.* Manifeſtum eſt quod dicit, iam non multa loquar vobiſcum: quia ea nocte qua tradendus erat à diſcipulo Iuda, loquutus eſt & hęc verba, & ſuperiora multa. Cõpleto hoc ſermone, perrexit ad comprehenſionis locum. *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Principem mũdi appellat diabolum, non principem cœli, aut maris: ſed principem mundi, id eſt, amatorum mundi. De quo principe dicit Paulus Apoſtolus Epheſio. ſexto: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, id eſt, aduerſus homines: ſed aduerſus principes & poteſtates. i. aduerſus mundi rectores tenebra-

rum

rum harum i. peccatores qui in tenebris manent iniquitatis. Iſte eſt princeps hæreticorum, Iudæorum, paganorum & prauorum Chriſtianorum, quia principatum tenet in cordibus & operibus illorum. *Venit princeps mundi huius*. i. diabolus tempore paſsionis domini imminente volens illius animam auferre, & ad ſocietatem illius perducere. Sed nihil in eo inuenit, nullum ſcilicet omnino peccatum, neque peccatum cogitationis, neq; loquutionis, neque praui operis. Dicamus & aliter: Princeps mundi poteſt hic intelligi Pilatus, qui princeps mundi fuit. i. amatorum mundi Iudæorum. Venit Pilatus tempore paſsionis domini, & diſcutiens verba accuſatorum Chriſti, nihil inuenit in eo dignum morte de omnibus in quibus accuſabant eum, vndè & dixit: Ego nullam cauſam mortis inuenio in eo. Poterat aliquis dño dicere: O dñe, ſi princeps mũdi i. diabolus, non potuit vllam in te reperire peccatum, neque Pilatus: quare pergis ſponte ad mortem, quum mors peccato debeatur, nõ iuſtitiæ: quia mors propter peccatum illata eſt generi humano? Quaſi huic interrogationi reſpõdit dominus, quum ſubiunxit: *Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo patrem*. Mundus hic in bonam ſignificationem accipitur, id eſt, pro electis de quibus alibi

dicitur. Sic Deus dilexit mūdum, id eſt, electos, Sed vt cognoſcat mundus. Ac ſi diceret dominus. Ideo vado ad paſſionem, ideo tendo ad mortem pro ſalute generis humani, *vt cognoſcat mundus: id electi, quia diligo patrem. Et ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.* Mundatum Dei patris fuit ad filium, vt moreretur pro peccatoribus, qui mortui erant peccato, & ſua morte reuocaret eos ad vitam. Et poſt hęc ait Surgite eamus hinc. Quo niſi ad locum vbi erat comprehendendus. Ac ſi diceret dominus: Nō nos inueniant retardantes, non trepidantes: vltrò pergamus ad paſſionem vt videāt confidentiam noſtram, &c.

Dominica prima poſt Trinitatem.

Homilia ſuper eo verbo,

Lucæ. VI.

HOmo quidam erat diues, qui induebatur purpura, &c. Senſus iſtius lectionis à ſuperioribus pendet. Narrat ſuperiùs Lucas euangeliſta, quod admonuit dñs ſcribas & phariſæos, vt facerēt ſibi amicos pauperes, à quibus reciperentur in æterna tabernacula, dicens illis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, id eſt, de temporalibus diuitiis, vt quum defeceritis à præſenti vita, recipiant vos in æterna tabernacula. Quod illi audientes deridebant eum, quaſi

quaſi non vtilia loqueretur. Verũ quod ille propoſuerat verbis, confirmauit exemplis, oſtendens ideo purpuratum diuitem irremediabiliter poſt mortem apud inferos tortum, quia, noluit in vita amicum ſibi facere pauperem Lazarum, à quo recipi mereretur in æterna beatitudine, dicens: *Homo quidam erat diues.* Magnas diuitias habebat, *& induebatur purpura & byſſo*, vt rex, *& epulabatur quotidie ſplendide*, id eſt, glorioſe: varij & delicati cibi illi parabantur. Purpura, regius habitus eſt. Conſuetudo fuit apud antiquos, vt nullus indueretur purpura, niſi rex, aut cui rex poteſtatem dediſſet. Sic habemus ſcriptum in Daniele: Si quis hanc ſcripturam legerit, & interpretationem dixerit, purpura veſtietur, & torquem auream habebit circa collum, & tertius in regno meo erit. His verbis poſſumus diſcere, quia iſte diues rex erat, qui purpura & byſſo induebatur. Purpura ex ſerico fit, & ex tinctura marina. Sunt piſciculi parui in mari, qui circuncisi ex omni parte emittunt lachrymas purpurei coloris, vnde tingitur lana, ex qua conficitur purpura. Byſſus, genus lini candidiſsimi & molliſsimi eſt. Exteriùs induebatur iſte diues purpura in ſago & veſtitu ſuo. Intrinſecus iuxta carnem induebatur byſſo. Sunt

multi homines qui putant ſubtilitatem veſtium pretioſarum peccatum non eſſe, ſed non eſt ita vt putant. Culpa eſt nimium precioſa veſtimenta quærere: ſi enim culpa non eſſet, nequaquam dominus ſermonem faciens de diuite, diceret diuitem, dum adhuc viueret, purpura & byſſo indutum fuiſſe. Et ſi virtus non eſſet vilia veſtimenta induere ei qui poteſt habere precioſa, nunquam dominus de Ioanne Baptiſta diceret turbis. Quid exiſtis in deſertum videre hominem mollibus veſtitum? Quæ verba dominus non affirmando, ſed negando locutus eſt, quia beatus Ioannes non erat mollibus veſtibus indutus, ſed aſperis, de pilis camelorum habebat veſtimentum. Et beatus Petrus non ſolum viris, ſed etiam mulieribus præcipit, dicens: Non in auro & argento, non in veſte precioſa, nec in torto crine Nemo enim precioſa veſtimenta niſi ad inanem gloriam quærit, vt honorabilior cæteris videatur. Sunt etiam, qui putant præcepta veteris teſtamenti diſtrictoria eſſe, quàm noui, ſed falluntur, quia in veteri lege non punitur auarus, qui propria retinet, ſed qui furtum facit in quadruplum iubetur reddere. Verbi gratia: Si furatus fuerit vnum bouē, quatuor pro eo reſtituet. In nouo autem teſtamento non ſolum ille damnatur in pœnis inferni

ferni qui furtum facit, ſed etiã qui pro-pria non largitur indigentibus. Ecce nõ legimus iſtum diuitem aliena abſtuliſſe, nec aliquem oppreſsiſſe, ſed tantummodo quia propria non deſtribuit pauperibus, ideo æternaliter in inferno inferiore damnatus eſt. Si tali pœna damnatus eſt ille quia propria non dedit, quãta pœna mulctandus eſt ille, quia alienam ſubſtãtiam diripit iniuſte? Certè multò maiori. Attendere debemus, quòd Dominus in hac parabola, nomen diuitis tacet, & nomen pauperis dicit. Ait enim de diuite: Homo quidam. Ait de paupe-pere: Erat quidam mẽdicus nomine Lazarus. Certè in populo plus ſolẽt nomina diuitum ſciri quàm pauperum. Quid eſt ergò ꝙ Dominus nomen huius diuitis non dicit, & nomen pauperis dicit, niſi quia humiles nouit, & ſuperbos ignorat? Vndè quibuſdam in iudicio dicet: Amen dico vobis: Neſcio vos. Et cõtrà Moſi dicit: Noui te ex nomine. Ait ergò de diuite: homo quidam, ait de paupere: quidam mendicus nomine Lazarus, ac ſi diceret: Pauperem humilẽ ſcio, ſuperbum diuitem non agnoſco. Illum approbando agnoſco, iſtum reprobãdo ignoro. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & byſſo.* Allegoricè iſte diues populum Iudaicum ſignat, qui diues fuit, & diuitias ſpirituales & terrenas à Do-

mino recepit, audiens ab eo per Prophetā: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, & dabo vobis terram fluentē lac & mel. Per purpuram intelligitur regnū, per byſſum dignitas ſacerdotalis. Populus Iſraëliticus & reges habuit ſecūdū Dei præceptū, & ſacerdotes, reges Saulē, Dauid Salomonē, & cæteros vſque ad vltimū Sedechiā, qui cæcatus ductus eſt in Babylonem. *Et epulabatur quotidie ſplēdidè.* Quæ ſunt epulæ in quibus populus gloriabatur? Doctrina legis, & cætera eloquia veteris teſtamenti, in quibus meditabatur dicta Prophetarum, & modulationes Pſalmorū. Sed has diuitias non habuit interiùs ad cuſtodiam animi, ſed potiùs exteriùs ad laudem humanam, ideo ſuperbiendo amiſit eas. *Et erat quidam mendicus Lazarus nomine.* Iſte mendicus ſignat populum gentilem qui mendicus fuit, quia nō habuit dicta legis & Prophetarum. Lazarus interpretatur adiutus populus gentilis deſignatur qui adiutus eſt à Deo omnipotente. Deus pater præbuit illi auxilium mittendo filium ſuum ad eū, vel etiam Apoſtolos ſuos, quibus dictū eſt ab eodem filio die aſcenſionis ſuæ Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. *Qui iacebat ad ianuam diuitis.* Qui populus Iſraëliticus ex omni parte circumſeptus erat po-

pus

pulo gentili. *Vlceribus plenus.* Hoc diſtat inter vulnus & vlcus: quia vulnus exteſrius fit cum gladio, aut cum fuſte, aut cũ lapide: vlcus verò infirmitas eſt, quę ab interiori humore procedit foras in cuſte ſicut læpra & ſcabies. Per vlcera intelliguntur peccata. Populus gentilis vlceribus plenus erat, peccatis originaſlibus & actualibus grauatus eſt. *Cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſa diuitis.* Per mēſam intelligitur ſacra ſcriſptura, de qua Pſalmiſta dicit: Paraſti in conſpectu meo mēſam. i. ſacram ſcriptuſram. Per micas intelliguntur minora præcepta legis, quæ ſuperfluebant Iuſdæis. Populus gentilis cupiebat ſatuſrari de micis quæ cadebant de menſa diuitis, id eſt, minora præcepta quę ſuſperfluebant Iudæis, id eſt, quæ pro niſhilo ab illis deputabantur, volebant aſſumere ad ſalutem ſuam. *Sed nemo illi dabat.* Quia ſi aliquis gentilis circunſciſus eſſet more illorum, & legem obſſeruaret ſicut & illi, nolebant eum creſdere ſibi æqualem in merito. *Sed & caſnes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Per canes intelliguntur Apoſtoli, & cęſteri doctores ſanctæ Eccleſiæ, de quibus Pſalmiſta dicit: Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo. Ex inimicis, id eſt, ex Iudæis electi ſunt ſancti Apoſtoli à Domino. Quid faciunt canes? Laſtra-

tratu ſuo tecta Dominorum ſuorum cu⸗
ſtodiunt, ne latrones Dominis ſuis dor⸗
mientibus aliqd furētur. Similiter & ſan⸗
cti doctores latratu ſuo. i. prædicatione
ſua repellunt latrones. i. hæreticos & in⸗
fideles ab ouili Chriſti i. à ſocietate ſan⸗
ctæ Eccleſiæ, ne ouibus Chriſti nocere
poſsint. *Sed & canes veniebant & lingebāt
vlcera eius.* Canum etenim lingua dum
lingit, curat. Ita & ſancti doctores lin⸗
gunt peccata noſtra & curant, dū ad pœ
nitentiam nos prouocant, dicentes: Pœ
nitentiam agite, appropinquabit regnū
cœlorum. Et confitemini alterutrū pec⸗
cata veſtra. *Factum eſt autem vt moreretur
mendicus: & portaretur ab angelis in ſinum
Abrahæ.* Per ſinum Abrahæ deſignatur
requies ſanctorum, vbi ſancti per mor⸗
tem carnis tranſeunt. De hac requie di⸗
cit Dominus alibi: Multi venient ab O⸗
riente & Occidente & recumbent cum
Abraham, &c. *Mortuus eſt autem & diues
& ſepultus eſt in inferno* Infernus, locus
pœnarum eſt, vbi ſuperbi & immiſeri⸗
cordes poſt hanc vitam cruciantur. Hūc
verſiculum ita diſtinguit beatus Augu⸗
ſtinus. *Mortuus eſt autem & diues, & ſepul
tus eſt. In inferno autem cùm eſſet eleuans o⸗
culos ſuos, cùm eſſet in tormentis vidit Abra⸗
ham à lōge, & Lazarū in ſinu eius.* Sed bea
tus Gregorius non ſequitur eum. Clau⸗
dianus Lugdunenſis epiſcopus dicit qd
vtera

vterque in inferno erant, Abraham, ſcilicet, & diues, ideóque mutuò ſe alloqui potuerunt, tamē Abraham fuit in ſuperioribus locis inferni.i.requie. Diues verò in profundo inferni poſitus erat. Per hoc quòd diues mortuus ſepultus eſt in inferno, deſignatur, quòd Iudæi, propter infidelitatem transeunt ad pœnas inferni. Per hoc verò quòd Lazar⁹ portatus eſt in ſinū Abrahæ, ſignatur quòd gentiles ad fidem Abrahæ conuerſi ad patriam cœleſtem quotidie aſcendunt. Infernus locus eſt pœnarum & cruciatuū, vbi ſuperbi & immiſericordes cruciantur propter peccata ſua. *Et ipſe clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei.* Legimus ſuperiùs iſtum diuitem ſuperfluè conuiuaſſe, non tamen in loquacitate peccaſſe, quare plus cruciabatur in lingua quàm in reliquo corpore? Sciendū eſt: Quia ſolet in conuiuijs loquacitas abūdare. Et quia iſte diues ſplēdidè epulabatur quotidie, ſuperflua ideo verba & inania loquebatur. Vbicunque enim plus peccauit, ibi plus cruciabatur. Sic intelligendum eſt de peccatoribus: in quocunque membro peccator plus peccauerit, ibi plus cruciabitur. Verbi gratia: Si peccauerit in lingua vana verba proferendo, plus ibi cruciabitur. Et ſi in manibus homicidium perpetrādo, plus ibi cruciabitur. Poſſumus & hoc referre ad

ad populũ Iudaicũ, qui legem habuit in
lingua, ſed hoc qđ ibi inueniebat, ope-
re perficere nolebat. De quibus Dñs di-
cit per Eſa. Prophetam. Populus hic la-
bijs me honorat, cor autẽ eorũ longe eſt
à me. Sicut enim nullꝰ poteſt dicere qua-
lis beatitudo, qualis lætitia, qualis cha-
ritas, quale gaudium eſt bonis in cœlo,
ſic ſimiliter nullus poteſt dicere qualis
pœna, qualis luctus, quanta ſint tormẽ-
ta malis in inferno, vbi vermes non mo-
rietur, nec ignis extinguetur. Quæ tor-
mẽta per infinita ſecula ſeculorum per-
manebunt. Sicut lętitia & beatitudo ſan-
ctorũ non habebit finem, ita & tormen-
ta malorum, & pœna nequaquam habe-
bit finẽ. Vndè Dominus in iudicio erit
dicturus malis: ite in ignem æternum,
&c. Quapropter laboremus, inquãtum
poſſumus, in Dei ſeruitio, ne cum diuite
purpurato poſt hãc vitã in inferno ha-
beamus cõſortiũ. Modò laboremus dũ
tẽpus habemus, quia in hac vita tãtũ lici-
tũ eſt bene operari. Hæc vita malis homi-
nibus lõga eſt & amabilis, in oculis verò
iuſtorũ breuis & amara. Sicut enim tela
per ſingulos filos creſcit & filus conſu-
mitur: ita vita hominũ ſingulis diebus
expletur. Quia igitur quotidie ad termi-
nũ noſtrũ appropinquamus, curemꝰ qđ
negligẽter fecimus per pœnitẽtia & la-
chrymas lauare. Nõ ſimus ſuperbi, quia
ini-

initiũ omnis peccati ſupbia eſt. Nõ ſim⁹ ebrioſi, quia ebrioſi regnũ Dei nõ poſsi debũt. Nõ ſimus detractores, qa omnes detractores eradicabũtur. Nõ ſim⁹ murmuratores, nõ inuidi, ſed ſimus humiles caſti, benigni, miſericordes, dilectiõe pleni. Modò dũ poſſumus, dũ ſani ſumus, bona opera faciamus, quia citò veniet quãdo nihil operari poterimus, & tunc habebimus pœnitẽtiã quare in Dei ſeruitio magis non laborauerimus. Iſte diues ſerò .i. tardè oculos aperuit cũ Lazarũ pauperẽ in requie vidit, quẽ iacẽtẽ ad ianuã ſuã videre deſpexit. Nõ ſolũ qui eſurienti & ſitienti & nudo: vel alĳ indigenti aliquid donat, eleemoſynam facit: ſed qui erga inimicũ cõpaſsionẽ habet, eleemoſynã ſine dubio facit. Duę ſunt eleemoſynæ, vna corporalis, alia ſpiritualis. Corporalem tunc eleemoſynam facimus, quando quicquid poſſumus indigenti miniſtramus. Et tunc ſpiritualem eleemoſynam facimus, quando dimittimus illis qui peccant in nos. Si verò aurum & argentum, & cætera tranſitoria non habemus, vndè eleemoſynam faciamus, ſtudeamus inimicos noſtros amare & diligere, & omnia mala quæ nobis faciunt ipſis ex toto corde dimittamus: vt talem eleemoſynã faciẽdo creatori ac redẽptori placere poſsimus, & cũ ipſius adiutorio mereamur pœnas inferni vitare

tate, ad quas iſte diues miſericors deſcendit & ad illam requiem ad quã Lazarus portatus eſt ab angelis mereamur deportari & regnare cũ Chriſto, *& mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aqua, vt trigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Iſte dum adhuc vixit noluit minima menſæ ſuæ. i. micas dare pauperi Lazaro, ideo in inferno poſitus ad minima poſtulãda peruenit. Completum eſt in illo quod Iacob Apoſtol. dicit: Iudicium ſine miſericordia illi fiet, qui non facit miſericordiam: *& ait illi Abraham: Fili record. quia recep. bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Filium eum vocat, quem à pœna nõ liberat. Sãcti Dei in cœlo collocati licet videant filios ſuos in inferno damnatos, tamen nulla compaſsione mouentur erga eos, quos ſciunt à fide ſua deuiaſſe. *Recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* In hoc datur nobis intelligi, quia iſte diues aliquod bonum operatus eſt, pro quo dignus erat remuneratione Domini: pauper verò aliquod malum pro quo dignus erat flagellis. Sed bona diuitis remunerauit fœlicitas tranſeũtis vitæ, mala verò pauperis purgauit ignis inopiæ. Sunt reprobi in præſenti ſeculo, qui accipiũt à Domino diuitias, & faciunt bonũ pro quo digni ſunt remunerari, iſti in recõpenſatio-

ſatione accipiunt, quia hîc remunerantur. Talibus dicet Dominus in die iudicij. Amen dico vobis, recepiſtis mercedẽ veſtram. Econtrà ſunt boni homines, qui hic habent diuitias in præſenti ſeculo, & ſunt iuſti, non tamen in recompẽſatione ſicut Dauid, Iob, & cæteri: qui expleta neceſsitate ſua vel ſuorũ, quod ſupereſt in vſus pauperum expendunt, aut in culturam omnipotentis Dei, ſicut fecit Dauid & Salomon. *Hîc autem nunc conſolatur* .i. conſolationem accipit à Domino, quia in requie eſt poſitus, *tu verò cruciaris* in pœnis inferni, *& in his omnibus inter nos, et vos chaos magnum firmatum eſt*. Chaos græcè latinè dicitur cauſa. Et dicitur chaos confuſio rerum, quæ fuit in initio mundi quando Dominus fecit cœlum & terram, quia omnia corporalia mixta erãt, terra videlicet, aqua, ignis, & aër, ſiquidem ſapiens dicit Deo. Tu quidem de informi materia mundũ feciſti .i. de cõfuſione rerum. Sed hîc nõ ponitur chaos pro confuſione rerũ, ſed ꝓ diſtãtia meritorũ. *Et in his omnibus inter nos et vos*. i. inter nos iuſtos, & vos peccatorum *chaos magnum firmatum eſt*, id eſt, magna diſtantia meritorum, quia nos ſumus in gloria pro bonis operibus noſtris, vos eſtis in pœna ꝓ peccatis veſtris, *vt hi qui volunt hinc*. i. de requie *trãſire ad vos, nõ poſſint neque inde*, id eſt, de pœ-

pœna *hac trāſmeare*. Quòd illi qui in pœnis ſunt velint trāſire ad eos qui in requie ſunt, nō eſt mirū: quō autē illi q in requie ſunt, velint trāſire ad pœnas inferni, hoc eſt quęrēdū. Sciendū eſt, q̄d ſicut illi qui inferno ſunt, vellent trāſire ſi fieri poſſet, ad electos: ita & electi ſi fieri poſſet, mēte vellēt trāſire ad re,pbos, quia per naturā miſericordes exiſtūt, & & vellent eos liberare à pœnis inferni, & ad ſuā ſocietatē pertrahere: ſed quia coniuncti ſunt ſuo creatori, non poſſunt aliter velle, niſi quod eorum creator velit. *Et ait: Rogo te pater, vt mittas eum in domum patris mei*, id eſt, familiam. *Habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum*. Conſiderādum eſt quanta ad cumulum damnationis reſeruata ſint huic diuiti duo: Cognitio videlicet & memoria. Cognitio, quia recognouit Lazarum in ſinu Abrahę poſitum. Memoria, quia recordatus fratrum ſuorum. Vt enim magis cruciaretur in inferno poſitus, cognouit Lazarum pauperem quē deſpexerat in vita. Et vt nullum remedium omnino haberet, recordatus eſt fratrum ſuorum quos reliquerat in vita, timens ne fortè ſicut illi acciderat ita & aliis accidiſſet, id eſt, eueniſſet. Reprobi in inferno dānati, non ſolum pro ſua nequitia dānantur, ſed etiam pro illorum

lorũ quos inutiliter in præſenti ſeculo amauerũt Credendũ eſt, qđ iniuſti vſq; in diẽ iudicij quoſdã videant iuſtos, vt nõ ſolùm de ſuo malo, ſed etiã de illorũ bono crucientur. Boni verò ſemper vi- debũt malos, vt maiores gratias redem ptori ſuo referãt. Illi enim qui ſuo crea- tori iuncti ſunt, omnia quæ in creaturis fiunt poſſunt videre. Allegoricè autem, per hoc ꝙ diues quinq; fratres ſe habe- re perhibet, deſignatur ꝙ populus Iudai cus qui iã ex magna parte damnatus eſt, ſequaces ſuos quos ſuper terram viuen- tes reliquit, quinque ſenſibus corporis ſcit eſſe ditatos. i. honoratos, de quibus in inferno poſitus timet, ne & ipſi qui adhuc viuunt, ſpiritualiter legem intelli gere nõ velint, ſicut & ipſe noluit, & de- ſcendant poſt hanc vitam ad ipſius cõ- ſortium in tormẽtis. *Et ait illi Abraham: Habent Moſen & Prophetas, audiant illos.* Sed quia Dei verba deſpexerat, hæc au- dite ſuos ſectatores non poſſe æſtimabat. Vndè & reſpõdit: *Nõ pater Abrahã, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pænitẽtiam agẽt.* Cui ſtatim Abrahã veraciter reſpondit. *Si Moſen & Prophetas nõ audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent.* Qui e- nim verba legis deſpiciunt, præcepta Chriſti q à mortuis reſurrexit, quantò ſunt maiora, tãtò ea min' implebũt. Qui verò ei' præcepta nõ cuſtodit, in illũ nõ

cre-

credit. Allegoricè verò impletam videmus prophetiam Abrahæ, quia Iudaicus populus noluit Moſi & prophetis credere, ideo nec Chriſto credere dedignatur. Ipſe nanq; Dominus ipſis Iudæis dixit: Si crederetis Moſi, forſitan crederetis & mihi, de me enim ille ſcripſit. Niſi enim verba legis & prophetarum intelligant ſpiritualiter, ad Chriſtum quem illi prophetauerunt, venire nõ potuerũt. Reſtat eorum ſalubre conſilium vt illis credant, & Chriſtum inueniant, & à dãnatione patrum ſuorum liberari valeãt. Audiuimus pœnas diuitis. Audiuimus requiem pauperis, timeamus pœnas inferni, cuſtodiamus nos à malis operib9, vt non cum iſto diuite purpurato ſepeliamur in inferno: ſed cum paupere Lazaro in ſinu Abrahæ recipi mereamur, adiuuante Domino Ieſu Chriſto qui viuit & regnat, &c.

Dominica ſecunda poſt Trinitatẽ.

Homilia ſuper eo verbo, Lucæ. XIIII.

Homo quidam fecit cœnam magnã, &c. Intellectus huius lectionis ex ſuperioribus Euang. verbis dependet. Narrat ſuperius Euange. Lucas, ꝙ hortatus fuerat Dominus diſcipulos ſuos & turbas & cæteros auditores dicens illis: Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocas

vocare amicos tuos, neque fratres, ne-
que vicinos diuites: ne fortè ipſi te re-
inuitent, & fiat tibi retributio. Sed cũ fa
cis prandiũ aut cœnã, voca pauperes, cę
cos, & claudos, & beatus eris, quia non
habẽt vndè tibi retribuãt: ſed retribue-
tur tibi in reſurrectione iuſtorũ. Quod
audiens quidam de turba dixit: Beatus
qui mãducabit panẽ in regno Dei. Quis
eſt iſte panis? (Spiritualem dico) domi-
nus Ieſus Chriſt⁹ qui dicit: Ego ſum pa-
nis viuus qui de cœlo deſcẽdi. In regno
cœlorum viſio ſanctæ trinitatis patris
& filij & ſpiritusſancti erit æterna ſatie-
tas electorum, quia non eſurient ibi ne-
que ſitient. De qua ſatietate Pſal. dicit:
Satiabor, dũ manifeſtabitur gloria tua.
Beatus qui manducabit panẽ in regno
Dei. Occaſionẽ dedit iſte homo Dño, vt
loqueretur de regno Dei aliquid, idcir-
co ſubiunxit Dominus: *Homo quidam fe
cit cœnam magnam.* Homo iſte Dominus
Ieſus Chriſtus intelligitur, de quo per
Prophetam Hiere. dicitur. Et homo eſt,
quis cognoſcet eũ. Quare poſuit in capi
te & concluſionẽ, & homo eſt. Vt oſten-
deret eũ & verũ Deum eſſe & hominem.
Et homo eſt, & Deus. Et quis cognoſcet
eũ, ſecundũ deitatẽ? Nullus. Sanè audien
tes hominem, caueamus hæreſim An-
tropomorſitarum, qui dicũt Deũ linea-
mentis corporeis cõpactum, cũ eũ vera-

 citer

citer credere debemus inuiſibilem. *Qui fecit cœnam magnam*. Quia ſatietatem æternę beatitudinis ante mũdi cõſtitutionẽ præparauit electis, quibus dicetur eſt in die iudicij: Venite bñdicti patris mei
Mat.25 percipite regnũ quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Et ibunt in vitã ęternã: hæc erit cœna ſanctorũ. Cœnõ græcè, latinè dicitur cõmune. Et dicitur cœna à cõmunione veſcẽtiũ, quia antiqui ſemel in die comedebant, hora videlicet nona. Et illa comeſtio vocabatur prandiũ ſimul & cœna. Prãdiũ quia ibi ſaturabãtur. Cœna quia ipſi bis eodie non ſumebãt cibũ. Et quia poſt prãdium cœna reſtat, poſt cœnã verò nullũ cõuiuiũ reſtat, dignum fuit, vt beatitudo ęterna, quę in fine dabitur electis, nõ prãdium, ſed cœna vocaretur, de qua cœna dicit in Apoc. Beatus & ſanctus qui ad cœnã nuptiarũ agni vocatus eſt *& vocauit multos*. Multos vocauit Deus omnipotẽs ad cœnã ſuã.i. ad patriã cœleſtẽ, & Iudęos, & gẽtiles vocauit per Prophetas, per Patriarchas, per apoſtolos. Vocat etiã quotidie per ſemetipſum clamãs in euãg. Venite ad me omnes qui laboratis & oneſrati eſtis, & ego reficiã vos. Et diſcite à me omnes, qa mitis ſum & humilis corde, iugũ em̃ meũ ſuaue eſt, & onus meũ leue. Et multi veniunt per fidem & gratiã baptiſmatis, & pauci ſunt qui ipſam

fidē quā percipiunt in baptiſmate, bonis operibus exornēt. De quibus Dñs alibi dicit: Multi ſunt vocati per fidē, ſed pauci electi per operationē. *Et miſit ſeruū ſuū hora cœnæ.* Quid deſignatur nobis per iſtū ſeruū niſi ordo doctorū, Apoſtoli videlicet & martyres cōfeſſores, & cæteri doctores ſanctę Eccleſię qui nos inuitāt ad regnū cœlorū? Huic ordini prædicatorū dixit Dñs eo die quo aſcēdit in cœlū. Eūtes in vniuerſum mūdū & prędicate Euāgelium omni creaturę. *Hora cœnæ.* Quid per horā cœnæ, niſi nouiſsima ætas ſeculi intelligitur? In qua nos ſumus modò poſiti. De qua Paul. Apoſt. 1. Cor. 10. Nos ſumus in quos fines ſeculorū deuenerūt. Et Ioā. Euāg. Filioli nouiſsima hora eſt. i. nouiſsima ætas ſeculi. In qua Dñs ad iudicādum vēturus eſt genus humanum. *Dicere inuitatis vt venirent.* Qui ſunt iſti inuitati? Iudęi qui fuerunt inuitati in Abrahā, Iſaac & Iacob, per legiſlatorē Moſen, per Pſal. & ſemper venire cōtempſerūt, nolentes in filium Dei credere, ideo dānati ſunt & dānabuntur. Si aliquis diues vocaret pauperem ad prādium ſuum, quid faceret pauper? Ablueret corpus ſuum, aqua mutaret veſtimēta ſua, & calceamenta, & quātocyus ad conuiuium properaret diuitis, vt nullus antecederet eum. Si homo pauper ita feſtinanter veniret ad conuiuium diuitis,

Mat. 20 & 22.

Mar. 16

1 Ioā. 2

uitis, quantò magis nos debemus ad cõuiuium Dei omnipotentis .i. ad vitam æternam toto niſu mentis ac corporis feſtinare relinquendo malum & faciendo bonum? Multò magis. *Quia iam parata ſunt omnia*.i. omnia gaudia patriæ cœleſtis in præſentia Dei omnipotẽtis iã parata ſunt omnia. Si prępararet ſe aliquis ad ea percipienda, illa iam parata ſunt omnia. *Et cœperũt omnes ſimul ſe excuſare.* Offert Deus ſponte, quod à nobis rogari debuerat. Nos qui Euangelium audiuimus reprehendimus eos qui ad Dominicam cœnam vocati venire contempſerunt, ſed quod in illis reprehendimus, noſipſi aliquando agere nõ deſiſtimus. Nam quando epiſcopus aut presbyter, aut aliquis doctor Eccleſiæ dicit alicui peccatori in ſeculari habitu conſtituto: relinque ſeculum, ſequere Chriſtũ, peccata tua eleemoſynis & pœnitentia dilue, quo niſi ad cœnam dominicam inuitat? Sed cũ ille reſpondet, homo peccator ſum, ora pro me, non poſſum facere qđ dicis, vxorẽ habeo, filios, vaſallos, & beneficiis terrenis abũdo, nõ poſſum omnia relinquere, humilitatẽ prætẽdit, & ſuperbiam demõſtrat ſe habere. Dum enim dicit homo peccator ora ꝓ me, humilitatẽ prætẽdit in voce, dũ autẽ ſubiũgit nõ poſſum facere quæ mihi prædicas & ſuperbiã oſtẽdit in operatione. *Primus dixit*

dixit illi: villã emi et neceſſe habeo exire et videre illã, rogo te habe me excuſatum. Per villã deſignatur terrena ſubſtantia. Cõſideremus quid agitur in villa. Exarantur arua, vt reddãt fruges, excolũtur vineę: vt bibatur vinum illarum, inſeruntur arbores, vt colligãtur poma ab inſertoribus, nutriũtur pecora, vt comedantur lac & carnes eorũ, vt ideo nõ inconuenicter p villã deſignatur terrena ſubſtãtia. Villã igitur emit & exit videre illã, qui ſemper terrena cogitat, terrena diligit, & amplectitur propter ſubſtãtationẽ vitę pręſentis. Iſte talis dũ plus iuſto tẽporalia requirit, venire ad cœnã dñicã renuit. *Et alter dicit: Iuga boũ emi quinque.* Quid in quinque iugis boum niſi quinque ſenſus corporis debemus intelligere, viſum, auditũ, guſtum, olfactũ, & tactum? Qui ideo iuga vocantur, quia in vtroque ſexu geminãtur, in viris videlicet & fœminis. Habent viri viſum in oculis, auditum in auribus, odoratum in naribus, guſtum in ore, tactum in manibus, vel in reliquo corpore, habẽt & mulieres. Per iſtos quinque ſenſus ſolũmodo exteriora comprehendimus, quæ videntur & audiũtur. Interna verò, id eſt, ſacramenta ſpiritualia non comprehenduntur, niſi mentis rationabilitate, & ideo nõ incõgruè per quinque iuga boũ deſignatur curioſitas, vndè dicitur, *eo*

 pro

probare illa, quia probatio ſæpe ad curioſitatẽ pertinet. Curioſitas dicitur cura ſuperflua cura inanis, quãdo homo alterius peccata ſcrutatur & perquirit, & ſua obliuiſcitur. Graue enim vitiũ eſt curioſitas, quia quãtò magis homo vitã alterius exquirit, tãtò magis ſuam negligit. Nõ dicimus hoc de illis, quibus cura animarum impoſita eſt, ſicut ſunt presbyteri & prælati Eccleſię ſanctę quibus dicitur per Ezechie. Prophetam à Domi-
Ezec. 13 no: Speculatorem dedite domui Iſraël.
Hier. 6. Et per Hier. Probatorem dedite vt probes facta ſingulorum. Sed de illis dicimus qui principatu carent, & tamẽ ſemper volunt eſſe cõſcij peccati alieni, propter hoc ad cœnã Dñicam venire recuſant. *Et alius dixit: Vxorem duxi.* In his tribus multi deſignantur: *vxorem duxi.* Per vxorẽ deſignatur hic carnalis voluptas. Deus omnipotens ideo dedit primo homini vxorẽ, vt amore filiorũ ductus coiret cum illa. Sed cũ cõiugium ſit à Deo inſtitutum propter propaginem filiorũ: nonnulli tamẽ propter amorem libidinis accipiunt vxores, Et ideo per rem iuſtam .i. per coniugiũ licitum, deſignatur res iniuſta i. libidinoſa voluptas. Quiſquis enim vxorẽ nõ amore ſobolis procreandę: ſed amore libidinis actus ducit, vt die noctuq; vacet libidini: ſicut equ & mulus quibus non eſt intellectus, ad

cœnam Dominicā feſtinare diſsimulat: *& reuerſus ſeruus nunciauit hæc Domino ſuo.* Iſte ſeruus ſicut ſuperius diximus ſignat ordinē ſanctorū doctorū, Apoſtolos & apoſtolicos viros, qui omne bonū quod agunt Deo renūciāt, quia nō ſuis meritis, ſed gratiæ Dei illud deputant. *Tunc iratus paterfamilias dixit ſeruo ſuo.* Si per iſtum hominem ſicut ſuperiùs diximus, deſignatur dominus Ieſus, cur dicitur iratus fuiſſe, cum ira in Deū omnipotentem non cadat, iuxta quod ſcriptū eſt de eo? Tu autem cum tranquilitate omnia iudicas. Deus omnipotens immutabilis eſt, non poteſt mutari à lætitia in triſtitiam, ſed ira Dei vindicta eius intelligitur. Sicut verbi gratia. Rex aut iudex iratus videtur reo eſſe, quando iuſto iudicio eum condemnat, licet in ſua tranquillitate maneat. Sic Deus omnipotens iratus nobis videtur eſſe: cùm peccatis noſtris vindictam reddere cōpellitur. Quę fuit ira Dei cōtra eos qui vocati ad cœnā venire noluerūt, in ſubſequētibus demōſtratur cū dicitur: *dico aūt vobis quòd nemo virorū illorū qui vocati ſunt guſtabit cœnā meā.* i. nullus guſtabit de gloria ęterna: *exi cito in plateas, & in vicos ciuitatis.* Popul⁹ Iſraëliticus accepit à Dño legē, quā cuſtodire debuiſſet in ciuitatibus, in vicis & plateis. Et ideo hæc verba propriè ad Iudæos pertinēt:

& pauperes & debiles introduc huc. Congruit iſte ſermo cũ ſuperiori vbi dictum eſt. Cũ facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos potentes atque nobiles. Videamus ſpiritualiter qui ſunt pauperes. Pauperes & debiles ſunt qui neq; diuitiis terrenis abũdant, ſuis virtutibus cõfidunt, ſed ſuo iudicio infirmi ſunt & peccatores. Cæci ſunt quia nullum ingenij lumẽ habẽt, & nõ habent doctrinam noui, & veteris teſtamenti, qua verbum Dei illuminatio eſt, iuxta quod Pſal. dicit, lucerna pedibus meis, verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis. Claudi ſunt, quia licet lumen ſciẽtiæ habeãt, greſſus tamen, id eſt, inceſſum bonæ operationis non poſsident, & ideo datur nobis hic intelligi, quia ſicut ſuperius dictum eſt, peccatores fuerant qui inuitati venerunt, ſed peccatores ſuperbi reſpuuntur, peccatores humiles colliguntur. Cur hoc? Quia iuxta Apo. Pauli vocem, infirma mũdi elegit Deus, vt fortia
1. Co.1. quęq; cõfunderet: quos deſpicit mũdus, hos elegit Deus. *Tũc ait ſeruus, Domine factũ eſt vt imperaſti.* i. multi ex Iudęis collecti ſunt ad cœnã tuã. *Sed adhuc vacuus eſt locus* i. regnũ cœlorum, vbi poſsit recipi numeroſitas gentiũ. *Et ait Dominus ſeruo: Exi in vias & ſæpes.* Populus gentilis in ſæpibus erat. Ligna ſæpium tortuoſa ſunt, & infructuoſa. Similiter & gen-
tiles

tiles tortuoſi erant, quia idola pro Deo colebant, infœcundi erant, quia bonis operibus carebant. De his lignis dicit Pſalmiſta: Tūc exultabunt omnia ligna ſyluarum à facie Domini quia venit. De illo aduentu filij Dei dicitur. Veniēs in mundum per incarnationis myſterium, & mittens Apoſtolos prædicare gentibus verbum Dei, exultauerunt ligna, id eſt, gentiles, & effecti ſunt recti per fidem, qui anteà erant tortuoſi propter infidelitatem, effecti ſunt etiam fructuoſi bonis operibus, qui anteà erant ſteriles & infœcundi. *Exi in vias & ſepes*, id eſt, tranſi ad populum nationum. Apoſtolis dicitur, hoc eſt, quod alibi eis præcepit poſt reſurrectionem ſuam. Euntes in vniuerſum mundum prædicate Euāgelium omni creaturæ, id eſt, omni homini & maiori & minori & domino & ſeruo, & diuiti & pauperi. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, id eſt, in omnibus locis, de quibus dicit Pſalmiſta. In omnem terram exiuit ſonus eorum. Ante defecit eis terra quam lingua. *Et compelle intrare*. Quomodo cōpulerunt ſancti Apoſtoli gentiles venire ad fidē Chriſti? Verbis & miraculis. Dum enim verbum Dei prædicarent, & multa miracula in nomine Ieſu Chriſti perpetrarent, videntes hæc gentiles

Pſa. 95.

Mar. 16

compulſi ſunt venire ad credulitatem. *Vt impleatur domus mea*, id eſt patria cœleſtis: *dico autem vobis quòd nemo virorũ illorum qui vocati ſunt*, & venire contempſerunt: *guſtabit cœnam meam*, id eſt, nullus intrabit in patriam cœleſtem. Multis modis vocat nos omnipotens Deus ad gloriam beatitudinis perpetuæ, per Patriarchas & Prophetas, per Apoſtolos & per ſemetipſum dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Vocat etiam aliquando per proſpera aliquando per aduerſa, aliquando per abundantiam, aliquando per famẽ, aliquando per pacẽ, aliquando per hoſtem Nemo autem cõtemnat, nemo remaneat: ſed omnes veniãt ad cœnam Dominicam.i.ad patriã cœleſtem, ne poſteà cùm venire voluerint, & nõ potuerint intrare, remaneãt in pœna, &c.

Dominica tertia poſt Trinitatem.

Homilia ſuper eo verbo,

Lucæ. XV.

ERant appropinquantes ad Ieſum publicani & peccatores vt audirent illum.

Eo tempore quo Dñs & redẽptor noſter prædicabat Euãgelium in mũdo Iudæis, multi publicani & peccatores audiẽtes eius doctrinã & videntes eius miracula quæ faciebat, credebãt in eum, & pœ

pœnitentiã agebãt de præteritis peccatis, iuxta quod ab eo audierant, pœnitẽtiã agite: Ideo non ſolùm ad colloquendum ab eo ſuſcipiebantur, ſed etiã ad cõueſcendum. Quod videntes phariſæi, dedignabantur, quia falſa iuſtitia dedignationem habet, vera iuſtitia compaſſionem circa peccatores. Publicani dicebãtur tunc tẽporis qui publicanis negotijs inſeruiebãt, ſicut ſunt thelonarij q̃ præſunt mercatis, & raptores exiſtunt, quia ſubſtãtiã aliorum iniuſtè ſibi vẽdicãt. Et ſicut ſunt negotiatores, qui de regionibus in regiones trãſeunt, maria & flumina trãſmeãtes, vt aut diuitias quas nõ habẽt acquirãt, aut ſi habent, accumulant. Vel publicani dicuntur qui publicè peccãt, qui nõ verecundãtur in præſentia hominum peccare. Vel certè publicani dicuntur, qui fiſcis regum præſunt. Illi publicani qui Domino adhærebãt, ita renunciabant priſtinis vitijs, vt iam nullo modo reuerterentur ad ea, ſicut beatus Matthęus, nec Zacheus fecerunt. *Et murmurabant ſcribæ & phariſæi.* Scribæ dicebantur, quia legem Dei habebant ſcriptam in tabulis ſuis. Phariſæi erant legis doctores, de quibus Dominus alibi dicit: Super cathedram Moſi ſederunt ſcribæ & phariſæi, id eſt, doctores legis. Omnia quæcunque dixerint vobis, ſubauditur bona, ſeruate

in corde,& facite opere: ſecundum verò opera eorum nolite facere. Illi cũ eſſent peccatores æſtimabãt ſe eſſe iuſtos. Peccatores erãt, quia in filium Dei credere nolebant. Peccatores erant, quia ſuperbi erant, & ideo medicinam Dei omnipotẽtis non requirebant, ſed potiùs conuerſos ad Dominũ peccatores deſpiciebãt. Ideo cœleſtis medicus benignum paradigma eis obiicit, & tumorem vulneris in corde eorum premit dicens: *Quis ex vobis homo qui habet centum oues?* Homo iſte Deus omnipotens intelligitur. Centenarius numerus pro ſumma perfectione ponitur hic. Deus omnipotens centum oues habuit, cùm angelorum numerum & hominum ad ſe perpetuò laudãdum creauit. Sed tunc vna ouis periit, cùm homo peccando paſcua vitæ dereliquit. Quid fecit Dominus? Nonagintanouem oues dimiſit in deſerto, quia illos ſummos choros angelorum reliquit in cœlo. Deſertum dicitur derelictum. Et quare dicitur cœlum derelictum? Quia tunc homo deſeruit cœlũ cùm peccauit. Niſi enim peccaſſet, ſine morte corporis, ſine infirmitate, ſine ſenectute, completo numero electorum de paradiſo terreno tranſiret ad paradiſum cœleſtem. Matth. Euangeliſt dicit, ꝙ nonagintanouem oues in montibus relictæ ſunt, quia illa agmina angelorũ quæ

quæ non peccauerunt, in ſublimibus lo
cis morabantur. Et vt ouis perdita, id
eſt, homo reſtauraretur ad vitam, deſcē-
dens de cœlis dominus Ieſus, venit in
mundum, per incarnationis myſterium
quæſiuit hominem, id eſt, genus huma-
num prædicando, miracula patrando,
& ouem inuentā impoſuit humeris ſuis
qua peccata noſtra ipſe pertulit in cor-
pore ſuo ſuper lignum crucis: cuius liuo
re, id eſt, plaga ſanati ſumus. In carne
humana noſtram naturam ſuſcepit, &
in ipſa carne crucis patibulum ſuſtinuit
vt iuſtificaret peccatores. Sicut verbi
gratia: Medicus quādo ſuſcipit infirmū
ſanandum, illius infirmitatem non tra-
hit in ſemetipſum: ſic dn̄s Ieſus Chriſt⁹
carnem humanam aſſumens non traxit
peccata noſtra in ſuum corpus, ſed per
medicamentum ſuum, id eſt, per incar-
nationem & paſsionem ſuam ſalutē ge-
neri humano reſtituit. Reparato genere
humano, venit domum, id eſt, rediſt in
cœlum vndè venerat, cum multitudine
electorum, de quibus dicitur in cantico
canticorum: Comedi fauum cum melle
meo. Per fauum deſignantur hi qui cū *Cant. 5.*
corporibus, & animabus aſcenderunt
in cœlum cum domino, per mel illi qui
in ſolis animabus. Rediens dominus ad
cœlum, inuenit ibi amicos & vicinos
ſuos, id eſt, angelicos ſpiritus, qui amici

eius ſunt, quia aſsiduè volũtati eius ob-temperant. Vicini illius ſunt, quia iugi-ter contemplatione illius perfruuntur. Quid dicit illis? *Congratulamini mihi*, id eſt, congaudete mecum. *Quia inueni ouem quæ perierat*. Non dicit congratulamini inuentæ oui, ſed mihi: quia ſalus noſtra gaudium omnipotentis Dei eſt. Dum e-nim nos ad cœleſtem patriã reducimur, gaudiũ angelorũ & Chriſti implemus. *Quia inueni ouem quæ perierat*, i. inueni ge-nus humanũ mea prædicatiõe & paſsio-ne. *Dico vobis, maius gaudium erit angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiã agente, quàm ſuper nonagintanouem iuſtis qui non indigent pœnitentia*. Per nonagintanouẽ iuſtos deſignantur ſcribæ & phariſæi. Per peccatorem pœnitentiam agentem, publicani. plus gaudet Deus omnipotẽs & angeli eius in cœlo de publicanis pec-catoribus conuerſis ad pœnitentiam, quàm de nonagintanouem iuſtis, id eſt, ſcribis & phariſæis, qui putabant ſe eſſe iuſtos, & non erant. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo coram angelis Dei*. Si-cut angeli gauiſi ſunt de reparatione ge-neris humani, quæ facta eſt per domi-ni incarnationem & paſsionem, ita quo-tidie gaudent & lætantur, quando pec-catores conuertuntur à vitiis ad pœ-nitentiam. Sunt nonnulli qui poſt adul-teria, poſt falſa teſtimonia, poſt cætera

fa-

facinora peracta, conuertuntur ad pœnitentiæ lamentum, carne & vino ſe abſtinent, linum deponunt, pompas iſtius ſeculi relinquunt, ſecreta monaſterij petunt, & in omni oratione, ac ieiuniorum & vigiliarum obſeruantia acriter ſe affligunt, vt veniam à domino conſequi mereantur. Econtrà ſunt iuſti qui valde ſecuri ſunt, quia nulla peccata grauiora ſe commiſiſſe recognoſcunt, & ideo anxiè ad patriam cæleſtem non anhelant. Maius gaudium fit angelis Dei in cælo de peccatoribus qui poſt multa errata acriter ſe affligunt in ieiunijs & & vigilijs, quàm fit de ſtantibus iuſtis, qui peccata grauiora non perpetrauerunt, & nihil ſe affligunt. Quia & dux plus eum militem diligit, qui primo terga vertit, deinde conuerſus fortiter hoſtem premit, quam illum qui neq; fugã iniit, neq; aliquid fortiter fecit. Et agricola plus amat illam terram, quæ poſt ſpinas bonam meſſem profert, quàm illam quæ nec ſpinas habet, nec fertilem meſſem facit. Plus enim dominus illum amat qui peccauit, & conuerſus ardẽter laborat in eius ſeruitio, quàm illos qui non ſic peccauerunt, & ideo in ſecuritate poſiti remanẽt pigri. Faciamus & tertium gaudium. Sunt etiã iuſti perfecti, ſicut beatus Gregorius, Auguſtinus, Hieronymus, & multi alij qui ita deplorãt pec-

peccata cogitationum & locutionum, ſicut alij peccata operum. Cuncta illius ſeculi lucra & emolumenta poſtponunt, toto cordis & corporis deſyderio ad patriam cœleſtem tendunt. Si angelis Dei gaudium faciunt peccatores conuerſi: quantum gaudium ſperas iſti faciunt, qui ita ſe in omnibus affligunt & cruciantur in præſenti ſeculo, quaſi omnibus peccatis ſint polluti? *Aut quæ mulier habens dragmas decem?* Qui deſignatur ſuperius per paſtorem, id eſt, filius Dei, ipſe exprimitur per mulierem, non quo ſexus ſit in diuinitatis natura, ſed quia ſpiritualiter per mulierē deſignatur ipſa Dei patris ſapientia, id eſt, filius qui dicit per Salomonem: Ego ſapientia ex ore altiſsimi prodiui, ante omnem creaturam primogenita. Per hanc ſapientiam, id eſt, per filium fecit Deus omnia, & cœleſtia & terreſtria iuxta quod Pſa. 103. dicit ei: Omnia in ſapientia, id eſt, in filio feciſti. Tunc decem dragmas filius Dei habuit, quū angelorū ſimul &
Ec.24. hominū naturam creauit: Sed tunc vna natura perijt, quum homo in paradiſo poſitus peccauit. Nouem ſunt ordines angelorum: Angeli qui minima nunciant: Archangeli, ſummi nuncij, ſicut Gabriel, qui domini noſtri Ieſu Chriſti natiuitatē nūciauit. Virtutes, per quos miracula ſunt in mūdo: Poteſtas

ſtates, qui maioris poteſtatis ſunt q̃ virtutes: Principatus, dominationes, throni. Thronus dicitur ſedes, quia Deus per illos iudicia ſua exercet in hominibus. Cherubim, in quibus eſt plenitudo ſcientiæ, Seraphin, ardentes vel incendentes, quia ſemper ardent in amore Dei. Hi ſunt viciniores Deo omnipotenti, q̃ cæteri ſpiritus angelorum. Decimus eſt homo creatus, qui deſignatur per dragmam perditam. Dragma, genus eſt nummi, duos denarios & dimidium in ſe cõtinens. In dragma imago Cæſaris exprimitur. Et Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidit, ſicut dicit Moſes in Geneſi primo: Et creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Imago eſt in ſanctitate, & ſimilitudo in ęternitate. Rectè homo vbi peccauit, imaginem & ſimilitudinẽ perdidit Dei. Et qui anteà erat immortalis, factus eſt mortalis: qui anteà erat iuſtus, factus eſt iniuſtus. Dicit in hoc loco beatus Gregorius, quod tot electi aſcendẽt ad patriam cœleſtẽ, quot angeli ibi remãſerunt lapſis angelis malignis, ſicut ſcriptum eſt. Conſtituit terminos populorũ iuxta numerum filiorum Dei. Sed accendit mulier lucernam & dragmam inuenit: quia ſapientia Dei patris quæ eſt filius Dei in carne apparens, genus humanum reparauit. Lucerna

cerna vero lumen in teſta iſta, id eſt, diuinitas in carne coruſcans verbis & miraculis. De hac teſta dicit Pſalmiſta. 21. ex perſona filij: Aruit tanquam teſta virtus mea. Virtus quippe dñi Ieſu Chriſti tanquam teſta exaruit, quia caro humana quæ ante paſsionem infirma erat, ita ſolidata eſt per reſurrectionis gloriam, vt nullo modo valeret mori, ſicut Paulus dicit Romanorũ.6. Chriſtus reſurgens ex mortuis iam nõ moritur, mors illi vltra non dominabitur. *Et euertit totam domum.* Per domum intelligitur hic mens. Prædicante domino in mundo, & dicente Matthæi capite quarto: Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum, mentes hominum concuſſæ ſunt ad pœnitentiam. Et euerſa domo inuenitur dragma: quia dum mens hominum compungitur ad pœnitentiam, imago Dei in illa reſtauratur. *Et quum inuenerit, conuocat amicas & vicinas.* Angelicas videlicet poteſtates, quæ amicæ eius ſunt, quia ſemper voluntati illius obedientes exiſtunt. Vicinæ, quia in contemplatione eius aſsiduè manent. *Dicit illis: Congratulamini mihi.* Quia gaudium Dei omnipotentis eſt, reſtauratio generis humani, quia inueni genus humanum quod perierat ſuo vitio. *Ita dico vobis gaudium eſt coram angelis Dei, ſuper vno peccatore pœ*

nis

nitentiam agente. Angeli qui nobis præſunt, de pœnitentia noſtra gaudent. Diſcamus quid ſit pœnitentiam agere. Pœnitentiam agere, eſt præterita peccata deplangere, & plangenda iterum non committere. Nam qui ſic alia deplorat, vt tamen alia committat, aut pœnitentiam agere neſciat, aut diſsimulat. Quid ergò mihi prodeſt, ſi peccatum homicidij deploro, & tamen odium in corde teneo, quum ſcriptum ſit primæ Ioannis. 3. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt? Et quid mihi prodeſt peccatum adulterij flere, ſi æſtibus auaritiæ anhelo? Sicut de adulteris, ita de auaris dicitur primę Corinth. 6. Neq; auari regnum Dei poſsidebunt. Neceſſe eſt vt qui ad cælum aſcendere volunt, hic angelorum officia in quantum poſſunt imitari ſtudeant. Quia ſicut agmina angelorum in cælo ſunt diſtincta, ita conuerſationes hominum in terra diſtinctæ. Quapropter ſciendum eſt nobis, quod vnuſquiſque quem ordinem angelorum imitatur in hac vita, ipſo ſociabitur poſt hanc vitam. Sunt enim multi qui parua quæ intelligunt, fratribus ſuis piè annunciant, iſti tales poſt hanc vitam, conſortium habebunt cum angelis. Et ſunt multi qui magna & ſumma intelligunt, & hæc inquantum poſſunt aliĵs cum hu-

humilitate annunciāt, iſti tales poſt hāc vitam inter archāgelos deputabuntur. Et ſunt multi qui mira faciunt & ſigna operantur, & iſti tales inter virtutes an-numerantur. Et ſunt multi qui de homi-nibus dæmonia eijciunt, & per ſuas ora-tiones poteſtatē dęmonum refrenant & iſti tales inter poteſtates cōputantur. Et ſunt multi qui ſic Deo adiuuante viuūt vt bonis hominibus ſint meliores: & i-deo bonis & electis fratribus principan-tur, id eſt, bonos regunt: & iſti tales in-ter principatus computantur. Et ſunt ta-les qui ſic in ſe mortificant omnia vitia, & ſic ſtudent viuere, vt propter ſuā val-de optimam vitam dij vocentur, vndè ad Moſen dictum eſt Exod. 7. Ecce con-ſtitui te Deum Pharaonis. Iſti tales in-ter dominationes computantur. Et ſunt multi in quorum mentibus ſemper prę-ſto eſt contemplatio, & hoc ideo accipi-unt, vt alios recte iudicare poſsint. In his quaſi in throno ſuo dominus præ-ſidens, aliorum facta examinat. Iſti ta-les throni ſunt Dei, & inter thronos cō-putantur. Et ſunt multi, qui tanta Dei & proximi dilectione pleni ſunt, vt per hoc etiam Cherubim vocentur. Cheru-bim, plenitudo ſcientiæ dicitur, & ple-nitudo legis eſt charitas. Ergo illi qui pleni ſunt Dei & proximi charitate, in-ter Cherubim computantur. Et ſunt

mul-

multi qui tam in amore cœleſtis patriæ accenſi ſunt, vt omnia tranſitoria, omnia viſibilia deſpiciant, & ſoluminodò quæ cæleſtia ſunt cogitant, amant, & ardent, & amando ardent, loquendo alios accendunt in Dei amore. Et quia Seraphin ardentes interpretantur, iſti tales qui plus cæteris in contemplatione ardent, inter Seraphin computantur. Hæc nos audientes redeamus intus ad conſcientias noſtras, & videamus ſi officia angelorum imitamur. Videamus ſi inter angelos deputati ſumus. Vę enim animæ quæ de his quæ ſuprà dicta ſunt, in ſe aliquid non recognoſcit. Et aliud Væ illico veniet, ſi malum in ſe recognoſcit, & nō emendauerit. Quando talem videmus aliquem fratrem noſtrum, gemere ipſum debemus, quia ipſe non gemit. Penſemus donū Dei quę accepimus & inquantum poſſumus, in eius ſeruitio laborare curemus. Simus angeli, ipſum paruum quod intelligimus, fratribus noſtris nunciando. Simus Seraphin in contemplatione Dei aſsiduè perſiſtendo. Hæc meditemur, hæc meditari curemus, vt in hac vita dum viuimus, angelorum officia imitantes, poſt huius diſceſſum mereamur illorum habere conſortium, domino adiuuante, qui viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Do-

Dominica quarta poſt Trinit.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Lucæ ſexto.

EStote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt. Miſericors dicitur à miſero corde. Quid eſt miſerum cor? Compatiens cor. Quando vides aliquem in miſeria, aut in aliqua ægritudine poſitum: ſi compatieris illius miſeriæ velut tuæ, tunc habes miſerum cor. Miſericors dicitur Deus pater, quia bona temporalia, victum & veſtimentum, & cætera quę vſibus humanis ſunt profutura, non ſolum amicis ſuis, id eſt, credentibus in ſe, verumetiam & inimicis, Iudæis, paganis, hæreticis, & falſis Chriſtianis largiri dignatur. Matth. 5. Pluit ſuper gratos & ingratos, ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos. Hæc generaliter præſtat & electis & reprobis, ſpecialiter tamen quæ maiora ſunt pręſtat electis, quia vitam æternam in præſenti ſeculo eis promittit & in futuro tribuit. *Eſtote ergò miſericordes, quia pater veſter miſericors eſt.* Quomodo poſſumus eſſe miſericordes ſicut Deus omnipotens miſericors eſt, quum non poſſumus pluere ſuper iuſtos & iniuſtos ſicut ille, nec oriri ſolem facere ſuper bonos, & malos, neq; fructificare terram ſi-

cut

cut ille? Sed ſciendum eſt, quod, ſicut, non ponitur ſemper pro æqualitate, ſed aliquando pro ſimilitudine quadam. Verbi gratia: Vides modò imaginē hominis in pariete depictam, dicis, ſic habet illa imago oculos ſicuti homo, ſic habet aures veluti homo: non quod æqualitas ibi ſit, quia homo habet vitam, imago non habet, homo videt & audit, imago non videt nec audit. Similiter quiſquis bona temporalia quæ poteſt, nō ſolum amicis, verumetiam & inimicis pro amore Chriſti diſtribuit, ad ſimilitudinem Dei omnipotentis miſericors eſt. Sunt nonnulli qui miſericordes ſunt erga alios bona quæ habent illis tribuendo, circa ſe verò crudeles exiſtunt, quia tradūt ſeipſos peccato & diabolo. Tales debent audire illud Salomonis: Fili miſerere animæ tuæ placens Deo. Quomodo potes miſereri animæ tuæ? Purgando eā à peccatis. Quicunq; ergò vult rectè miſericors eſſe, primo à ſeipſo incipiat miſericordiam, vt ſtudeat ore, corde, & opere, placere Deo, & poſtmodum exhibeat pauperibus bona quæ poteſt, quia quandiu in peccatis priſtinis permanſerit, opera miſericordiæ quæ egerit, non erunt acceptabilia Deo. Prius reſpicit Deus ad bonam voluntatem hominis, deinde ad exteriora bona quæ facit ſicut legimus

mus in Geneſi capite quarto, de Abel & Cain. Quòd reſpexit Deus ab Abel: Primò, quia bono animo offerebat oblationem ſuam, deinde ad munera eius. Ad Cain autem non reſpexit, quia maleuolo animo offerebat, neque ad munera eius. *Nolite iudicare & nõ iudicabimini.* Nolite iudicare temerario iudicio, de rebus incertis & dubijs, quæ quo animo fiũt, ignoramus: nullo modo eſt nobis iudicandum, ſed Dei iudicio eſt reſeruandũ. De rebus autem certis & manifeſtis, ſicut ſunt adulteria, homicidia, ſacrilegia, falſa teſtimonia, & cætera his ſimilia, quæ à regno celorum ſeparant. De quibus dominus alibi dicit: Matthæi ſeptimo capite. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Permittitur iudicare ijs qui officium habent iudicandi, epiſcopis, presbyteris, & cæteris prælatis ſanctę eccleſiæ. Prouidendum eſt autem vt is qui accuſatur, antèquàm ſit confeſſus aut teſtibus conuictus, nullo modò damnetur. De genere autem ciborum non facile eſt iudicare. In exordio fidei ſanctæ eccleſiæ, quidam religionis cauſa abſtinebant à carne & vino, quidam liberè eis vtebantur. Illi qui manducabant carnem, & bibebant vinum, dijudicabant eos, qui non manducabant. E contrà illi qui non manducabant, dijudicabant eos, qui manducabant. Dicebantque illi

qui

qui manducabant, non manducantibus. Omnia mũda mundis, & nihil reiſciendum quod cum gratiarum actione percipiendũ datur à Deo. Idcirco B. Paulus interpoſuit ſe in mediũ, per epiſtolã ſuam. Roma. 14. capite, dicens illis: Qui non manducat, manducantẽ non iudicet, & qui manducat nõ manducantem nõ ſpernat. Tale eſt modò in ſancta ecclesia, indicitur generale ieiunium. Dicit aliquis: Certè infirmus ſum, non poſſum obſeruare ieiunium, ſi nõ manducauero iã moriar. Iſte talis ſuo iudici relinquẽdus eſt. Horum veniet tẽpus, de quo dicit Paulus Apoſt. 1. Cor. 4. Nolite ante tẽpus iudicare, quoadusq; veniat dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarũ, & manifeſtabit cõcilia cordiũ, & tunc laus erit vnicuiq; à Deo qui bona fecerit. *Dimittite & dimittemini.* Si proximus tuus peccauerit in te, aut verbo, aut opere, aut auferendo tua, dimitte illi pro Dei amore, vt dimittantur tibi ea quæ tu contra Dei præceptũ geſsiſti, vt poſsis dicere in oratione Deo, Mat. 6. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si enim non dimiſeritis, quemadmodũ ipſe dominus noſter dicit alibi: fratribus veſtris qui in vos peccauerint, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. *Date & dabitur vobis*, date eleemoſynam,

Nota Iu. 1.

& dabitur vobis vita æterna, quia eleemoſyna quæ pauperi datur in terra, à Chriſto recipitur in cælo. *Menſuram bonã & confertam & coagitatã & ſuperefluẽtem dabũt in ſinũ veſtrũ.* Hoc eſt quod dominus alibi dicit ſcribis & phariſçis hortãs eos ad eleemoſynã. Facite vobis amicos pauperes de mammona iniquitatis, vt cũ defeceritis recipiant vos in eterna tabernacula. *Menſurã bonam dabunt in ſinũ veſtrum.* Qui dabunt? Pauperes. Si benefeceritis pauperibus, dabunt tibi mercedẽ in futuro ſeculo. Nõ ipſi dabũt, ſed Chriſtus vice illorum qui dixit: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Venite benedicti patris mei percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. *In ſinum veſtrum.* i. in mẽtem veſtrã. Faciliùs poteſt auferri illud quod in manu tenetur: quã quod in ſinu habetur Et ideo rectè dicitur. *Menſurã bonã dabunt in ſinum veſtrũ,* quia beatitudo æterna quæ in fine mũdi dabitur electis, nullo vnquã tẽpore auferetur ab eis. *Menſuram bonam,* i. iuſtam ſicut Moſes dicit: iuſtus modius æquusq; ſextarius, *& confertam,* id eſt, bene fartam, & coagitatam, id eſt, ex omni parte conſcuſſam vt nullus locus vaſculi remaneat vacuus. *Et ſuperefluentẽ,* id eſt, ſuperabundantem. Menſura maior quæ recipitur, & minor quæ datur, põdus & põdus,

dus, vtrunq; abominabile eſt apud Deum. Abominari eſt reſpuere & abijcere. Illos ſine dubio abijcit Deus, qui talia agunt *In qua menſura menſi fueritis* in præſenti vita, *remetietur vobis*, in futura. Si parum tribueris pauperi, parum recipies mercedis, ſi verò multum tribueris, multum recipies. Hoc eſt, quod Paulus Apoſtolus dicit Corinth. Qui parcè ſeminat, parcè & metet, qui parũ largitur indigenti, paruam recipiet mercedem à domino. *Et dixit illis: Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadũt*, id eſt, in foueam dãnationis, id eſt, nunquid peccator poteſt peccatorem emendare? Non rectè. Vis me corrigere tu qui es meus epiſcopus, meus abbas, meus preſbyter, meus præpoſitus, meus decanus? prius corrige teipſum. Quia mundæ debent eſſe manus, quæ tergere debent ſordes alterius coinquinationis. Quandiu enim te videro in peccatis manere, plus attendamus tua opera quam verba: niſi fortè propter domini admonitionem, qua dicit alibi: Quæ dixerint vobis, ſubaudi bona, ſeruate, & facite, ſecundum vero opera eorum mala nolite facere. Omnis enim prælatus quando vult corrigere ſubiectum, tria debet perpendere. Primò ſi ipſum peccatum perpetrauit, quod in ſubdito vult emẽdare. Si nõ perpetrauit, cõſyderet quia homo eſt

fragilis, cogitet quia poterat agere, niſi gratia Dei fuiſſet cuſtoditus, & ideo agat Deo gratias qui eum cuſtodiuit, & ſubiectum cum miſericordia redarguat. Deinde ſi illud peccatum commiſit, & tamen per pœnitentiæ lamentum illud habeat deletum, tangat mentem illius communis infirmitas. Et illa obiurgatio non procedat in ſubditum ex crudelitate, ſed potius ex miſericordia, vt ſicut ille optauit ſibi à domino peccata dimitti, ita & ſubdito miſericorditer indulgeat: quia melius eſt vt in die iudicii arguatur de miſericordia quam exhibet circa peccatorem, quàm de crudelitate. Tertiò ſi in ſeipſo peccatū manet, quod in ſubdito vult emendare, nullo modo redarguat, ſed pariter conandum hortetur ſimul ad pœnitentiam agendam, dicens: Simul peccauimus, iniuſtè egimus, bonum eſt vt ſimul pœniteamus. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrū*, ac ſi diceret dominus. Si ego qui Deus ſum magiſter electorum, iniurias meorum perſecutorum non ſolum patienter ſuſtuli, ſed in cruce poſitus clementer indulſi, dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt, quantò magis vos qui homines eſtis & peccatores, debetis fratribus veſtris ex corde dimittere, vt & vobis dimittātur peccata veſtra, quę cōtra Dei mādatū operati eſtis? Et ſi ego Deus

teme

temporalia bona tribuo & amicis. i. fi-delibus & inimicis. i. incredulis, quantò magis vos debetis bona quęcunq; valetis pro Dei amore & amicis & inimicis dare? Certè multò magis. *Perfect⁹ autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius.* i tunc eris perfectus ad ſimilitudinem Dei omnipotentis, ſi dimiſeris vnicuique in te peccāti, ſicut Deus dimiſit tibi omnia in baptiſmate, & ſi largitus fueris bona tēporalia & credentibus & infidelibus ſicut quotidie largitur. *Quid ergò vides feſtucā in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo eſt, non conſyderas?* Per feſtucā deſignatur ſubitanea ira. Per oculum intellectus cordis. Per trabem, ira inueterata, de qua ira Ioan. dicit: Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt. Quando homo dicit homini: quod in me peccaſti, nec in ſeculo, neque in futuro dimittatur, æternaliter optat eum perire. 1. *Ioā.* 3
Vnicuiq; credenti in Chriſtum dicitur hoc. *Quid autē vides feſtucam*, id eſt, quid conſyderas iracundiam ſubitam, quæ ſubito in cor fratris incidit: trabem autem, id eſt, odium, trabem iniquitatis, trabem malitiæ, trabem homicidij, quæ in corde tuo eſt, non conſyderas? *Nunquid potes dicere fratri tuo, frater ſine*, id eſt, permitte me, *vt expellam iram ſubitaneam à corde tuo: ipſe autem in oculo cordis, trabem malitiæ & iniquitatis non vides? hypocrita,*

ſimulator, *eijce primum trabem de oculo tuo*, id eſt, primum purgate de maioribus peccatis, *& tunc perſpicies, vt educas feſtucam de oculo fratris tui*, id eſt, tunc liberè poteris fratrem purgare a minoribus peccatis.

Dominica quinta poſt trinitatem.

Homilia ſuper eo verbo,

Lucæ V.

C*um turbæ irruerent ad Ieſum vt audirent verbum Dei.* Cùm turbę irruerent i. cum feſtinatione properaret ad Ieſum, *Vt audirent verbum*. i. verbum prædicationis ex ore eius, *& ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth.* Stagnum Geneſareth idem dicunt eſſe, quod & mare Galilææ, & mare Tyberiadis. Iſtud ſtagnum diuerſis nominibus nuncupatur, propter diuerſa loca adiacentia ſibi. Appellatur mare Tyberiadis, propter Tyberiadem ciuitatem, quæ in littore eius poſita eſt, quæ olim vocabatur Cyneret, quam Herodes tetrarcha reſtaurauit in meliorem ſtatum, & in honorem Tyberij cæſaris, appellauit eum Tyberiadē, ſub quo paſſus eſt dominus. Vocatur ſtagnum Geneſareth eò quòd generet ſibi aurā. More itaq; maris, de ſemetipſo tēpeſtatem excitare perhibetur. Et habet iſtud ſtagnum in longitudine centum & quadraginta ſtadia. In latitudine

ſexa-

ſexaginta interfluente Iordane, Iordanis currit per medium & vadit in mare mortuum, vbi fuit quondam Sodoma & Gomorra, ibique perdit ſuas laudabiles aquas. Habet etiam iuxta hoc ſtagnum calidas aquas, quæ magnam vtilitatem præſtant vicinis ſuis, quia hyemali tempore abluunt ſe in eis. Sed meritò quæritur, cur iſtum ſtagnum mare appellatur, cùm dulces habeat aquas, & habile ſit ad potandum. Mare enim ab amaritudine accepit nomen, vel á meando. Conſuetudo Hebrææ linguæ eſt, vt omnis collectio aquarum, ſiue dulces ſint aquæ, ſiue amaræ, mare nuncupetur, iuxta quod ſcriptum eſt in Geneſi: Congregationeſq́ue aquarum, appellauit Maria, hoc ſecundum literam. Cæterùm ſecundum ſpiritualem intelligentiam, mare ſignat præſens ſeculum, id eſt, iſtam mortalem & caducam vitam quam habemus, quia ſicut mare in fluctuatione eſt, ita & hæc vita corruptibilis ſemper in fluctuatione videtur eſſe. Aliquando eſt enim in proſperitate, aliquando in aduerſitate, aliquando in gaudio, aliquando in triſtitia, aliquando in abundantia rerum, aliquando in penuria, aliquādo in pace, aliquando in bello. Statio domini in littore erat. Litt⁹ ſignificat gloriam immortalitatis, quam habuit dñs *Gene.1.*

poſt reſurrectionē, de qua immortalitate dicit Paul. Apoſt. Chriſtus reſurgens ex mortuis iā nō moritur, mors illi vltrà nō dominabitur. Modo ſtat dñs in littore. i. in gloria immortalitatis ſuę, in ſtabilitate eternæ quietis. Turbę quę ad eius prædicationem vndiq; con[illegible]ebāt, ſignant multitudinē gentiū quæ poſt reſurrectionē Chriſti per prædicationem Apoſtolorū venturæ erāt ad fidē, & credituræ in eū. De quibus dicit Eſaię. 2. Et fluēt ad eum oēs gentes & dicent: Venite aſcendamus ad montē, i. credamus in Chriſtum, & ad domum eius Iacob, id eſt, ad eccleſiam, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex & verbum domini de Hieruſalē. Quotidie cōcurrunt ex omni parte populi ad eccleſiam, vt audiant Chriſtum prædicantē. Quādo epiſcopus prædicat euangel. aut aliquis alius doctor eccleſiæ Chriſtus prædicat. *Et vidit duas naues ſtantes ſecus*, id eſt, iuxta *ſtagnum*. Duæ naues duas eccleſias in plebe fidelium deſignant, Iudæorum videlicet & gentilium. Quas bene Ieſus vidiſſe perhibetur, quia in vtroque populo nouit qui ſunt eius, & apud ipſum eſt certus numerus electorū ſuorum. Videre nanque Dei eſt eligere, vndè & nos videre eos dicimus, quos diligimus, quos verò odio habemus, ab illis oculos auertimus. Vidit ergo dominus

nus electos ſuos in præſenti ſæculo la- borantes, & videndo gubernat eos, vt ad littus, id eſt, ad ſoliditatem patriæ cæ- leſtis peruenire poſſunt, *piſcatores autem deſcendentes*, piſcatores intelliguntur ec- cleſiæ doctores, Apoſtoli videlicet, & A- poſtolici viri, qui nos per rete fidei, & per rete prædicationis ſuæ à profundi- tate huius ſeculi, eleuant, & ad littus, id eſt, ad perpetuæ quietis beatitudinem ſemper inuitant verbo & exemplo. Re- tia intelliguntur prædicamenta. Et di- cuntur retia quaſi retinentia, quia piſ- ces quos capiunt tenent. Similiter & præ dicatio diuina quos capit ad fidem te- net, & ad littus, id eſt, æternam quietem feſtinat perducere. Rete in quibuſdam locis eſt clauſum, & in quibuſdam a- pertũ. Similiter & ſermo diuini eloquij in quibuſdam locis legentibus patet: & in quibuſdam eſt obſcurus. *Piſcatores autem deſcenderant, & lauabant retia.* Poſt officium prædicationis lauant retia piſ- catores, quando prædicatores ſanctæ ec- cleſiæ poſt expletam prædicationem la- chrymis abluunt, quod in prædicatio- ne aut fortè per iactãtiam aut negligen tiã deliquerunt. Quod bene in facto dñi declaratur qui poſtquã miſit diſcipulos ſuos ad prędicandũ, lauit pedes eorum. Quare? vt in ipſa ablutione pedũ, quic- quid in prædicatione exceſſerãt: totum *Ioã.13.*

purgaretur. Tutiùs eſt enim audire verbū Dei quā loqui, quia ille qui audit ſine peccato poteſt percipere illud, qui verò loquitur, aliquando quodā puluere iactantiæ fœdatur, id eſt, coinquinatur. Ideo neceſſe eſt, vt prædicatione expleta abluatur quod inquinatum eſt in eo. *Aſcēdēs aūt in nauiculā vnā quæ erat Simonis.* Nauis Simonis ſignat primitiuam eccleſiam ex Iudæis quæ. B Petro commiſſa eſt, de qua dicit B. Paulus Apoſt. Qui operatus eſt Petro in apoſtolatum circumciſionis: operatus eſt & mihi inter gentes.i.qui Petrum fecit principem Iudæorum credentium ipſe me conſtituit magiſtrum & doctorem omnium gētium. Quæ bene vna dicitur fuiſſe: quia multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. *Rogauit à terra reducere puſillum.* Ideo rogauit, quia adhuc non erat eius diſcipulus. Quantum ad litterā eſt. Ideo rogauit vt paululum nauim à terra reduceret in aquā, ne fatigaretur.i.ne opprimeretur à multitudine turbarum. Vel ideo quia melius auditur vox hominis loquentis in aqua quam in terra. Mi ror hoc. Secundum ſpiritualem intelligentiam, ideo rogauit Petrum nauim à terra reducere puſillum, vt myſticè inſinueret, quia prædicator eccleſiæ temperatè debet loqui verbum Dei, maximè coniugatis & actibus iſtius ſeculi impli

catis,

catis, vt neque tota terrena illis prædi-
cet, neque profunditatem cœleſtium ſa-
cramentorum committat. Non debet il-
lis exponere: In principio erat verbum,
ne terrenis actibus inhæreant, quia non
ſunt capaces ad hoc percipiendum. Sed
quid debet agere? A terra. i. à terrenis a-
ctibus debet illos ſua prædicatione re-
mouere, dicens: Non occides, non fura-
beris, non falſum teſtimoniũ dices, non
concupiſces rem proximi tui. Vel aliter.
In hoc quod Petrum rogauit, vt paulu-
lum à terra nauim, demonſtrauit, quòd
ipſe Petrus & cæteri Apoſtoli, primò
deberent euangelium prædicare Iudæis
vicinis ſuis, iuxta quod alibi dicit: In vi
am gentium ne abieritis, & in ciuitates
Samaritanorum ne intraueritis, ſed po-
tiùs ite ad oues quæ perierunt domus
Iſraël. Quod verò peracta prædicatione
ſubiunxit duc in altum, ad remotiores
gentes pertinet, de quibus dixit eiſdem
Apoſtol. die aſcenſionis ſuæ: Euntes in
mundum vniuerſum, prædicate euan-
gelium omni creaturæ, id eſt, omnibus
gentibus. Tale eſt illud in Actibus Apo.
Et eritis mihi teſtes in Hieruſalem & in
omni Iudæa. Hoc eſt quod Petrum ro-
gauit, vt à terra nauim reduceret puſil-
lũ. Et vſq; ad vltimũ terrę: hoc eſt quod
dixit, duc in altum. *Et ſedens docebat eos.*
Seſsio domini dignitatẽ magiſterij deſi-

gnat: quia magiſtrorum eſt ſedēdo doce re. De nauicula Petri .i. de authoritate Petri hoc eſt eccleſiæ, vſq; hodie gentes docet, Sicut illi crediderunt, ſic credimus & nos, inſtructi verbis & ſcriptis illorum omnia bona quę habemus poſt dominum ab Apoſtolis accepimus. Quādo etenim euāgelium Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis prædicatur in ſancta eccleſia, aut ab ipſo epiſcopo, aut presbytero, aut leuita: Chriſtus docet de autoritate, id eſt, de magiſterio primitiuæ eccleſiæ. *Vt ceſſauit autem loqui*, id eſt, ceſſauit à prædicationis officio, *dixit ad Simonem duc in altum*, id eſt, duc in profundum maris: Altum commune nomē eſt, & celſitudinem ſignat, & profunditatem, vt illud Salom. Verba ſapientium vt ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi .i. in profundum. *Et laxate retia veſtra in capturam. Reſpondens autem Simon, dixit illi: Per totam noctē laborantes, nihil cæpimus in verbo aūt tuo laxabo rete.* Quidam doctor dicit, quod prædicatores qui aduentum filij Dei pręceſſerunt, id eſt, prophetæ & cæteri qui multitudinem populi ad fidem Chriſti conuertere nō valuerunt quaſi in nocte laborauerunt, & ad cōparationem illorum hominū qui poſt aduentū dñi per prædicationē Apoſtolorum capti ſunt ad fidē, nihil fuit illud quod captū eſt ab eis. Dicamꝰ aliter.

Do-

Doctor in nocte laborat quando gratia ſpiritus ſancti non adeſt illi, quia niſi dominus illuſtrauerit cor auditorum: doctoris lingua exteriùs in vanum la- borat. Hoc eſt quod Pſal. dicit: Niſi do- minus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Niſi dominus auxilium præſtiterit doctori: vt hoc quod ipſe loquitur exteriꝰ in au- ribus auditorum: dominus loquatur in teriùs in cordibus illorum, doctor qua- ſi in nocte laborat. In verbo autem tuo laxabo rete, in præcepto tuo. Per rete ſi- cut ſuperiùs diximus, deſignatur prædi catio. Rete diuerſis malis texitur. Simi- liter & ſermo prædicationis diuerſis ſen tentijs adornatur. Rete extenditur ad capiendos piſces ſimiliter & ſermo præ- dicationis extendi debet, vt capiantur animæ. i. homines ad ſalutem. *& cùm hoc feciſſent*. i. ad præceptum domini laxaſ- ſent retia ſua in mare. *concluſerunt multi- tudinem piſcium copioſam*. Id eſt multitudi nem copioſam. Vnam rē duplicitur po- ſuit, ſicut Paulus apo. In quo clamamus abba pater. Quod abba: hoc eſt pater. Bis legimus in ſancto euang. quòd ad do- mini præceptū miſſa ſunt retia ad piſcā- dum. Primò ante vocationem diſcipu- lorum, ſicut præſens lectio manifeſtat. Deinde poſt reſurrectionem domini an te quàm cœlos aſcenderet. In hac piſca-

Pſalm. 126.

tione non eſt iuſſum in quã partem na-
uigij mitteretur rete, an in dexteram an
in ſiniſtram. In alia autem piſcatione iuſ-
ſum eſt, vt in dexteram nauigij partem
mitteretur, dicente domino: Mittite in
dexteram nauigij rete. Per dexterã de-
ſignantur boni, per ſiniſtram mali. Per
has duas piſcationes deſignantur duæ
eccleſiæ: eccleſia præſens, & eccleſia quę
regnatura eſt cum Chriſto. In illa piſca-
tione quæ modò legitur, non eſt à do-
mino præceptum, vtrum in dexteram
aut in ſiniſtram partẽ mitti deberet re-
te. Quia hîc præſens eccleſia bonos ſi-
mul & malos indiſcretè recepit, neq; eli-
git quos colligat, qa & quos eligere de-
beat, ignorat. *Et annuerunt ſocijs qui erant in alia naui.* Prima nauis ſicut diximus,
eſt eccleſia primitiua ex Iudæis, alia na-
uis eccleſia gentium. De quibus duabus
nauibus loquitur ſpiritualiter Paulus
apoſt. Qui operatus eſt Petro in apoſto-
latum circumciſionis, operatus eſt &
mihi inter gentes. Secundum literam ſo-
cij Simonis erant Ioannes & Iacobus.
Secundum ſpiritualem intelligentiam
ſocij Petri in prędicatione fuerunt Pau-
lus & Barnabas, qui miſsi ſunt ad gen-
tes euangelium prædicare, dicente ſpiri-
tu ſancto credentibus. Segregate mihi
Paulum & Barnabã in opus quo aſſum-
pſi eos. Dum multi ex Iudæis collecti

eſſent ad fidem, tam per prædicationẽ redemptoris, quàm per prædicationem Petri apoſt. de quo dicitur in act. apoſt. quòd vna die crediderunt quinque milia hominum, alia die tria milia, & ſic deinceps multa,& rete fuiſſe ruptum in malis.i.Iuda,in Simone,in Arrio,in cæteris multis,de quibus dicitur per Ioannem: Multi diſcipulorum abierunt retrò & non iam cum illo ambulabãt. Adhibita eſt nauis, id eſt, eccleſia gentiũ p̱ prædicationem Pauli & Barnabæ, vt qꝛ ex Iudæis non ſunt tot collecti quot ſunt præordinati ad vitam æternam, illi qui ex gentibus crediderunt locum electorum in cœlo replerent. *Et impleuerunt ambas nauiculas.* Harum impletio nauium vſque in finem ſeculi creſcit, quia quotidie per prædicationem apoſt. & cæterorum doctorum ab oriente in occidentem, ſeptentrione & meridie veniunt ad fidem Chriſti. *Ita vt penè mergerentur.* Non dixit vt ſubmergerentur, ſed vt mergerentur.i. periclitarentur, vt in ſubmerſionem præmerentur. *Quod cùm videret Simon Petrus*, miraculũ. ſcilicet à domino factũ, in captione piſcium multorum. *Procedit ad genua Ieſu dicẽs: Exi à me domine*, id eſt, recede à me. *Quia homo peccator ſum.* Ne tua iuſtitia grauetur mea iniquitas. *Stupor enim*, id eſt, admiratio. *Apprehenderat Petrum*

&

& qui cum ipſo erant in captura piſciū quā ceperant. In hoc loco B. Petrus typum gerit infirmorum hominum ſecularium, videlicet peccatorū, qui à ſe ſpirituales doctores repellere volunt, ne ab eis de ſuis peccatis increpentur. Seculares homines qui conſyderanter peccata ſua, & ſanctitatem prelatorum ſuorum, honorificentiam illis præſtant, & tamen dicent, non voce linguæ ſed voce malorū operum, recedite à nobis. Vt iſtorum honorificentiam deſignaret Petrus, procidit ad pedes Ieſu, vt autem mores ſignaret, dixit: exi à me, Sed quid fecit Dominus? Non deſeruit Petrum vſque dum ad littus eum perduceret, Similiter & in bonis prælatis non debet eſſe voluntas vt relinquant populum, id eſt, munus eccleſiaſticum, licet peccatores ſint, ſibi à domino commiſſum, vt tranſeant ad trāquilliora loca. Verbi gratia, dicamus etiam ad monaſterium vbi ſecuriùs & liberiùs ſine ſtrepitu turbarum poſsint viuere. Sed tam diu debet preeſſe populo ſubiecto, & verbo & exemplo, donec eum ad littus auxiliante Deo, hoc eſt ad æternæ beatitudinis ſoliditatem perducere valeat. *Et ait illi Ieſus: Noli timere*, ac ſi diceret: Quia te cognoſcis peccatorem, noli deſperare ſalutē, ſaluaberis. *Ex hoc iam homines eris capiens.* Non ita dictum eſt, quaſi iam piſces, nunquam eſſet capturus,

pturus, nam & poſt reſurrectionem legi mus eum piſcatum cum ſociis ſuis, ſed potiùs per hoc quod dixit, ex hoc, ſub auditur tempore homines eris capiens, voluit demonſtrare quid myſticè illa ca ptura piſcium monſtraret, ac ſi diceret: Sicut hactenꝰ cepiſti piſces per retia cor porea: ſic amodo capies homines ad ſa lutem per prædicationem diuinam. *Et ſubductis nauibus ad terram, relictis omni bus ſequuti ſunt eum.* Sciendum eſt, quòd hæc lectio non eſt illa, quam ſecundum Matthæum, Marcûmque legimus, vbi dominus binos & binos vocauit, vt ſe ſequerentur. i. vt illi perpetualiter adhæ rerent, quãdo & Petro dixit & Andreę, venite poſt me, faciam vos fieri piſcato res hominum. Similiter Iacobum & Io annem: ibi enim non dicitur ſubductis ad terram nauibus, quaſi cura redeundi ſequuti fuerint eum ſicuti hîc. Sed ita intelligendũ eſt in hac piſcatione, quod Lucas ſcripſit, audientes eius prædica tionẽ, & videntes miraculum quod fecit in multitudine piſcium ſequuti ſunt cũ, mãducauerunt cum eo manſerunt cũ il lo per aliquot horas aut per aliquot di es, deinde ad piſcationis officium reuer ſi ſunt. Poſtmodum autem cùm ambu laret dominus iuxta illud mare Gali lææ, vocauit eos, & tunc perpetualiter illi adhærentes, vlteriùs nõ ſunt reuerſi ad

ad propria. Vndè & dominus dixit eis tempore paſsionis imminente: Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. B. Gregor. dicit quòd antequā diſcipuli à domino vocarentur, nullum miraculum anteà ab eo fieri viderunt. Sed nos non audemus beatum Gregorium reprehendere, tamen ex hac lectione euangelica poſſumus confirmare. q̄a & eius prædicationem anteà audierūt, iuxta quod hic dicitur: Et ſedens docebat de nauicula turbas, & miraculū fieri ab eo viderunt, quia ad eius ſermonē multitudo piſcium capta eſt. Quibus. i. prædicatione & miraculo edocti ſunt Apoſtoli, poſtmodum ab eo vocati, abſque vlla mora ſequuti ſunt eum. *Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus ſequuti ſunt eum.* Hic per Petrum deſignatur ordo doctorum, quia vna res multas ſignificationes habet. Per littus deſignatur finis ſeculi. Modò piſcatur Petr. Andreas, quotidie trahunt doctores eccleſiæ homines de infidelitate ad fidem, de profunditate vitiorum ad culmen virtutum. Quandiu faciēt hoc? Vſque ad finem ſeculi. Cùm finis ſeculi aduenerit, omnes prædicatores qui Chriſto inhæſerunt, cum plebibus ſibi ſubiectis, relicta cura prædicationis, trāſibunt ad patriam cœleſtem, dicente ſibi domino: Venite benedicti patris mei, &

cæ

cætera. Poſteà non neceſſe erit vt prædicet Petrus vel alius doctor.

Dominica ſexta poſt Trinita.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi quinto.

AMen dico vobis, niſi abundauerit iuſtitia. Senſus lectionis huius ex ſuperioribus domini verbis pendet, quibus dicit: Non veni legem ſoluere, id eſt, deſtruere, ſed adimplere. Quod duobus modis intelligendum eſt. Veniens filius Dei in mundum, quicquid in lege & prophetis de eo dictum erat verbis, & præfiguratum myſterijs, totum ipſe impleuit. Quomodo? Naſcendo de virgine, ſicut Eſaias prædixit: Ecce virgo concipiet, & pariet filium Prædicãdo nanque, miracula faciendo, moriendo, ad cœlos aſcendendo, ad inferna deſcendendo, à mortuis reſurgendo, ſpiritum ſanctum apoſtolis mittendo, iuxta quod ipſe prædixerat per Iohelem: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem: Quicquid lex & prophetæ de eo prædixerant, ſiue de eius natiuitate, ſiue de eius paſſione, ſicut ſuperiùs diximus, totum ipſe adueniens compleuit, vndè appropriãs morti dixit: conſummatum eſt. Ac ſi diceret: Quicquid in me oportebat impleri ante mortem, conſummatum eſt. Et alibi cùm per Eſa.7.

ges

Matth. 20. geret ad paſsionem: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt de filio hominis per prophetas. Et alibi: Non veni legem ſoluere, ſed adimplere. i. ea quæ dominus inuenit in lege & ꝓphetis ſcripta confirmauit: quæ verò minus erant, suppleuit, verbi gratia. In lege punitur adulterium, dicente lege: Non adulterabis. *Exod.* 20. Concupiſcentia verò adulterij, non punitur ibi. In euangelio autem non ſolùm adulterum dãnat, verumetiã qui cõcupiſcit mulierem, dicente domino: *Deut.* 5. Qui viderit mulierẽ ad concupiſcendã eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. *Mat.* 5. In lege dicitur: Diliges amicũ tuũ, & odio habebis inimicum tuum. *Leuit.* 19. In euangelio autẽ: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderũt vos. In lege punitur homicidium, non ira. In euangelio autẽ nõ ſolùm punitur ille qui homicidium facit, & perpetrat iniuſtè, ſed etiam qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa. Inde dicit dominus nobis & cæteris in ſe credentibus. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Scribæ & phariſæi in hoc ſe putabant ituros in regnum cœlorum ſi ſolummodò hominẽ innocentem non occiderent: licet cæteris peccatis fuiſsẽt maculati. Sed quid dicit dominus nobis contra eos? Niſi abundauerit

ſit i. niſi vicerit, niſi ſuperauerit iuſtitia veſtra iuſtitiā ſcribarum & phariſæorū, vt nō ſolū nō occidatis, verūetiā ne iraſcimini, nō intrabitis in regnū cœlorū. Aliter. Scribæ & phariſæi ſcientiam legis & prophetarum habebant, bene docebant & malè viuebant. De quibus dominus alibi dicit: Super cathedrā Moyſi ſederūt ſcribę & phariſæi, omnia quęcunque dixerint vobis ſeruate & facite, ſecundum opera verò illorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. In hoc namque putabunt ſe iuſtificari, ſi bona ſolummodo docuiſſent: licet non feciſſent. Sed quid dicit dominus? Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquā ſcribarū & phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum: non ſolùm bona doceatis, verumetiam faciatis, non intrabitis in regnum cœlorum, iuxta quod dominus in ſuperioribus dixerat: Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis, & docuerit ſic homines i. qui bene docuerit, & illud malè viuendo deſtruxerit, minimus vocabitur in regno cœlorum. Qui verò fecerit & docuerit ſic, i. qui bene docuerit & bene vixerit, maximus vocabitus in regno cœlorum. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis:* Patribus, populo videlicet Iſraëlitico in monte Sinai per legem. *Non occides*, innocentem. *Qui autem occiderit*, innocentē hominem, *reus*. i. culpabilis

pabilis *erit iudicio legis.* i. vt ſimiliter & ipſe occidatur. Quid lex præcepit, vt talio pro talione redderetur. i. æqualitas, vt ſi quis occideret aliquem iniuſtè, & ipſe ſimiliter, oculũ pro oculo, dentem pro dente *Ego autẽ dico vobis*, ego nouus homo, vobis nouis effectis per gratiam baptiſmatis noua præcepta do vobis. *Quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo*: Addendum eſt ſine cauſa. *Reus erit iudicio* euangelij. Sicut in iudicio legis reus erat qui innocentem interficiebat, ſic & modò qui iraſcitur fratri ſuo, q credit in Chriſtum vt ipſe credit: iudicio euãgelij reus efficitur, niſi pœnitentiæ remediũ ſubuenerit illi. *Qui dixerit fratri ſuo: racha.* Racha vt dixit B. Auguſt. interiectio eſt apud Hebræos, motũ animi exprimens, ſicut ſunt interiectiones apud Latinos: Cũ dicitur à dolente heu, ab admirante papè, ab iraſcente hẽ. Beatus verò Hieronymus dicit, q racha ſermo Hebræorũ ſit, qui græcè dicitur cænos, latinè interpretatur inanis & vacuus. quem nos poſſumus dicere abſq; cerebro. i. ſine ſenſu & ſine intellectu. *Qui dixerit fratri ſuo racha* Frater noſter nullus alius hic intelligitur, niſi qui eũdem patrẽ habet in cœlis Deũ quẽ & nos habemus, qui dicit nobiſcũ in oratione. Pater noſter qui eſt in cœlis: qui ſacro baptiſmate eſt renatus & ſpiritu ſeptiformi cõfirmatus. *Qui dixerit*

xerit fratri ſuo.i. Chriſtianus Chriſtiano *racha*.i inanem & vacuũ appellauerit, cũ plenitudinem fidei habeat in ſanctã triſnitatem. *Reus erit conſilio*. ſanctorum, hoc eſt iudicio ſanctorum damnabitur. *Qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennæ ignis*. Hoc nomen quod eſt gehenna, primùm in Euangelio reperitur, ſed videamus vnde veniat hoc nomen. Dicit B. Hieronymus quòd ſit quædam vallis iuxta Hieruſalem quę vocata eſt Gehennon i. vallis filiorum Hennon, à quodam homine qui ibi habuit poſſeſſionẽ ſuam. Ge hebraicè, interpretatur vallis, Gehennõ Vallis gratuita, fuit enim vallis nemoroſa i. ſyluoſa & delectabilis, per quã diſcurrunt aquæ fontis Syloë. Idcirco filij Iſraël, ꝓpter amœnitatem illius loci, relinquentes templum Dei, & altare quod erat in Hieruſalem in monte, ædificabãt in illa valle altaria, & immolabant ibi filios ſuos Baal, & cęteris idolis. Ob hãc cauſam poſtmodum interfecti ſunt ibi, primum ab Aſſyrijs, deinde à Chaldęis, deinceps à Romanis. A nomine illius vallis, quæ vocata eſt gehennõ, venit cõpoſitum nomen gehenna, ex ge & henna Et dicit gehenna duplex pœna, quia illi qui in valle illa occiſi ſunt, ſiue à patribus, ſiue à latronibus, ſiue ab hoſtib⁹, dupliciter perierunt, & vitam præſentem amiſerunt, & futuram. *Qui autem*
dixe

Mat. 5. *dixerit: fatue.* Dominus dicit in euange lio: Vos eſtis ſal terræ. Sicut ſal condimē tū præſtat cibo, ſic prædicator eccleſiæ cōdimentū debet præſtare ſuis ſubiectis verbo & exēplo. Si eum quem dominus appellat ſalem, eò quòd cibus ſibi ſit, & alijs condimentum ſit fidei & bonæ operationis, eū appellaueris fatuū i. à ſapore ſapiētię alienum. *Reus erit gehēnæ ignis.* i. dignus eris vt dupliciter puniaris, & in anima & in corpore. Vel ſicut beatus Iſidorus dicit. Dignus eris vt duplici pœna puniaris. i. à calore & frigore in igne purgatorio. De qua duplici pœna di-
Iob 24. cit B. Iob: Ab aquis niuium tranſibunt ad calorē nimium. Dominus dicit alibi:
Mat. 12. De omni verbo otioſo quod loquuti fuerint homines, reddent rationē in die iudicij. Si de omni verbo otioſo rationē reddituri ſumus, quantò magis de contumelia fratri illata? Si dixerimus ei racha vel fatue i. inſipiens. Et ſi de verbis contumeliæ puniendi ſumus in examine diſtricti iudicij, quantò magis de criminalibus peccatis, adulterio, homicidio, furto, falſo teſtimonio, rapacitate & cæteris his ſimilib⁹, de quibus dicit Paulus, quoniam qui talia agunt, regnum dei non conſequentur. De his omnibus quæ modo diximus. i. de ira contra fratrem & de racha, poſſumus vtcunq; inuenire conſilium. Qui fratri ſuo iraſcitur,

tur, licet iudicio vnius ſacerdotis, eat ad ſacerdotem, & confiteatur ei iram quã habuit contra fratrem ſuum, & ſecundum iudicium illius agat pœnitentiam. Qui verò dixerit fratri ſuo racha i. inanem & vacuum eum appellauerit cùm ſimiliter credat in dominum.i. Chriſtũ, & Dei patris nouerit ſapientiam, reus.i. culpabilis ſit iudicio ſacerdotum. Conuocet vnũ aut duos ſacerdotes, & confiteatur illis peccatum, quod in fratrem geſsit appellando eum racha, & ſecundũ illorum iudicium agat pœnitentiam. Si verò eum quem dominus ſalem appellat, vocauerit fatuum à ſapore ſapientiæ alienũ, reus fiat gehennæ ignis.i. duplicẽ pœnitentiã habeat in corpore & anima. In corpore per ieiunium & orationem, in anima per dolorem & triſtitiã: *Si offers munus tuum ad altare.* Superiùs dixit dominus: qui iraſcitur fratri ſuo, qui dixerit racha, qui dixerit fatue, reus erit iudicio. Sed quomodo iſtum terrorem ipſo auxiliante fugere debeamus, ipſe dat in ſubſequentibus conſilium dicens: *Si offers munus tuum* aut aurum, aut argentum, aut panem, aut vinum, aut aliquod ornamentum eccleſiæ, aut panem, aut vinum, aut quicquid Deo offerendum eſt. *Et recordatus fueris.* i. in mentem tibi venerit. *Quia frater tuus habet aliquid aduerſum te,* Tunc habet fra

ter tuus aliquid aduerſum te, ſi tu in alſ quod læſiſti eum, aut iraſcendo illi, aut conuitiando illum, aut cōtumeliam verborum ingerendo, vocando illū raſcha aut fatuum. Si horum fueris recordatus, quando vis offerre Deo aliquid, relinque ibi munus tuum .i. differ illud in oblatione, noli illud continuò offerre, ſed vade priùs & poſtula veniā fratri tuo: ſi fuerit præſens corpore. Quia & ille neceſſe habet vt dimittat tibi, ſi ſibi vult à domino dimitti, quæ cōtra illius præceptum geſsit, vt libere poſsit dicere in oratione, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Cùm autē fratrem tuum habueris reconciliatum, & in pacē reductum, tunc vade & perfice quod cœperas, offer munus tuum Deo, quia tunc erit illi acceptabile. Si verò frater tuus abſens eſt corpore vt nullo modo poſsis eum inuenire, proſterne te in præſentia Dei omnipotentis qui te & illū videt, & dic illi in animo tuo: Deus omnipotens tu noſti omnia, tu ſcis quia ſi frater meus adeſſet poſtularem illi veniā, idcirco precor te qui pius & miſericors es, & qui fratrem meū ac me corde humiliatū cōſpicis, vt mihi tribuas veniā. Si autē frater tuus inclemens fuerit, & noluerit tibi veniam deprecanti indulgere, oblatio illius non debet in ſacrario recipi .i. in

in altari, nec in gazophylatio, hoc eſt, in theſauro eccleſiæ, neq; in cæteris vſibus eccleſiæ, nec pacem debet facere cũ Chriſtiano, neque communicari corpore & ſanguine domini. Aliter: Si offers munus tuum ad altare. Spiritualiter domus Dei eſt ipſe homo. Vnde dicit Paulus apoſtolus: Templũ domini ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et dominus per prophetã: Inhabitabo in illis & inambulabo. Es bonus, Deus habitat in te. Altare iſtius templi eſt fides recta, quæ ponitur à Deo in anima, ſicut altare ponitur in eccleſia. Quod eſt mun⁹ quod debemus offerre domino? Miſſarum celebratio, mũda oratio, prophetica doctrina, hymnus, Pſalmus, charitas, caſtitas, eleemoſyna, & cætera his ſimilia bona quæ in altari, hoc eſt, in fide recta Deo offerimus, quia ſine fide impoſsibile eſt placere Deo. Deo offerenda ſunt, vt credat ſe vnuſquiſq; homo qui hæc facit, pro his à Deo remunerandũ, & auditurũ ab eo in die iudicij: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi, quandiu feciſtis vni ex his minimis meis mihi feciſtis. Cumq; hæc, quæ ſuperiùs diximus, volueris Deo offerre, & venerit tĩbi in memoriam, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te. i. ſi tu in aliquo contriſtaſti eum, aut conuiciando

1. Cor. 3. *Leu. 26* *2. Cor. 6*

illum, aut gratiam ſenioris ſui tollendo, aut ſua offerẽdo, equum, bouem, aſinum, ſeruũ, ancillã, aut aliquod aliud, relinque ibi munus tuum. i. noli illud ſtatim offerre, ſed vade priùs: & ſi poſtes, redde fratri tuo in quadruplum, ſicut Zachæus fecit, qui dixit domino. Si aliquem defraudaui in quadruplum reſtituo. Si verò nihil habes vndè poſsis reddere, ſaltem veniam illi poſtula. Et tunc, id eſt, placato fratre tuo, offer munus tuum, quia tunc erit illi acceptabile.

Dominica ſeptima.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Marci octauo.

Cum turba multa eſſet cùm Ieſu, &c.

Vbicunque in ſacro euangelio nomen turbæ audimus: diuerſas voluntates intelligere debemus. Nõ enim vnius voluntatis erant qui ad Ieſum cõfluebant, quidam ſequebãtur eum cauſa dilectionis & fidei, ſicut ſcilicet apoſtoli, vt audiẽtes prædicationem ex ore eius crederent in illum, & ſaluarentur ſaluatione perpetua. Alij ſequebantur eum vt ſanarentur a languoribus ſuis, cæci vt illuminarẽtur, ſurdi vt reciperẽt auditum, muti loquelã, claudi greſſum, debiles manuum ſanitatem, Alij ſequebantur eum, vt alimoniam reciperent ab eo, ſicut iſta turba, Alij vt potuiſſent eum

eum in aliquo reprehendere: ſicut ſcribæ & phariſæi. Alij cauſa curioſitatis veniebāt ad eū vt reuertētes ad propria, potuiſſent dicere, vidimus mirabilia hodie. Et quia iſta varietas animorum erat in illis, ideo turbę vocabulo cenſentur. In hac lectione vtranque naturam ſuæ perſonæ dominus demonſtrauit, diuinam ſcilicet & humanam. Per hoc quòd miſericordiam habuit erga turbas, affectum humanæ compaſsionis & pietatem humanitatis patefecit, quia enim homo erat miſericordia motus eſt. Per hoc verò quòd ex ſeptē panibus & pauciſ piſciculis tantam multitudinē populi refecit, diuinitatis ſuæ potentiā aperuit, quia niſi Deus eſſet, tot milia hominum ex paucis panib⁹ ac piſciculis ſatiare nequaquam potuiſſet. Sed videamus myſticè, quid intereſt inter iſtā refectionem: quæ de ſeptem panibus fuit facta, & inter illam quæ de quinq; panibus ſecundum Ioannem. Illa fuit primùm facta, deinde iſta. Hoc diſtat quòd illa pertinet ad vetus teſtamentū propter quinque libros Moyſi, vndè & ipſi panes ordeacei fuiſſe referuntur. Ordei enim medulla tenaciſsima palea tegitur, ſimiliter & lex veteris teſt. paleam habet. i. literam. Sed ſi aliquis ad eius medullam venerit ſatiatur & reficitur, ſicut homines ſatiantur de medulla ordei Hæc

autem refectio quæ,de ſeptem panibus facta eſt,pertinet ad nouum Teſtamentũ propter ſeptem dona ſpiritus ſancti, quæ quotidie dantur fidelibus,quando baptizantur, & quando confirmantur ab epiſcopis. Et vtraque refectio in mõte eſt celebrata, quia vtraque ſcriptura veteris & noui Teſtamenti & alta nobis præcepta proponit ad obſeruandũ,& alta pręmia promittit ad poſsidendum. Vel certè per montem deſignatur Chriſtus,propter culmina virtutum quæ in eo ſunt,de quo monte dicit Pſalmiſta, Hic eſt mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.Et de quo Eſaias. Venite aſcendamus in montem domini.i. credamus in Chriſtum. In monte eſt vtraq; refectio facta, quia vetus teſtamentum & nouum,altitudinẽ filij Dei prædicat cuius potentiæ ſit.Illa turba quę a dño in mõte eſt refecta, ſignat ſanctam eccleſiã,quæ ſuper montẽ.i.ſuper Chriſtum eſt fundata,quotidie verbo Dei refici indiget,ne in peregrinatione huius vitæ deficiat. De qua eccleſia dominus alibi dicit:Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, id eſt, Eccleſia ſupra Chriſtum fundata Quomodo eſt ſuper Chriſtum fundata?Per gratiã baptiſmatis,per fidem,per dilectionem & operationẽ bonã, per hoc quod dominus illam turbã noluit ieiunã dimittere,
ne

ne deficeret in via, ſed refecit illam, deſi gnatur, quia viam præſentis ſeculi aliter incolumes tranſire nequimus, niſi gratia diuina, pabulo verbi ſui, nos refecerit. *Conuocatis diſcipulis.* Quare conuocauit diſcipulos ſuos? Nunquid ſine conſilio illorum poterat? Poterat vtique. Sed ideo conuocauit, vt daret exēplum Regibus, Comitibus, Epiſcopis, & cæteris poteſtatibus huius ſeculi, ne deſpiciāt ſubiectos ſuos in ſuo conſilio, quia ſæpe reuelat dominus iuniori quod melius eſt. *Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduò ſuſtinent me.* Secūdum literam. Quare turba per triduum cum domino māſit? Marcus tacet, cū cæteri euang. teſtantur. Dicit namq; Matt. quòd vidēs dñs turbas aſcenderit in montem, vbi turbæ ſequentes adduxerunt multitudinē infirmorum ſuorū ſecum, & proiecerunt eos ante pedes eius, vt paralyticos, lepros, cæcos, claudos, & cæteris infirmitatibus comprehenſos, quos ilico ſanauit dñs. Hoc fuit primo die, ſecundo die docuit eos, tertia die expleta ſanatione & ſua prædicatione, quid aliud reſtabat, niſi vt paſceret eos? Iam defecerat eis cibus. Inde dixit diſcipulis ſuis dñs: *Miſereor* .i. compatior *ſuper turbam*, hoc eſt, miſericordiā habet anim⁹ meus erga turbas, vt paſcat eas, *quia iā triduo ſuſtinēt me* .i. ꝑ tres dies expectāt me. *Nec habet quod* manduca-

m inducent, quia iam defecit illud quod ſecum detulerũt. *Et ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam deficient in via*.i.fatigabũtur & laſſabũtur in via. Quare? *quia quidam ex eis de longè venerunt.* Alij venerũt de vna leuca, alij de duabus, alij de viginti. Secundum ſpiritualem intelligentiam, turba quæ triduo ſuſtinet dominũ ſignat multitudinem fidelium, quæ fide ſanctæ trinitatis lucida Deo adhæret, & tã pro ſe quàm pro alijs peccatis ꝗ etiã pro aliorum infirmitatibus animæ, Dei miſericordiæ ſupplicare non deſinit. Itẽ turba dominum triduò ſuſtinet, quãdo multitudo fidelium peccata quę perpetrauit per pœnitentiã declinans corde, ore, & opere ad Deum ſe conuertit, vt ei placere poſsit, & vires in illum reparet, quas in flagitijs amiſit. Quæ turba conuertens ſe ad dominum toto corde ne deficiat in itinere præſentis vitæ, paſcenda eſt aſsiduè ſacra admonitione. Debẽt enim prædicatores dicere: Pœnitẽtiam agite, &c. *Quidã ex eis de longe venerunt.* Illi qui de prope venerunt ſignant Iudæos, qui proximi fuerunt Deo per legem, per prophetas, per Pſal. & per cęteras veteris teſtamenti ſcripturas in quibus & notitiã Dei omnipotentis didicerunt, & promiſsionem de aduentu filij Dei inuenerunt, ſicut ſancti apoſtoli & cæteri, quorũ vnus.ſ. Philippus dicit Nathanæli.

li. Quę ſcripſerat Moſes in lege & prophetis, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. Illi qui de longè venerũt ſignant gentiles qui longè receſſerant à Deo, per culturam idolorum non corpore ſed mente. Et meritò nos de longè venimus, quia patres noſtri pagani & gentiles fuerunt, non habuerunt notitiam Dei veri, ſed idola adorauerunt, & ſeruierunt potiùs creaturæ q̃ creatori. Sed quid dicit de illis Paulus? Vos gẽtes qui eratis longè facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Dicamus & ſecundũ moralẽ intellectum. Sũt multi in ſancta eccleſia, qui ab ipſis infantiæ ſuæ cunabulis mãcipantur in ſeruitio Dei, & omni tẽpore vitæ ſuę immaculatè Deo ſeruire ſtudẽt ſiue in monaſterio, ſiue in Canonicatu. Iſti tales de prope veniunt quia per illicita non errauerunt. Et ſunt multi qui poſt experta cõiugia à Deo ſibi conceſſa iuxta quod dominus dicit: Creſcite & multiplicamini, & qui poſt diuitias huius ſeculi bene diſpenſatas relinquũt ſeculum, & veniunt ad ſeruitium Dei. ſed non veniũt de lõginquo quia legitimo cõiugio vſi ſunt. Sũt etiã multi qui poſt homicidia, & adulteria, poſt ſacrilegia, ac piuria, & rapacitates, poſt ebrietates innumeras, & poſt cętera huiꝰ ſeculi flagitia peracta, relinquunt oĩa mala, & cõuertuntur ad Deũ in factis & cogitationibus.

nibus. Iſti tales de longinquo veniunt, quia quanto ampliùs peccat, tantò longiùs à Deo recedunt: non corpore ſed mente, quia Deus vbique eſt præſens. Hi tales conſyderantes magnitudinem peccatorum, ne deficiant in conſyderatione peccatorũ ſuorum, paſcendi ſunt iugiter verbo Dei. *Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: Vndè iſtos poterit quis hic ſaturare panibus in ſolitudine?* Illo adhuc tempore quando iſta dicebant, apoſtoli carnales erant, & nendum perfectã fidem habebant, quam habituri erant poſt dñi reſurrectionẽ, & poſt aduentum ſpiritus ſancti, idcirco dubitabant de potentia Dei. Si enim perfectè credidiſſent, vtiq; ſcirent quia ille qui condidit mundum ex nihilo, qui quotidie paſcit genus humanum de frugibus & producit panem de terra, & vinum quod lætificat cor hominis, ſi vellet de paucíſsimis panibus tãtam multitudinem populi ſatiare poſſet. *Et interrogauit eos, quot panes habetis?* Quare interrogauit coram populo quot panes haberent? nunquid ipſe hoc ignorabat, qui omnia nouit antè quàm fiant, cui veraciter dictum eſt: Domine tu omnia noſti? Non vtique ignorabat, ſed ideo interrogauit, vt illud miraculũ manifeſtiùs fieret, vt dum audiant turbæ dñm interrogantem de numero panũ, & diſcipulos reſpondentes ſeptem, intelli-

intelligant in ſua ſaturitate potentiam ſaluatoris noſtri. Per ſeptem panes intelliguntur libri noui teſtamenti quatuor euang. Act. Apoſt. & Apoc. Et quare cõprehẽduntur ſeptenario numero? Propter ſeptiformem ſpiritũ per quẽ intelligentiam illorum capimus. Per hunc ſpiritum remiſsionem peccatorum conſequuti ſumus, tempore baptiſmatis. Per hunc confirmati ſumus & illuminamur quotidie corde ad intelligẽda myſteria noui teſta. pertinentia ad cognitionem Chriſti, cuius ſpiritus ſancti dona enumerat Eſaias propheta, dicens: Requieuit ſuper eum, i. ſuper Chriſtum ſpiritus domini. i. ſpiritus ſanctus, quod factũ eſt quando deſcendit ſuper eum tẽpore baptiſmatis in ſpecie columbæ, ſpiritus ſapientiæ & intellectus. *Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terrã.* In alia refectione quę de quinq; panibus & duobus piſcibus facta eſt, ſuper fœnum legitur diſcubuiſſe turbam, iſta autem quæ de ſeptem panibus eſt peracta, dicit euangeliſta, ꝙ ſuper terram diſcubuerit. Quid myſterij continetur in hoc facto iam diximus, ꝙ illa refectio pertinet ad vetus teſtamentum propter quinq; libros Moſi. Iſta autẽ pertinet ad nouum propter ſeptẽ dona ſpiritus ſancti quę quotidie percipiunt fideles. Per fœnũ intelligitur voluptas carnalis maximè libido. In refectiõe

quinq; panum turba ſuper fœnum recu-
buit, quia lex veteris teſtamenti carna-
les voluptates refrenare ac calcare præ-
cipit, dicens Non adulterabis, non con-
cupiſces vxorē proximi tui, nec vi oppri-
mes eā. In iſta refectione de ſeptem pani-
bus diſcubuit turba ſup terrā, quia gra-
tia ſancti euangelij non ſolùm concu-
piſcentiam carnis iubet reprimere, ſed
etiam ipſam terrā, id eſt, omnes faculta-
tes terrenas pro Chriſti amore mandat
relinquere, dicente domino: Si vis perfe-
ctus eſſe, vade & vende omnia, quæ ha-
bes, & da pauperib⁹. Inter omnia intelli-
ge terram quæ mater eſt omnium corru-
ptibilium rerū. *Et accipiēs ſeptē panis gra-
tias agens.* Refectur⁹ dominus turbas gra-
tias egit. i. laudes Deo patri retulit, vt o-
ſtenderet, quia ſemper gaudet de noſtra
ſpirituali paſſione. Quandocunq; enim
nos reficimur verbo Dei mente, gaudet
inde & lætatur filius Dei cum angelis
ſuis. Vel ideo gratias egit Deo, vt daret
nobis exemplum, quia quotienſcunque
reficimur mēte cibo ſpirituali, aut paſci-
mur corpore cibo corporali, ſemper illi
gratias referre debem⁹, à quo omne bo-
num procedit, iuxta quod Iacob. apoſt.
dicit: Omne datum optimum, &c. Si om-
ne datū optimū, & omne donū pfectū à
Deo eſt, vtiq; in oībus illi gratias referre
debem⁹. *Fregit.* Per fractionē panū quid
aliud

aliud niſi reſerationem diuinorum eloquiorum debemus intelligere: Quando panis frangitur, interiora illius cernuntur. Dominus panem frangit, quãdo ſecreta myſterioum noui & veteris teſtamenti nobis aperit. Cùm enim ipſe dicat: Nemo nouit patrem niſi filius, & cui filius voluerit reuelare, quid aliud facit niſi apertionem diuinorum eloquiorũ à ſe fieri oſtendit? hoc manifeſtat Hiero. propheta cùm dicit: Paruuli petierunt panem: & non erat qui frangeret illis. Quod eſt aliis verbis dicere. Indocti quæſierunt ſcientiam qua inſtruerẽtur, & non erant magiſtri qui eis aperirent diuina eloquia. *Et dabat diſcipulis ſuis.* Panes fractos dedit dominus diſcipulis ſuis, quia poſt reſurrectionem ſuam aperuit illis ſenſum, vt intelligerent omnes ſcripturas quæ de eo ſcriptæ erant. Ipſis patefecit doctrinam ſuam, & ipſis parabolas ſuas expoſuit dicens: Vobis datũ eſt noſſe myſterium regni Dei. Diſcipuli appoſuerunt turbis, quando percepto à dño intellectu, profecti prędicauerunt vbiq; iuxta quod eis præceperat, dicẽs: Euntes in mundũ vniuerſum, &c. *Et habebant piſciculos paucos, & ipſos benedixit,* &c. Si per ſeptẽ panes intelligimus noui teſtamenti libros, quorum intelligentiam per ſeptiformem ſpiritum capimus; quid debemus intelligere in paucis piſ-

ciculis à domino benedictis, & populo traditis, niſi ſanctos qui vel nouum teſtamentum conſcripſerunt, vel quorum ortum, fidem, doctrinam & operationẽ & obitum, ipſa ſacra ſcriptura noui teſtamenti nobis patefecit, & ad imitandum proponit? Videamus vnum piſcẽ, Ioannem ſcilicet baptiſtam, cuius ortus, prædicatio, vita, & obitus in euangelio continentur. Videamus & alium piſ-
Matt.3. cem Matt. Euang. qui primùm fuit pub-
Mar.6. licanus, & rapax, poſtmodũ vocatus à
Luce.1. domino in gratia illius permanſit. Videamus & alium piſcem B. Stephanum, cuius fidem, prædicationem, & obitum in Actibus Apoſt. legimus, qui inter manus lapidantium poſitus dominum exorauit pro illis, dicens: Domine Ieſu, ne ſtatuas illis hoc peccatũ. Iſti ſunt piſciculi à vitijs huius ſeculi abſtracti à domino, & benedictione illius conſecrati, & ad vtilitatem noſtram per ſacram ſcripturam producti, vt ſicut illi Deo placuerunt, ita & nos ſtudeamus Deo placere. *Et manducauerunt & ſaturati ſunt.* Mãducat de panibus domini, & eſt ſaturatus qui verbũ Dei cum auiditate percipit, & intelligit, & in corde recondit ne auferatur à dæmonibus & in operationẽ conuertit, & in ipſo bono opere permanẽdo ad gaudia æterna peruenit. Talibus comeſtoribus conuenit id quod Pſalm. dicit:
Edent

Edent pauperes .i. humiles, & ſaturabuntur. Econtrà manducat & nõ ſaturatur, qui verbum Dei quod audit, intelligit: ſed tamen ad operationis effectum non perducit. Talibus congruit quod dominus per prophetam dicit: Manducaſtis & non eſtis ſaturati. *Et ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas.* Turba paſta fragmenta quæ illis ſuperſunt diſcipuli colligunt. Per fragmenta intelliguntur alta myſteria, imò conſilia vel hortamenta redemptoris noſtri, quæ generalis multitudo fidelium capere non valet intelligendo, nec opere implendo. Ponamus vnum: Dominus dicit in Euang. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes & da pauperibus. Ipſe etiam alibi de virginitate nõ præcipiens eam ſed laudans dicit: Beati qui ſe caſtrauerũt propter regnum cœlorum. Quid ſubiungitur? Non omnes capiunt verbum iſtud, vt abſtineant ſe ab vxoribus. Et B. Paulus: De virginibus autem præceptum domini non habeo, conſilium autem do, melius eſt vt ſic permaneant in virginitate, ſicut ego ſum virgo. Hoc non poteſt obſeruare multitudo fidelium generaliter, videlicet, vt omnes ab vxoribus abſtineant, & ſeculum relinquãt, ſecundum domini conſilium quia multi ſunt cupidi & auari. Sed ſicut turba licet fragmen-

ta panum domini comedere nequiuiſſent, tamen ſatiata eſt. Sic generalis multitudo fidelium, licet non poſsit capere altiora myſteria ſacræ ſcripturæ intelligendo, nec opere perficiendo: tamen ſatiatur inde, quia dum ex verbo Dei fidem in corde concipit, & ipſam fidem bonis operibus exornat, ad patriã cæleſtem peruenit. Per ſeptem ſportas quæ fragmentis impletæ ſunt intelliguntur perfecti, qui altiora noui ac veteris teſtamenti myſteria intelligunt, qui perfectè ſeculo renunciant, & caſtitatem mentis & corporis ſeruant, adiuti gratia ſpiritus ſancti qui ſeptiformis dicitur. Sporta eſt vaſculum quod texitur iunco, & folijs palmarum, quod congruit electis. Iuncus ſuper fontem naſci conſueuit. Et rectè his iunceis vaſis comparantur electi, quia radicem, id eſt, intentionem cordis ſuper fontem, id eſt, ſuper Chriſtum qui eſt fons omnium bonorum, figunt, ne ab amore illius areſcant. Palma ornat victricem manum, quia apud antiquos qui victor hoſtium exiſtebat, dabatur illi palma aurea ob ſignum victoriæ. Et electi ideo victores exiſtunt in præſenti ſeculo, vitiorum, vt immarceſſibilem coronam percipiat à domino in regno cælorum. *Erant autem qui manducauerant quaſi quatuor milia, & dimiſit eos.* In quaternario numero comprehẽduntur

tur omnes electi, qui quatuor libros ſancti euangelij, fide, prædicatione & opere cultu iunt. Hic non comprehenduntur mulieres neque infantes, quorũ multitudo ibi fuiſſe credẽda eſt, iuxta quod alius euangel ait Matthæus. Erant (inquit) qui mãducauerunt quatuor milia hominum exceptis paruulis & mulieribus. Quare non numerantur niſi viri? quia conſuetudo eſt ſacræ ſcripturæ vt virorum numerum ponat, ſicut legimus in libro nume. Vbi ſolum viri numerantur. De talibus dicit dominus per Pſalm Annunciaui, id eſt, prædicaui & loquutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum electorum. Mulieres igitur & infantes non numerantur. Hic ponit B. August quæſtionem quare de paucioribus panibus ſatiauit dominus plures, & de pluribus pauciores, id eſt, quatuor milia. Pauciores dico ad comparationem quinque milium. *Mat. 15*

Dominica octaua.

Homilia ſuper eo verbo,

Matt. VII.

A*ttendite à falſis prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium*, &cç. Sicut fuerunt in veteri teſtamento falſi & Pſeudoprophetæ, qui populum Iſraëliticum à cultura Dei omnipotentis auertere conabantur, dicentes: Hæc dicit

dicit dominus, cùm dominus non miſiſ ſet eos: ita etiam fuerunt in nouo teſta mento falſi & peruerſi Chriſtiani, hoc eſt hæretici, vtpote Arriani, & alij multi qui populum Chriſtianum à cultu Dei omnipotentis, ſuis dogmatibus auerte re conati ſunt, quos cauendos præmo net dominus dicens: *Attendite à falſis pro phetis*, id eſt, cauete, prouidete ne decipia mini ab eorum fallacijs. *Qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus au tem ſunt lupi rapaces*. Per oues poſſumus intelligere ſanctos & innocentes. Ouis enim mitiſsimum eſt animal & innocẽ centiſsimum: ideoq; deſignat ſanctos, & innocẽtes. Veſtimẽta aũt harum ouium ſunt bonæ operatiões. i. ieiuniũ, vigiliæ, orationes, & his ſimilia, quib⁹ ſancti ve lut pulchris veſtibus adornantur. Quas etiã nõnunquã ſibi hæretici falſo vſur pãt, vt videlicet faciliùs irretire poſsint corda aliquorum hoĩm. Videntur enim ieiunare, ieiunãt, & illi, orant iſti, orant & illi. Sed quãuis hoc faciant, intrinſe cus tamen venenatum & promptiſsimũ ad decipiendum habent animum, agen tes more veneficorum, qui prima cali cis melle liniunt, in fundo autem mor tis poculum ponunt, vt dum dulcedo mellis intenditur, facilius mortis pocu lum capiatur. Sed quia mens ſimpliciũ in talium cogitatione dubitare poterat,

modò dñs oſtendit quõ eorum fallacia cõprobanda ſit. Dicit naaque: *A fructibus eorum cognoſcetis eos*, qui ſunt fructus bonorum, ſiue malorũ hominũ, B. Paulus oſtendit, dicens: Manifeſta aũt ſunt opera carnis, quę ſunt fornicatio, immũditia, & his ſimilia, de quibus in concluſione dicitur, quoniam qui talia agunt, regnum dei non conſequentur. Fructus autem ſpiritus ſunt pax, bonitas, longanimitas, & his ſimilia, vſque dum dicit: Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. His ergò fructibus cognoſcuntur boni & mali. *Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?* Omnibus in promptu eſt, quia nec botrus de ſpinis, nec dulcedo ficorum de tribulis carpitur. Sed ſolet botrus pandere in ſpinam, ita vt à ſtultis putetur quod de radice ſpinæ ortus ſit. Sed ſi diligentiùs attendatur non radix ſpinæ portat botrum, ſed radix vitis. Dicit ergo B. Auguſtin. quia ſi vis eius dulcedine frui, ſpinam caue, botrum carpe. Hoc myſticè eſt. Si vides aliquem hæreticum bonum opus agere, ſic bonum quod in eo eſt accipe, vt malum quod in eo latet vitare poſsis. Myſticè autem per ſpinas & tribulos, pũctiones & aculeos poſſumus intelligere, de quibus primo homini dictum eſt peccanti. Terra tua, ſpinas & tribulos germinabit ibi, id eſt, caro tua

punctiones & aculeos vitiorum tibi gi-gnere non deſiſtet. *Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit. Non poteſt arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos facere.* Arborem malam appellat dominus hominem bonum, fructum verò illius opus bonum, ſiue malum. Sed mirum eſt cur dicat arborem bonã non poſſe facere fructum malum, cùm legimus in veteri teſtamento bonas arbores extitiſſe, ſed malum fructum feciſſe. Nunquid enim B. Dauid bona arbor non erat qui erat electus à Deo Propheta & plenus ſpiritu ſancto, & vnctione diuinitatis habens, ſed tamen tunc malum fructum fecit, quando vxorem Vriæ Ethæi concupiuit, & vno eodemque tempore duo perpetrauit, homicidium videlicet, & adulterium? B. Petrus bona arbor non erat, qui ante dominum clara voce confeſſus fuerat dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui: Sed tamen tũc malum fructum fecit, quãdo ad vocem vnius mulieris territus trina vice dominum negauit. Ietro cognatus Moſi mala arbor extitit, quia idola colebat, ſed tamen tunc bonum fructum fecit, quando cognato ſuo Moſi conſilium dedit, vt cõſtitueret ſuper populũ domini centenarios & quaternarios & decanos. & pentecontarios qui eum à faſce populi ſub-

ſubleuarent. Sed ſciendum eſt, quia primo mutatur homo, deinde intentio, primum enim mutatur arbor, deinde fructus. Primum enim mutatus Dauid per concupiſcentiam, deinde vt faceret adulterium & homicidium. Similiter B. Petrus primum mutatus eſt per timorem, deinde vt negaret dominum. Ietro etiã cognatus Moſi primum mutatus eſt à ſua malitia, deinde vt faceret bonum. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Hæc ſententia vnicuiq; homini pertimeſcenda eſt. Omnis arbor, id eſt, omnis homo, quæ non facit fructũ excidetur, hic per mortem carnis, & mittetur in ignem æternę damnationis. Excidetur enim illa ſecuri, de qua Ioan dicit. Iã ſecuris ad radicem arboris eſt. *Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Repetitio ſermonis, confirmatio operis *Non omnis qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnũ cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Quia ſicut quidam qui verbotenus dominum confitentur, ſed moribus fugiunt, de talibus dicitur: Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Et fides ſine operibus mortua eſt. Notandũ quod hæc ſententia huic contraria videtur, quia idem dicit Apoſtolus: Quia quicunque inuocauerit nomen domini, ſaluus

nus erit. Sed ſciẽdum eſt, quia verba domini non diſcrepant à verbis ſancti Apoſtoli. Solet in ſcriptura verbum pro facto poni: ſicut eſt in hoc loco. Nos ergo non in hoc cõfidere debemus, quòd Chriſtiani ſum⁹, & vnda baptiſmatis regenerati, ſed fidem quam accepimus, bonis operibus adornare ſtudeamus, quatenus præmia vitæ æternæ percipere valeamus.

Dominica nona poſt Trinitatem.

Homilia ſuper eo verbo, Lucæ XVI.

HOmo quidam erat diues, & habebat, &c. Frequenter ſolitus erat dominus loqui parabolicè ad turbas, agens more ſuæ terrę. Conſuetudo namque eſt Paleſtinis, vt ſuis dictis parabolas annectant, vt quæ ſimpliciter prolata minimè intelligere poterant, annectione parabolarum faciliùs intelligerentur. Ait ergò dominus loquens parabolam: *Homo quidam erat diues qui habebat villicum.* Villicus dicitur, qui vilis rei cuſtos eſt, vel villæ cuſtos, quia ad comparationem illarum rerum quæ in vrbibus ſeruantur, auri ſcilicet & argenti, præcioſorum lapidum: viles res ſunt quæ in villis ſeruantur. Homo iſte Deus omnipotens intelligitur, quo nihil eſt ditius, qui omnes diuitias ſpiritua-

rituales & terrenas in manu ſua habet. Qui ditat angelos in cœlo ſua claritate, & homines in terra, ſpe, fide, & charitate. *Qui habebat villicū.* In Græco nō ſcribitur villicus, ſed œconomus, qui diſpenſator intelligitur, qui nimirum ſubſtantiam domini ſui ſecundum voluntatem eius diſponit. Quem nullum melius quàm Paulum, vt accipiamus neceſſe eſt, qui villicus dicitur non ſpiritualiter legem intelligens, ſed carnaliter eam obſeruans. *Qui diffamatus eſt apud dominum ſuum*: quando perſequendo Chriſtianos ab eis accuſabatur, ex quibus vnus erat Ananias, qui apparente ſibi domino, dixit: Domine audiui à multis de viro hoc, quanta mala ſanctis tuis fecerit in Hieruſalem, & cætera. Vocatus eſt autem à domino ſuo, quando eo pergente Damaſcum circunfulſit eum lux de cœlo, & cum luce ſimul vox de cœlo emiſſa eſt, dicens: Saule Saule, quid me perſequeris? *Quid hoc audio de te*, id eſt, quare tam nequiter agis, perſequendo ſeruos meos? *Iam non poteris villicare*, hoc eſt, in lege proficere. *Ait autem villicus intra ſe: Quid faciam, quia dominus aufert à me villicationem?* Videns ſe beatus Paulus à lege ſubtrahi, & prædicationem Euangelij ſubrogari, aiebat: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicatio-*

tio-

tionem? Fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam, vt quum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos ſuas. Vt qui anteà fui magiſter Iudæorũ, nũc incipiam eſſe diſcipulus Chriſtianorũ: & qui hactenus fuit legis doctor, nunc incipiam eſſe piſcatoris auditor. *Conuocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo. Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei.* Cados, eſt Græca menſura, continens vrnas tres. *Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & ſede, cito ſcribe quinquaginta. Deinde alio dixit. Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. At illi: Accipe literas tuas, & ſcribe octoginta.* Coros verò triginta modiis impletur. Per hos autem debitores, vtrunque populum Iudaicum atque gentilem intellige. Per illum qui debebat centum coros tritici, Iudaicum qui titulo legis paſcebatur, cui iuſsit ſcribere octoginta, quia ſanctus Paulus Iudæos reſurrectionem credendam docuit, ad quam olim Salomon Eccleſiaſt. vndecimo, eundem populum admonuerat, dicens: Da partes ſeptem, necnon & octo. Septem propter ſabbatum, octo propter myſteriũ dominicæ reſurrectionis, quæ octauo die celebratur. Per illum verò qui debebat centum cados olei, gentiles intelliguntur, qui populum vt ab idolorum cultura eriperetur, magna miſeris

cordia domini indigebat. Oleum ad mi-
ſericordiam pertinet, quia oleos Græcè
dicitur miſericordia. Quinquagenarius
numerus ad pœnitentiam pertinet. Vn-
de & quinquageſimus pſalmus in pœni-
tentia canitur, & quinquageſimus Iubi-
leus annus, hoc eſt, remiſsionis dicitur.
Cui iuſsit ſcribere quinquaginta, quia
gentibus de præteritis ſceleribus pœni-
tentiam induxit. *Et laudauit dominus vil-
licum iniquitatis, quia prudēter feciſſet.* Lau-
dauit dominus villicum, hoc eſt, Paulū
Apoſtolum quando dixit Ananiȩ: Vade
quoniam vas electionis eſt mihi, vt por-
tet nomen meum coram gentibus & re-
gibus, & filijs Iſraël. Prudenter autem
fecit, quando vtrunque populum lucri-
ficauit, ſicut ipſe ait: factus ſum Iudæis
tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer.
& cæte. Et omnibus omnia factus ſum,
vt omnes lucrarer. Poſſumus quoque
hoc ad vnumquemque diuitem referre,
qui villicus dicitur quia corporales di-
uitiæ æternitati comparatæ, quaſi vi-
les & nullius pretij habētur. Nam om-
nia quæ in præſenti lectione dicuntur,
ſicut hic ſonant, ad imitationem ſunt
ſumenda. Non enim fraudem facere de-
bemus dominis noſtris, vt inde elee-
moſynam faciamus, ſed potius per con-
trarietatem accipiendum eſt. Quia ſi il-
le meruit laudari à domino cum fraudē

faciebat, multò magis laude digni e-runt, qui de ſuis facultatibus pauperes ſibi patronos prouiderint. Villicus au-tem, id eſt, diues quilibet vocatur à do-mino, cùm per ægritudinem carnis ad mortem vſque perducitur. Diffamatur autem apud illum quando inclemens & immiſericors exiſtens, ab angelis v-niuſcuiuſque facta Deo renuncianti-bus, apud domini præſentiam accuſa-tur. Vndè dicitur in Apocalyp. 12. de ma-lignis ſpiritibus. Hic eſt accuſator fra-trum noſtrorum. Et dicitur ei. Iam non poteris villicare, id eſt, vltra non po-teris in præſenti & tranſitoria vita pro-ficere. Ait autem villicus intra ſe, & cætera. Ablata quippe villicatione, fode-re non valeo, quia pòſtquàm ab hac vita diſceſſerimus, in qua tantum licet operari, mentes noſtras ligone com-punctionis exarare non valemus. Men-dicare erubeſco. Mendicare confuſio-nis genus eſt, illo videlicet peſſimo ge-nere mendicando, quo referuntur il-læ fatuæ virgines mendicaſſe, quæ de-ficiente oleo ſapientibus dixerunt: Da-te nobis de oleo veſtro. Et vndè Salo-mon: Propter frigus piger arare no-luit, mendicabit autem æſtate & non dabitur ei, id eſt, propter aduerſitatem iſtius ſeculi bona opera agere diſtulit. Mendicabit æſtate, id eſt, cùm lux Chri-ſtus

ſtus inclaruerit, vitam æternam, & non dabitur ei. Quòd autem ex centum cadis olei, quinquaginta ſcribi iuſsit, & ex centum coris tritici, octoginta. *Sicut* Hieronymus dicit, ad nihil aliud valet, niſi vt iuſtitia Chriſtianorum ſuperexcellat iuſtitiam ſcribarum & phariſæorum: & non ſolum decimas, ſed etiam duas decimas, inſuper etiam dimidium bonorum, noſtrorum Deo offerre debemus ad imitationem illius Zachæi, qui conuerſus ad Deum dixit: Ecce domine dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi aliquem defraudaui, reddo quadruplum. *Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet.* Laudat dominus villicum iniquitatis, eò quòd per fraudem ſibi in futurum prouiderit. *Quia filij huius ſeculi, prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt.* Filios huius ſeculi appellat dominus potentes, diuites, filios lucis, electos, hoc eſt filios Dei, de qua luce dicitur: Erat lux vera, & cætera. Prudentiores autem filij huius ſeculi ſunt filij lucis in generatione ſua, quia nonnunquam quàmplurimi homines eos in negotijs ſecularibus ſuperexcellere videntur qui Deo ſeruire noſcuntur. *Et ego vobis dico.* Quare Dominus hanc parabolam appoſuerat, finetenus oſtendit cùm dicit.

Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Mammona Syrum nomen, Latinè ſonat diuitias. Quare diuitiæ dicuntur iniquitatis? quia non poſſunt acquiri ſine iniquitate, quoniam ſicut beatus Gregorius dicit: Omnis diues aut iniquus aut hæres iniqui. Diuitiæ dicuntur à delectando. Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur, illis ſunt diuitię. Iſti tales ſunt fures & latrones. Quare? Quia Deus in commune dedit, ipſi in proprios vſus conuertunt. Sol omnibus in commune lucet, ſicut regi ita mendico: pluuia ſicut cadit ſuper bonos, ita & ſuper malos, terram & nobiles & ignobiles calcant, ſic omnibus frugibus quæ terra profert, in communi deberet vti genus humanum. At iuſti ſi habent diuitias temporales, non ſunt illis diuitiæ, ſed ſolummodo pecunia, quia expleta ſua neceſsitate, & ſuorum, quod ſuper eſt in pauperum vſus expendunt, iuxta quod dominus dicit: Date eleemoſynã, & omnia munda ſunt vobis. Iuſtorum ergò diuitię ſunt ſpirituales, id eſt, fides, ſpes, charitas, caſtitas, doctrina veteris teſtamenti & noui. De quibus diuitijs dicit propheta: Diuitiæ ſalutis ſapientia timor domini. *Facite vobis amicos de mãmona*

mona iniquitatis .i. de temporalibus bonis, nudos tegendo, eſurientes reficiendo, ſitientes potando, infirmos viſitando, mortuos ſepeliēdo, & in cæteris poſitis in indigentijs ſubueniendo. *Vt quū defeceritis* à præſenti vita per mortē temporalem *recipiant vos*, ipſi pauperes, *in æterna tabernacula*. Vel in manſiones patriæ cœleſtis. Manſiones dico diuerſas qualites meritorum, de quibus dominus alibi dicit. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Quomodo recipient pauperes benefactores ſuos in æternam gloriam? Chriſtus recipit vice illorum: quia quod pauperibus datur in terra, à Chriſto recipitur in cælo. Ipſe enim dicit: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

Dominica Decima.

Homilia ſuper eo verbo,
Luc. X.

C*Vm Appropinquaret Ieſus Hieruſalē*, &c. Cùm legimus in ſacro euangelio motus & diuerſos affectus domini, non debemus credere in eum neceſsitatem aut fragilitatem corporis, ſed potius ea fide accipiendum eſt, vt credamus eum hæc omnia pro nobis ſuſtinuiſſe, ſimulquè, vt oſtenderet ſe pro nobis veram carnem aſſumpſiſſe. Dicit ergò ſanctus euangeliſta. *Cùm appropinqua*

quæret dominus Hieruſalem, videns ciuitatem fleuit ſuper illam dicens: Metanomicè loquitur dominum fleuiſſe ſuper Hieruſalem. Non enim fleuit ædificia murorū aut pulchritudinem templi, ſed potius populū qui inhabitabat. *Quia ſi cognouiſſes & tu.* Ac ſi dixiſſet, ſi cognoſceres imminentia tibi mala, ſicut ego cognoſco, fleres vtique ſicut & ego defleo, quæ quia neſcis quæ tibi imminent, ideo exultas. *Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Iudaicus populus ea quæ habere poterat in die ſua ad pacem illi erant, quia ſcilicet proſperis deditus imminentia ſibi mala non proſpiciebat. Sed & ſi quis diceret ei, non credebat. *Quia veniēt dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te vndique.* Hic etiam apertè ſubuerſio ciuitatis illius declaratur, quæ à principibus Romanis facta eſt, ſicut Hiſtoriographi Iudæorum narrant. Dicunt enim Ioſephus & Egeſippus, quia congregatis ex omni regno Iudæis in Hieruſalem in ſolennitate paſchali, ſuperueniente Romano exercitu intra ſepta ſuæ ciuitatis concluſi ſunt, vt ne vnus quidam euadere poſſet, vallo ſunt circundati quæ eſt ſæpes munitionis, & fit ex foſſa & palis. In qua munitione ſicut ijdem Hiſtoriographi narrant, decies cen-

centena milia gladio perierunt, totidẽ, fame perierunt, totidem in captiuitatẽ ducti ſunt. *Et ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt*. Quomodo ipſa ciuitas ſit penitus exterminata, teſtatur illa quæ ab Helio Adriano reædificata eſt, cũ ſtatum mutauit & nomen. Nam anteà Hieruſalem eſt dicta, nunc Helia vocatur. Et in illa priori ciuitate dominus extra portam legitur paſſus, hæc autem ita ædificata eſt, vt in medio ſui locum dominicæ paſsionis contineat. *Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ*. Narrant ſupradicti Hiſtorici, quia reuertentes iterum fugitiui Iudæi, & qui hoſtium manus effugere poterant, iterum ciuitatem reædificari conati ſunt, ſed tamen non eodem ſpiritu. Veniens autem ſupradictus princeps, non ſolùm penitus eam exterminauit, ſed & fundamenta murorum exarare præcepit, vt adimpleretur canticum Prophetæ dicentis: Sion quaſi ager arabitur, & Hieruſalem in aceruum lapidum erit. *Eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ*. Multis modis viſitauit Dominus plebem Iſraëliticam. Primo per patriarchas, deinde per prophetas, ad vltimum per ſemetipſum. Sed illa plebs non cognouit tempus viſitationis ſuæ, quia

videns eum quem à prophetis prædiſtum habebat, mortalem ac fragile corpus habere, in eum credere reſpuit. Vnde & aues cæli in teſtimonium illis trahuntur, dicente propheta: Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum, turtur & hirundo cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autem meus non cognouit iudicium domini ſui. *Et ingreſſus in templum cœpit eijcere vendentes & ementes de illo.* Quod dominus poſt prædictam ruinam perfidæ ciuitatis in templum ingreſſus, inde vendentes & ementes eijcit, ſignat, quia ruina illius ciuitatis maximè ex culpa ſacerdotum accidit. Qui ad hoc in templo reſidere noluerant, vt aut dantes ſpiritualiter necarent, aut non dantes corporaliter perſequerentur. Alius euangeliſta dicit: Et vendebantur ibi boues & oues & columbæ. Præcipiebat lex, vt ter in anno appareret omne maſculinum in conſpectu Dei, dicens: Non apparebis in conſpectu domini tui vacuus. Cauſa autem auaritiæ habebāt ibi ſacerdotes diuerſa animalia nutrita in templo, quæ venientibus de longinquo vendebant, acquirentes ſic duplex commercium, id eſt, quod dabant & quod accipiebant. Et vt non viderentur vſuram facere quam prohibet lex, habebant ipſi ſacerdotes nummularios in templo, vt de

Ioan. 2. *Exo. 23. & 24.*

de longinquo venientibus peregrinis illis accommodarent. Sed ne hoc manifeſtaretur, inuenerunt illi malefici & aliam materiam dicentes fœneratoribus ſuis, vt quæque viiia ſua darent illis à quibus erant munera accepturi. Quapropter dabant illis vnam paſſam, frixum, cicer, legumina & cætera talia. Dicit beatus Hieronymus quia ex omnibus miraculis domini iſtud ſpecialius fuit. Sed hoc iuxta literam dominus ſemel egit, quod quotidie in ſancta eccleſia agere non deſiſtit per membra ſua, cùm viderit à recta fide recedere, plangit enim eos, qui neſciunt cur plangantur, & qui iuxta Salomonem lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſsimis. Nam hæc peccatrix ciuitas deſignat peccatricem animam grauidam ſuis facinoribus. Et quidem peruerſa anima dum rebus temporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum carnali voluptate reſoluitur, ea quæ habet in die ſua ad pacem habet, quia mala ſua imminentia nequaquam cauere præcogitat. Quia venient dies in te, id eſt, veniet tempus mortis tuæ. *Et circundabunt te inimici tui vallo*. Inimicos nullos melius quàm malignos ſpiritus poſſumus intelligere, qui animam vallo circundant, quando videlicet ea à corpore exeunte omnia mala

quæ in hoc ſeculo egit, ante oculos iſti
ſi reponunt recogitata. Tunc anima ad
ad terram proſternitur, quando caro
quam vitam ſuam credidit, redire in
puluerem vrgetur. *Et filios tuos qui in te
ſunt.* Filij peruerſæ animæ prauæ cogita
tiones intelliguntur, quæ ſimul anima
Pſ.146 pereunte, pereunt. Quia ſicut Pſalmiſta
ait: In illa die peribunt omnes cogita-
tiones eorum. *Et non relinquent in te la-
pidem ſuper lapidem, & cæt.* Peccator cùm
peccatum peccato adijcit, quaſi lapidem
ſuper lapidem ponit. Sed tūc pariter de-
ſtruentur, quando in illo examine di-
ſtricti iudicij, non ſolum facta ope-
rum, ſed etiam facta cogitationum de-
ſtruentur. *Eò quòd non cognoueris tem-
pus viſitationis tuæ.* Multis modis vi-
ſitat dominus animam peruerſam. Vi-
ſitat enim eam aliquando aduerſis, ali-
quando proſperis, aliquādo miraculo,
aliquando terrore. *Et ingreſſus templū cœ-
pit eijcere vendētes & ementes de illo.* Quod
dominus poſt prædictam ruinam perſi-
dæ ciuitatis in tēplum ingreſſus eſt ſig-
nat, vt quando terrena exercere deſiſti-
mus, ad locum religionis pergamus. Si-
cut enim in ciuitate pulchrius eſt omni-
bus ædificijs templum domini, ita & in
plebe fidelium, vita religioſorum. Iuxta
alium euangeliſtam vendebantur ibi
oues, & boues, & columbæ. Per boues
ſan-

ſancti doctores deſignantur, qui vome re diuini verbi corda auditorum irrigant. Boues autem vendunt qui propter prædicationem munera accipiunt. Per oues poſſumus intelligere ſanctos innocentes. Ouis enim mitiſsimum & innocentiſsimum eſt animal. Oues autem vendunt qui ideo ſimplicitatem cuſtodiunt, vt laudes ab hominibus acquirant. Per columbas poſſumus intelligere ſpiritum ſanctum qui in ſpecie columbæ ſuper dominum apparuit. Columbas autem vēdunt, qui propter manus impoſitionem munera accipiunt. Vendentes autem & emētes ſunt hi qui etiam hoc quod illis debetur, non niſi precio largiuntur. Canones Symoniacam hæreſim damnant. Symon pecuniam dare voluit Petro & Ioanni pro ſpiritu ſancto dicens: Date mihi poteſtatem, vt cuicunque manus impoſuero, accipiat ſpiritum ſanctum. Cui dictum eſt à Petro: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, id eſt, ad perditionem tibi proueniat. Si ergo Symon qui dare voluit pecuniam pro accipiendo ſpiritu ſancto & non dedit, damnationem euadere non potuit, quid illi faciēt qui dant & accipiant & mediatores fiunt? Certè dānabuntur. *Scriptum eſt quia domus mea domus orationis eſt*. Domus Dei ſancta eccleſia eſt, ſicut ſuprà diximus. Ioan. 8.

Sicut ergò domus Dei in ciuitate aliis domibus eminet, ita & in plebe fidelium vita religioſorum præcellere debet. *Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronũ.* Domus ergo Dei ſpelũca latronum eſt, quia mens fidelium hoc hodie certat in cogitatione, vndè valeat proximis nocere. *Et erat quotidie docens in templo.* Quotidie docet dominus in templo, quando euangelium recitatur in ſancta eccleſia. Quando ergo Deus ſpiritualiter ſuggerit in cordibus noſtris quid vitandum, quidue agendum ſit, vt relinquamus mala, & ſectemur virtutes, quotidie veritas in templo docetur. Sed tunc veraciter docemur, cùm in omnibus actibus noſtris diem nouiſsimum cogitamus, iuxta Salomonis vocẽ qui dicit: In omnibus operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis. Inſiſtamus igitur præceptis & mandatis Dei & opere impleamus, vt adueniente die mortis noſtræ, vel die iudicij conſortes regni cœlorum effici mereamur.

Dominica vndecima.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Lucæ decimo octauo.

Duo homines aſcenderunt in templum, &c. In textu euãgelij legitur, quod hanc

hanc parabolam dominus ad eos dixe-rit, qui de ſua iuſtitia præſumebant & alios deſpiciebant. Quia quidam erant in populo Iudæorum qui aſpernabātur. i. deſpiciebant cæteros putantes ſe ſan-ctiores eſſe & meliores omnibus, qbus proponit dominus parabolā iſtam, di-cens: *Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent:* Aſcendiſſe ideo dicuntur, qa templum Dei Hieroſolymis conſtitutū in monte Syon erat. Ipſa domus, domus orationis erat, vndè ſcriptum eſt: Do-mus mea domus orationis eſt. Ad hoc enim conſtructum erat, vt ibi vota & preces ſuas domino commendarent ſa-crificiáque & victimas domino offer-rent. *Vnus phariſæus & alter publicanus.* Phariſæi legis doctores erant in populo Iudæorum, quia legem habebant & vnū Deum credebant. Vndè dominus alibi dicit: Supra cathedram Moſi ſederunt ſcribæ & phariſæi. A Phares filio Iudæ appellantur phariſæi, & interpretantur diuiſi, quia ſegregabant ſe à cætero po-pulo, ſanctitatis ſibi priuilegium vendi cantes. De quorum numero iſte phari-ſæus fuit qui aſcendens in templum, ex-tollens ſe de meritis ſuis à templo rediit iniuſtus. Publicani dicuntur qui publi-cis negotiis inſeruiunt, qui de vna pro-uincia tranſeunt ad aliam, vectigalia pu blica adminiſtrantes, vt poſsint diuitias

augere. Vel publicani dicuntur, qui fiſcis regalibus vel mercatis præſunt, & publicè peccant. Per iſtos duos poſſum' intelligere duos populos, per phariſæū populum Iudaicum, per publicanū, populum gentilem. Qui aſcenderunt ad templum.i. ad ſocietatem ſanctæ eccleſiæ, & ad fidem venerunt. *Sed phariſæus*.i. populus Iudaicus qui ſemper ſuperbus & tumidus, extollens ſe iuſtificationibus legis, à domino non meruit iuſtificari. Publicanus autem.i. populus gẽtilis qui ad templum aſcendit iniuſtus, humiliter confitendo peccata ſua à templo rediit iuſtificatus. *Phariſæus ſtans*. Morem antiquum tangit, quia orantes non ſe terræ proſternebant, ſed erecti extenſis manibus precabantur. *Hæc apud ſe orabat*. Nõ inclinato capite, vt humilis, ſed erecta ceruice vt ſuperbus. *Deus gratias ago tibi*.i. refero tibi, *quia non ſum ſicut cæteri hominum raptores*, aliena rapientes, *iniuſti*, qui iuſtitiam Dei contemnunt. *adulteri*, qui alienum violant thorum, *velut etiã hic publicanus*. Quatuor ſpecies ſunt quibus omnis tumor ſuperbiæ dinoſcitur: Prima ſpicies ſuperbiæ eſt, quum homo bonum quod habet à ſemetipſo & nõ à Deo, exiſtimat habere. Cõtra quod Paulus apoſto. Quid habes quod non accepiſti? Si habet caſtitatem aut ſobrietatem, ſi ſapientiam, omnia à ſe habere

pu-

putat, & non à Deo qui dicit: Sine me nihil poteſtis facere. Secunda ſpecies ſuperbiæ eſt, quum homo bonū quod habet à deo accepiſſe ſe credit, & hoc ſuis meritis. Contra quod apoſt. Paul. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Tertia ſpecies eſt, quum homo æſtimat ſe habere quod nō habet, putat ſe eſſe caſtum, cū ſit luxurioſus: putat ſe ſobrium cū ſit ebrioſus: putat ſe eſſe cōtemptorem mundi, cū ſit amator mundi. Cōtrà egregius prędicator dicit: Qui dicit ſe aliquid eſſe cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Quarta ſpecies eſt, cū homo bonū ſingulariter ſibi videri appetit habere quod habet, ſpretis cęteris. In qua peſte ſuperbię iſte phariſæus laborabat, qui iactādo ſe de meritis ſuis orāti publicano ſe prætulit. *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo*. Quomodo poteſt homo bis ieiunare in ſabbato? Iudæi omnes dies ſuos à ſabbato computant, dicentes primam ſabbati, &c. ſicut nos primam feriam. Sed ſabbatum pro tota hebdomada poſuit. Ieiuno bis in ſabbato. i. in hebdomada quæ ſabbato concluditur. *Decimas do omnium quæ poſſideo*. Scribæ & phariſæi, vt ſanctiores viderentur eſſe, etiā de minutis oleribus Deo decimas dabāt. Quibus improperat dñs: Væ vobis ſcribæ & phariſæi q decimatis Menthā & Cyminum & Anethū, & relinquitis

ea quæ grauiora ſunt legis i. iuſtitiam & iudicium non facitis. Ezechiel propheta dicit ſe viſionem quatuor animalium vidiſſe ſecus fluuium Chobar, plena oculis antè & retrò, quæ licet plura ſignificent, ſpicialiter tamen doctores deſignant eccleſię. Qui oculati vndique dicuntur, quia actio ſanctorum ex omni parte debet eſſe circũſpecta, bona, deſyderabiliter prouidens, & mala ſolerter cauens. Sed nos dũ alijs rebus intendimus, fit vt alia negligamus, & vbi negligimus, illi proculdubio oculum mẽtis non habemus. In hoc loco oculũ pro mente poſuit. Iſte ergò phariſæus oculũ habuit ad Deo gratias referendas, ad eleemoſynas faciendas, & ad ieiunium, ſed ad humilitatis cuſtodiam oculũ non habuit. Quid namque prodeſt vt dicit Gregorius, ſi tota ciuitas muniatur, vnum tamen foramen relinquatur, per quod ab hoſtibus intretur & vrbs capiatur? Idẽ. Quid prodeſt ſi anima cęteras virtutes habuerit, Vnam tamen reliquerit vndè à diabolo ad mortem capi poſſit? *Et publicanus à longè ſtans, nolebat oculos ad cœlum leuare.* Phariſæus iſte prope altare erat, ſed publicanus longè erat ab altari poſitus, & appropiare nõ audebat. Oculos ſuos non audebat ad cœlũ leuare, q̃a ſciebat ſe illũ offendiſſe qui in cœlis habitat. Qui per prophetam dicit:

Cœ-

Cœlum mihi ſedes eſt. *Sed percutiebat pectus ſuum.* Tonſio pectoris pœnitētiæ indicium eſt. Ideo pcutiebat pectus ſuū quia ſciebat ſe in pectore flagitia cogitaſſe diuerſa, per quæ Deum offenderat. In pectore enim verſantur malæ cogitationes. *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Qui dicit propitius eſto mihi, ſpem veniæ habere ſe domonſtrat. Quod autem ſubdit: Mihi peccatori, oſtendit ſe de meritis ſuis non confidere. *Amen amen dico vobis, deſcendit,* i. publicanus, *iuſtificatus in domum ſuam ab illo.* Id eſt, plus quā ille phariſæus, vel ab illo templo. Hoc & de vtroque populo .i. iudaico & gentili & de omni ſuperbo & humili intelligi poteſt. *Quia omnis qui ſe humiliat exaltabitur.* Totam iſtam ſimilitudinem dominus ſub vno comprehendit cùm dicit. *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur.* Quæſtio hic oritur cur dominus dicat: Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur cùm quotidie videamus homines ab infantia vſque ad decrepitam ætatem ſemper exaltari, nunquam humiliari, & videamus etiam homines ab infantia vſque ad terminū vitæ humiliari & nunquam exaltari. Ad quod reſpondendum eſt. Quia non dixit dominus, de præſenti humiliatur & exaltatur, ſed de futuro humiliabitur & exaltabitur. Quaſi dixiſſet. Omnis

qui

qui ſe exaltat. i. qui incautè de meritis ſuis præſumit, ſicut iſte Phariſæus fecit, & ſi non humiliatur ab hominibus in præſenti, humiliabitur autem in futuro à domino, quando tradetur diabolo & angelis eius in ignem æternum, dicente ipſo domino: Ite in ignem æternum. *Qui autem ſe humiliauerit*. i. humiliter cõfeſſus fuerit peccata ſua, & ſi non exaltatur ab hominib⁹ in pręſenti, exaltabitur autẽ in dño in futuro, quãdo ęternę beatitudinis præmium recipiet & audire merebitur ab ipſo domino: Euge ſerue bone & fidelis intra in gaudium domini tui.

Dominica Duodecima.

Homilia ſuper eo verbo,

Marc. VII.

EXiens Ieſus de finibus Tyri venit per Sidonem, &c. Superiùs dixit Matth. euang. quod diſceſſerit dominus à Iudæis in partes Tyri ciuitatis Phœnicum, vbi ſanauit filiam mulieris Cananeę. Qua ſanata egreſſus de finibus Tyri venit per Sidonem, id eſt, per regionem quę pertinebat ad Sidonem aliam ciuitatem Phœnicum ad mare Galileæ. Quomodo venit inter medios fines Decapoleos, id eſt, per medios fines regionis illi⁹ quę Decapolis vocatur à numero decẽ vrbium. Deca enim decem, polis

Mat. 7.

dicitur

dicitur regio trans Iordanẽ ad oriẽtem plagam, quæ decem ciuitates habet. *Et adducunt ei ſurdum & mutum* Iſte homo ſurdus & mutus erat, & ideo aliorum auxilio indigebat. Allegoricè iſte ſurdus & mutus ſignat genus humanũ, quod obſurduit & obmutuit in primo homine Adam. Ipſi nanq; dixit Deus: Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſciẽtiæ boni & mali ne comedas, dũ huic præcepto obaudiuit. i. non obediuit, quaſi ſurdus effectus eſt: dũ verò pomũ interdictũ comedit, quaſi mutus factus à laude creatoris ſui ceſſauit. Anteà laudabat Deum inter angelos, poſtmodum non meruit dignè laudare, quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et per Pſal. 46. dicit Deus peccatori: Quare tu enarras iuſtitias meas & aſſumis teſtamẽtum meum per os tuum? Quod ſurditas *Eccl.* 15
& taciturnitas permanſit in genere humano vſq; ad aduentũ filij Dei, exceptis paucis Iudęis & patriarchis videlicet & prophetis, Abraham, Iſaac, & Iacob, & Moſe, & cæteris qui cognitionem Dei habuerunt, & cũ domino loquuti ſunt, per quos etiam diuina eloquia prolata ſunt generi humano. Sed quid fecit dominus miſertus noſtri? Venit p medios fines Decapoleos ad mare Galilææ. Per decapolim deſignantur Iudæi propter decalogum legis. Per mare Ga-
lilææ

ſilicæ deſignantur gentiles qui tumidi erant. Veniēs dominus in mundum per incarnationis myſterium, reliquit Iudæos qui de præceptis legis erant imbuti, & venit ad tumentia corda gentiliū, vt gratiā eius quā Iudæi amittebāt non credendo, gentiles reciperent credēdo. Quomodo venit? Per prędicationē apo. de quibus dixit: Euntes in mundū vniuerſum &c. *Et adducunt ei ſurdum & mutum*. Qui ſunt qui adduxerunt ſurdum & mutum? Apoſtoli & apoſtolici viri q adduxerunt ad dominum Ieſum Chriſtum gentilem populum ſua prædicatione Gentilis populus ſurdus erat & mutus, ſurdus quia non habebat aures ſpirituales ad audiendū verbum Dei, quas dominus requirit in euang. cùm dicit Matt. 13. Qui habet aures audiendi audiat. Mutus erat, quia nō laudabat creatorem ſuum, ſed idola, Iouem, Mercurium, Dianam, Venerem, & cætera dæmoniorum portenta. Pro quo populo deprecati ſunt apoſt. Dominū, vt imponeret illi manum. i. vt operationem ſuā exhiberet circa illum iuuando eum ad fidem. Moraliter ſurdus eſt qui verbum Dei non audit ad vtilitatem ſui. Mutus eſt, qui laudem ſui creatoris non habet in ore. Iſtos tales neceſſe eſt, vt hi qui lōgo vſu & audire verbum Dei didicerint. & loqui domino, ſanandos offerāt, qua-

tenus quos humana fragilitas ſanare nequit, diuina gratia ſanet & illuminet. *Et apprehendens eum de turba ſeorſum*. Seorſum eduxit dominus ſurdum & mutum de turba, quia gentilem populum à turba dęmonum, & à cultura idolorum ſeparauit, & ad credulitatem ſuam perduxit, ad fidem per gratiam baptiſmi & p confirmationem ſpiritus ſancti. *Miſit digitos ſuos in auriculas eius*. In nullis alijs membris noſtris ita apparet partitio, velut in digitis, & ideo non inconuenienter deſignãtur per digitos dona ſpiritus ſancti, quæ enumerãs Paulus dicit: Alij datur per ſpiritum ſanctum ſermo ſapientiæ, &c. vſquequo ſubiungit. Hęc operatur omnia vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. Quòd per digitum deſignetur ſpiritus ſanctus, manifeſtat dominus in alio euangelio quũ dicit. Si ego in digito Dei eijcio dæmonia, profectò, peruenit ad vos regnum Dei. Iſte eſt digitus quo ſuperati Magi à Moſe in Aegypto dixerunt ad Pharaonem: digitus Dei eſt hic. i. ſpiritus ſanctus operatur in homine iſto. Et hoc digito ſcriptæ ſunt tabulæ lapideæ in mõte Synai. Si ergò dominus per ſpiritum ſanctum eijciebat dęmones & magi opere ſpiritus ſancti ſuperati ſunt, & lex in tabulis à ſpiritu ſancto dictata eſt, datur nobis intelligi, quia neq; tẽtationes dæ

mo-

monẽ ſuperare valemus ſine adiutorio ſpiritus ſancti, neq; verſutias prauorum hominum vitare, neq; cognitionem diuinæ legis poſſumus ſcire, niſi gratia ſpiritus ſancti nobis affuerit. Miſit ergo dominus digitos in auriculas ſurdi, qa dona ſpiritus ſancti infudit cordibus gẽtilium, vt haberent verã fidẽ in corde, & verã confeſsionem in ore, & per hoc ſaluarẽtur, iuxta quod Apoſt. dicit: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. *Et expuens tetigit linguam eius.* Nunquid poterat ſine ſputo ei loquelã reddere? Poterat vtiq;, ſed ideo expuit & tetigit linguã eius, vt facta ſua myſteriũ haberent. Sputũ ex ore ꝓfluit, & ideo ꝑ ſputũ hic poſſum⁹ intelligere doctrinã euãgelicã, quę ex ore Dei prodijt. Et ſputo ſuo nãq; dominus muto loquelã reſtituit: quia per doctrinam euangelicã populum gentilẽ ad lumen fidei perduxit. Tale quid legimus ſecundũ Ioan. 9. vbi dñs ſanaturus cæcum à natiuitate expuit in terrã & fecit lutum de ſputo, & de puluere terrę liniuit oculos cæci, dixitq; illi: Vade ad natatoriam Syloe & laua. Et abijt & lauit, & vidit. Poſtquàm dominus liniuit oculos cęci de luto, miſit eum ad Syloe quod interpretatur miſſus: quia homo cũ percipit fidẽ qualiter credere debeat, baptizať à ſpiritu ſancto. Quod poſtmodũ erat dominus

minus facturus in genere humano, hoc tunc præfigurare voluit in illo loco. Super⁹ intellexit p ſpiritũ dñi doctrinã euãgelicã quæ ex ore eius procedit, modo per ſpiritum intellige ſapientiã Dei patris, quæ eſt filius Dei qui dicit Salo. Ego ſapiẽtia ex ore altiſsimi prodiui ante oẽm creaturã primogenita. Sputũ ergo dñi mixtũ eſt puluere terræ: quia diuinitas verbi Dei quæ à patre proceſsit, aſſũpſit carnẽ humanã, iuxta quod Ioã euã. 1. dicit: Verbũ caro factum eſt. Et de luto facto ex ſputo & puluere illuminatus eſt cæcus, quia per fidem dominicæ incarnationis, qui Deus eſt & homo illuminamur ad fidem & ſaluamur. *Et ſuſpiciẽs in cœlum* Specio verbũ fuit apud antiquos, ſed modò ſimplex non habetur in vſu. Cõponuntur tamen ex eo aſpicio & ſuſpicio. *Et ſuſpiciens in cœlum.* Sanaturus dominus ſurdum & mutum ſuſpexit in cœlum, vt daret nobis exemplum quotienſcunque pro infirmitatibus corporum vel animarum, hoc eſt, pro peccatis minuendis exorare dominum volumus, intuitum mentis noſtræ illuc. i. in cœlum dirigamus, Vbi ille habitat qui dicit: Cœlum mihi ſedes eſt. Ab illo petamus medelam corporũ & animarũ, qui eſt fons oĩm bonorũ, iuxta quod Iac. 1. dicit: Omne datum optimum, & omne donum perfectũ deſurſum eſt. *Ingemuit.*

Qua-

Quare ingemuit Dominus, in cuius po teſtate omnia ſunt quæ vult facere? Vt demõſtraret quia quotiens aut pro in⸗firmitate corporea, ſiue noſtra ſiue pro⸗ximorum, aut pro erratibus noſtris Dei miſericordiam ſupplicamus, cum gemi⸗tu hoc debemus facere. Vel etiam ſi poſ⸗ſumus cum lachrymis, vt facilius Dei miſericordiam in nos prouocemus. *Et ait illi: Effeta, quod eſt adaperire.* Effeta he breus ſermo eſt. Quid ſit Effeta, manife⸗ſtat euange. quum ſubiungit, adaperire. Aperiendæ erant aures illius ſurdi ad audiendum, & lingua à retinaculis ſuæ tarditatis ſoluenda, vt loqui poſſet, ideo dixit domin⁹: Effeta. i. adaperire. Ex hoc loco inoleuit mos in ſancta eccleſia, vt presbyteri dicant Cathecuminis, quan⸗do tangunt aures illorum de ſputo. Ef⸗feta. *Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſo⸗lutum eſt vinculum linguæ eius.* Nulla mo ra inter verbum Domini & opus eius, quia in verbo illius, ibi cõſtat operatio eius, iuxta quod Pſal. 23. dicit de eo: Ipſe dixit & facta ſunt. Vbi dixit, adaperire ſtatim, *apertæ ſunt aures eius, & ſolutũ eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè,* ſine impedimento balbutiendi. Ille re⸗ctè loquitur ſiue Deũ laudando, in miſ⸗ſarum celebrationibus, in Pſalmis & in reſponſorijs, ſiue alijs prædicando glo⸗riam Dei, cuius aures cordis per gratiã

ſan⸗

ſancti ſpiritus, dominus aperit ad intelligenda eloquia ſua. Et cuius linguam dominus ſoluit, vt ſe laudare poſsit, meritò talis poteſt dicere cum propheta Eſa. 50. capite. Dominus aperuit mihi aurem, vt audiam eum quaſi magiſtrum. Et cum Pſal. 50. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Aperies dixit pro aperi, Futurum indicatiui pro imperatiuo ponens. *Et præcepit illis, ne cui dicerent*. Alibi dicit dominus Matth. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Si ergò opera bona coram hominibus iubet fieri ad ędificationem, quare opus ſuum vult taceri, quod ſurdo & muto reſtituit ſanitatem, niſi vt demonſtraret beneficia noſtra non vulganda eſſe, ſed premenda? Vt vbicunque aliquid boni agimus, non ſolum à pecuniæ mercede abſtineamus, verũetiam à gratia laudis humanæ ne dicatur nobis in die iudicij. Recepiſtis mercedem veſtram. Debent nanque bona opera noſtra & lucere in conſpectu hominum, vt ædificentur alij exẽplo noſtro, ita tamẽ occultari vt ea intẽtione faciamus, qua ſoli Deo placere valeamus non hominibus. Ita fit opus noſtrum in publico, vt recta intentio maneat in occulto. *Quantò autẽ eis præcipiebat, vt tacerent, tantò magis præ*

dicab

dicabant, &c. Nunquid factum eſt quod dominus noluit? Non. Quia ipſe qui exteriùs præcipiebat vt tacerent, ipſe interiùs inſtigabat vt prædicarent. In hoc dedit exemplum pigris prędicatoribus, quibus officium prædicandi in ſancta eccleſia cōmiſſum, vt non ceſſent prædicare. Quibus dicitur per proph. Eſai. 58. Clama ne ceſſes. Et Dom. in euang. Marci. 16. Ite in mundum vni &c. Et alibi. Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure auditis prędicate ſuper tecta. Ac ſi diceret dominus talibus: Si illis quibus ego præcepi vt tacerent, non potuerunt tacere, ſed potius huc illucq́ prædicauerunt gloriam meam: quanto magis vos ô prædicatores eccleſiæ debetis prædicare populis verbum Dei & vitam æternam, de qua pœnitentiã agẽtes exhilarẽtur? *Et eò amplius admirabãtur, dicẽtes: Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Superiùs in hoc euang. de vno ſolummodo ſurdo & muto fit mentio: hîc autem pluralem numerum poſuit euang. dicens: Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire & mutos loq. Et ideo datur nobis intelligi, quia nonſolummodo vnus ſurdus & mutus, ſed plures à domino ſanati ſunt. Hoc impletum eſt in populo gentili. Gentilis populus ante incarnationem filij Dei ſurdus erat & mu-

tus,

tur. Surdus, qa nõ audiebat Dei verbũ. Mutus quia laudem creatoris non habebat in ore, ſed carmina poëtarum, paganorum, & laudes Iouis, Mercurij, & Apollinis. Sed poſtquàm venit ad dominum per prædicationem apoſtolorum, percepit rectam fidem in corde, & rectam confeſsionem in ore. Moraliter omnis homo qui ſeculariter viuit, qui verba turpia & riſui apta ſectatur, & qui carminibus meretricum aures libenter accommodat, ſurdus & mutus eſt, ſed ſi per Domini gratiam compunctus ad audienda libẽter Dei verba ſe conuertit, & dominum laudare in Pſal. in hymnis, & cæteris cãticis ſpiritualibus cœperit, completur in illo quod hic dicit: Bene omnia fecit Ieſus, quia in talibus operatur Ieſus. Surdos fecit audire, & mutos loqui. Qui antea de ſecularibus loquebantur, videlicet de ſuis canibus vel de ſuis accipitribus, fecit eos ſe laudare & benedicere.

Dominica decimatertia.

Homilia ſuper eo verbo,

Lucæ X.

B*Eati oculi qui vident quæ vos videtis.* Vertex huius lectionis ſacræ perplexam, & valde difficilem mouet quæſtionem, quare dicit dominus: Beati oculi qui vident quæ vos videtis, cùm Lu-

cas ſuperiùs narret quòd deſignauit do-
minus ſeptuaginta duos diſcipulos, mit-
tens illos binos ad prędicandum in om-
nem locum & ciuitatem, quo erat ipſe
venturus. Et poſt prædicationis offi-
cium completum, reuerſi ad eum dixe-
runt: Domine, in nomine tuo etiam dæ-
monia nobis ſubijciũtur. Ille autem re-
ſpondens, dixit eis: Nolite gaudere ſi in
nomine meo vobis dæmonia ſubijciun-
tur, ſed potiùs in hoc ꝙ nomina veſtra
ſcripta ſunt in cœlis. Et ſtatim exultauit
in ſpiritu ſancto, dicens: Confiteor tibi
pater domine cœli & terræ, quia abſcõ-
diſti hæc i. myſteria incarnationis meæ
ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti
ea paruulis, hoc eſt, apoſtolis meis. Et
poſt paululum conuerſus ad diſcipulos
dixit. *Beati oculi qui vident quæ vos vide-
tis.* Non oculi ſcribarum & phariſæorũ
fuerunt beati, quia viderũt dominũ ho-
minem, non tñ crediderunt verum Deũ
& hominem, nec crediderunt verũ Deũ
eſſe. Beati ergo fuerunt oculi apoſt. cor-
poris & mẽtis, quia viderũt dominũ cor-
poralibus oculis corporaliter ambulan-
tem, & mẽte crediderũt verum Deũ eſſe
in ſua maieſtate manentem. Ideóq; ocu-
li ipſorũ beatificãtur, illorum verò hac
beatitudine priuantur. *Dico enim vobis,
quòd multi prophetæ & reges voluerunt vi-
dere quæ vos videtis, & audire quæ vos au-
diſtis,*

dijs.i.euangelium ex ore meo. *Et non au dierunt.* Quos hic Lucas appellat reges, Matthæus vocat iuſtos. Rex dicitur à regendo, quia vnuſquiſq; homo qui rectè credit & iuſtè viuit rex eſt. Omnes prophetæ & patriarchę & reges qui aduentum dñi præceſſerunt, omni deſyderio deſyderauerũt videre dominum ſecundum carnem & non viderunt. Abraham, vt ipſe dominus in alio in loco teſtatur, exultauit vt videret diem Chriſti, & vidit & gauiſus eſt. Eſaias vidit dominum ſedentem in habitu regnantis, & agmina Cherubim dicentia. Sãctus, ſanctus, ſanctus, Michęas vidit dominũ ſedentem in habitu regnantis. Dauid Pſalm. dicit: Excita domine potentiam tuam & veni. Et, Domine Deus virtutũ conuerte nos, & oſtende faciem tuam & ſalui erimus. Eſaias quoque dicit: Vtinã dirumperes cœlos & deſcenderes, & defluerent montes à facie tua Sed omnes iſti à longè & per ſpeculum viderunt, & in ænigmate. Sed quod iſti ſpiritualibus oculis videre meruerunt. Impræſentiarum enim dominum habentes, cum illo manducabant & bibebant, in conſpectu illius dormiebant, & quicquid interrogare volebant, ab illo interrogando diſcebant. Per momenta enim temporum fit diuinæ cognitionis augmentũ. Plus quoq; ſciuerunt prophetæ de Chriſto, ꝙ

 patriar-

patriarchæ. Hinc eſt quod dicitur Moſi: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, & nomen Adonai non indicaui eis, id eſt, patriarchis. Dauid autem dicit: Super ſenes intellexi, id eſt, ſuper patriarchas & prophetas. Apoſtoli autem proceſſu temporis nati, non ſolùm plus quàm patriarchæ & prophetæ, verumetiam omnia quæ de Chriſto mortalibus noſcenda erant, aperta reuelatione didicerũt. Quibus dicitur: Omnia quę audiui à patre meo, nota feci vobis. *Et ecce quidam legiſperitus*, hoc eſt legis doctor legem ſciens, ſurrexit de ſolio ſuo: *tentans illum*. Vbi accepit occaſionem tentandi dominum? Ex verbis ſuperiùs prælibatis, quibus dixerat diſcipulis ſuis: Nolite gaudere quòd in nomine meo dęmonia vobis ſubijciuntur, ſed potiùs in hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Hoc audiens ideóque volens nomen ſuum aſcribi in cœlo venit ad dominum. Cur ergo dicit tentans eum, cùm ei dominus dicat: Non es lõge à regno Dei. Poterat ſiquidem fieri, vt primum cauſa tentandi veniret, ſed audita domini veriſsima & ſaluberrima reſponſione in eum credidit, in tantum vt hac beatitudine dignus habitus ſit. *Magiſter quid faciẽdo vitã æternã poſſidebo*. i. q̃d operis operabor, vt vitã æternã poſsideã, & vt nomẽ meũ

ſcri-

ſcribatur in cœlis? *At ille dixit: In lege quid ſcriptum eſt? Quomodo vita æterna le-gis?* Quia ſciebat eũ legiſperitum, idcircò ex ipſis ſuis verbis vult eũ inſtruere. *Ille autem reſpondens dixit: Diliges dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo.* i. ex tota mente: *ex tota anima tua.* i. ex voluntate. *Et ex omnibus viribus.* i. ex omni fortitudine: *& ex omni mente tua.* i. ex tota memoria & ratione. *Et proximum tuum ſicut teipſum.* i. vnumquemque hominem. In dilectione Dei non eſt modus ponendus, in dilectione autem fratris eſt exhibendus. Nã Deus in omnia & ſuper oĩa eſt diligendꝰ, fratres verò vt noſmetipſos: & quod nobis fieri volumus, æquè illis faciamus. *Dixitq́; illi: Rectè reſpondiſti,* de vita æterna: *hoc fac & viues: Ille autem volẽs iuſtificare ſeipſum.* i. volens iuſtus haberi à populo, *dixit ad Ieſum: Et quis eſt meus proximus? Suſpiciens autẽ Ieſus,* verba illius ad diſputanda. i. reſpondens ad hęc quę ille prætulerat, ita ſuũ tẽperauit ſermonem, vt quæſtioni illius ſatisfaceret, & hãc demonſtraret parabolam ſpecialiter ad ipſum mediatorẽ Dei & hominẽ pertinere, dicens: *Homo quidã deſcendebat ab Hieruſalem in Hiericho* Homo ille ſpecialiter Adam intelligitur in genere humano. Hieruſalam quæ intelligitur viſio pacis, illam ſignat vitam in qua primus homo conditus à Deo poſitus eſt.

Primus homo ad hoc creatus fuit, vt niſi peccaſſet completo numero electorũ de paradiſo terreno tranſiret ad paradiſum cœleſtem ſine morte corporis. i. ad Hieruſalem ſupernam quæ eſt patria æternæ beatitudinis, in qua angeli & ſancti in pace conſtituti ſemper Deum facie ad faciẽ contemplẽtur. Vbi peccauit mãducando de cibo vetito cõtra præceptum domini, de cœleſti Hieruſalem eiectus eſt, & miſſus in Hiericho, i. in hanc mortalem vitam. Hiericho nanque interpretatur luna. Luna in ſacro eloquio pro defectu carnis ponitur, i. pro mortalitate: quia ſicut luna menſtruis momentis creſcit & decreſcit, ita homines creſcunt per naturam, & decreſcũt per mortem: creſcunt per abundantiam, decreſcunt per inopiam: creſcunt per lætitiã, decreſcunt p triſtitiã. *Et incidit in latrones.* Latrones diabolũ & angelos eius intellige, in quo ſaucius incidit: quia niſi intus intumuiſſet, exteriùs tẽtatus non tã citò caderet, quia dæmones quando ad nos veniunt, occultè ſuadent ad malum. *Qui etiam deſpoliauerunt eum.* i. dæmones genus humanum: quia veſte innocentię & immortalitatis priuauerunt eum. *Et plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.* Per plagas intelliguntur peccata. Sicut enim corpus plagis ſauciatur, ſic peccatis anima cruentatur. Quomodo plagauit

gauit diabolus hominē? Quando ſua-ſit ad peccandum, dicens: Cur præce-pit vobis dominus Deus veſter ne come-deretis de ligno ſcientiæ boni & mali? Scit enim dn̄s Deus, quia in quacunq; die comederetis ex eo, aperientur oculi veſtri & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. *abierunt*. Quare dicuntur dæ-mones abire, cùm nullo temporis ſpa-tio ceſſent ab impugnatione? Sed abire eorum eſt non ab inſidijs aliquatenus ceſſando, ſed ipſas fraudes inſidiarū ſua-rum occultando, *ſemiuiuo relicto*. Semi-uiuum reliquerunt dæmones genus hu-manum, quia licet peccare fecerint, ta-men rationem ſcientiæ ab eo auferre nō potuerunt. Ex ea enim parte qua pecca-mus morimur, ex qua rationabiles ſu-mus, viuimus. *Accidit autem, vt ſacerdos quidam*, videlicet Aaron *deſcenderet eadē via*. Per hunc ſacerdotem intelligitur Aaron, qui per Moſen fratrem ſuum, ele-ctus fuit in ſacerdotio, & omnes miniſtri veteris teſtamenti, qui vſque ad ad-uentum domini fuerunt. Accidit ergo, vt ſacerdos Aaron deſcenderet eadē via qua primus homo deſcendit: quia pecca-uit primus homo, peccauit & ipſe quan-do fecit vitulum in Oreb, vt adorarent filij Iſraël. *Et videns eum pertranſijt*. Vi-dens ſacerdos gen⁹ humanum tabeſcēs peccatis, non potuit ſoluere cum ab ils

lis: Quare? Quia & ipſe peccator erat. *Similiter & leuita cùm eſſet ſecus locum, & videns eum pertranſijt.* Per hunc leuitam intelligitur Moſes. Similiter & leuita Moſes deſcendit eadem via qua primus homo deſcẽderat, quia peccauit primus homo, peccauit & ipſe ad aquas contradictionis. *Et videns eum pertranſijt.* Vidit ergo ſacerdos, vidit & leuita vulneratũ hominem & pertranſierunt, quia viderunt genus humanum plenum peccatis, & non potuerunt liberare eum. Quare? Quia peccatores erant: donec veniret ille qui nullum peccatũ omnino habuit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Mundæ debent eſſe manus, quæ tergere debent ſordes alterius coinquinationis. Non enim manus ſordes tergere valent quæ lutum tenent. *Samaritanus autem quidam iter faciens.* Samaritanus, interpretatur cuſtos, & ſignat Chriſtum qui cuſtos eſt humani generis, quem deprecatur Pſalm. ne inter hos latrones .i. dæmones poſsit incurrere dicens: Cuſtodi me à laqueo quem ſtatuerunt mihi. Et de quo idem Pſalm. Non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſrael: Ad quem clamat populus ex Seir .i. ex deſertis gentiũ. Cuſtos quid de nocte .i. tu es ille cuſtos qui de nocte infidelitatis liberas populum tuum. Vel aliter. Cuſtos quid de nocte, cuſtos quid

Pſalm. 140. et 120.

de

de nocte, ſubauditur peccatorum cogi-
tas? Quomodo fecit dominus iter ſuum?
De ſinu patris deſcendit in vterum vir-
ginis, de vtero venit in præſepe, de præ-
ſepio prædicando aſcendit in crucem,
de cruce deſcendit in ſepulchrum, de
ſepulchro in anima ſola deſcendit in in-
fernum, & iterum rediit in ſepulchrum,
de ſepulchro aſcendit ad cœlum. Hoc
fuit iter domini: *Venit ſecus eum.* Ve-
nit Dominus ſecus primum hominem
vulneratum, quia propter nos & pro-
pter noſtram ſalutem deſcendit de cœ-
lis, & factus eſt homo inter homines, ſi-
cut Paulus dicit: In ſimilitudinem ho- *Phil. 2.*
minum factus, & habitu inuentus vt ho
mo, *miſericordia motus eſt.* Non pro no-
ſtro ſed gratuito munere miſertus eſt no-
ſtri. *Et appropians alligauit vulnera eius.*
Appropiauit dominus generi humano
quando carnem aſſumpſit, & qui anteà
erat inuiſibilis Deus per diuinitatem,
factus eſt viſibilis per humanitatem,
vt Ioannes dicit. Verbum caro factum *Io. 1.*
eſt, *alligauit vulnera eius* quando dixit:
Pœnitentiam agite, *infundens oleum &*
vinum. Oleum lenis fomenti blandi-
mentum præſtat, vinum verò auſterit-
tem. Infundit oleum cum cũ ait: Appro-
pinquabit enim regnum cœlorũ. Infun-
dit & vinum, cum ſubiungit: Omnis ar-
bor quę nõ facit fructũ bonũ, excidetur *Mat. 7.*

& in ignem mittetur. Quando dominus prædicauit de regno cœlorũ, quaſi tũc infudit oleũ: & quando de pœnis inferni, quaſi tunc infudit vinum. *Et imponens illum in iumentum ſuum.* Iumentum nempe dicitur quaſi adiumentum, eò quod corpora noſtra feſſa ſubleuet & adiuuet. Per iumentum etenim ipſa caro mediatoris Dei & hominum domini noſtri Ieſu Chriſti ſignatur. Imponi itaq; eſt in iumentum, eſt incarnationem Chriſti credere, & reſurrectionem, & aſcenſionem. *Et*

Ioan. 2. *duxit in ſtabulum: & curam eius egit.* Per ſtabulum deſignatur ſancta Eccleſia, in qua pia animalia ruminant diuinarũ pabula ſcripturarum. Redemit dominus genus humanum proprio ſanguine, & adduxit in ſtabulum, i. in ſocietatẽ ſanctæ eccleſiæ. Quia ſicut in ſtabulo reficiuntur animalia vt meliùs poſsint iter ſuum peragere: ita & nos reficimur corpore & ſanguine Chriſti in eccleſia, vt melius poſsimus ad regnum cœlorum peruenire. Et curam eius egit, & per ſe, & per apoſtolos ſuos. *Et altera die protulit duos denarios.* Altera dies eſt poſt domini reſurrectionem, nam prima die ante paſsionem ſuam illuminauerat eos, qui in tenebris & in vmbra mortis ſedebant, per prædicationem. Duo denarij ſunt duo teſtamenta, in quibus regis nomen & imago continebatur.

Pro-

Protulit dominus noſter duos denarios, id eſt, duo teſtamenta: quando aperuit diſcipulis ſuis omnia quæ ſcripta erant in lege & prophetis & pſalmis de eo, *& dedit ſtabulario, & ait:* Per ſtabularium deſignantur ordo doctorum, Epiſcopi & presbyteri, & omnes prælati eccleſię. *Curam illius habe.* Curam habuit dominus noſter de genere humano, quando miſit diſcipulos ſuos prædicare in mundo, dicens: Euntes in mundum vniuerſum, & cæ. *Et quodcunque ſupererogaueris, ego cum rediero reddam tibi.* Supererogat ſtabularius quod in duobus denarijs non accepit, id eſt, duobus teſtamentis, cùm dicit B. Paulus: De virginibus præceptum non habeo, conſilium autem do, quia melius eſt vt perſeuerent in virginitate ſua, ſicut & ego perſeuero. Et dominus in alio loco dicit per Paulum. Omnes qui euangeliū prædicant de euangelio viuant, ſed nos nō ſumus vſi hac poteſtate, ne quem veſtrū grauaremus. *Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones,* id eſt, ex iſtis tribus, ex ſacerdote qui ciuis illius fuit, vel ex leuita eiuſdem gentis, vel ex Samaritano exteræ gētis, proximus tibi videtur eſſe vulnerato illi, qui incidit in latrones? *At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Vade & tu fac ſimiliter,* id eſt, oſtende te proximum eſſe

Mar. 16

1. Co. 7.

vnicuique homini, ac ſi diceret. Quicquid vales in neceſsitate proximi tui tã ſpiritualis quàm carnalis ſubleuando, deuotus operare. Si ergo ex illis tribus nemo fuit proximus vulnerato, niſi qui miſertus eſt illi: certè nemo eſt tam proximus noſter quam dominus Ieſus, qui proprio ſanguine nos redemit, qui eſt caput omnium electorum. Nihil enim tam proximum membris, quàm caput. Ergo diligamus Deum vt caput noſtrum, diligamus eum vt proximum, diligamus etiam illum qui imitator eſt eius: vt ad regnum æternũ valeamus peruenire.

Dominica decimaquarta.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Lucæ decimoſeptimo.

CVm iret Ieſus in Hieruſalem, &c. *Studium domini ac ſaluatoris noſtri erga reparationem generis humani oſtenditur, dum crebrò de loco ad locum tranſire, officiumq́ prædicationis implere perhibetur. Ait enim ſanctus euangeliſta: *Dum iret Ieſus in Hieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam.* Hieruſalem Metropolis fuit illius populi ciuitas, in qua erat templum famoſiſsimum, & toto orbe ſanctius. Samaria nanque caput extitit decem tribuum,

buum, ſed illis propter ſua facinora in captiuitate ductis, ab incolis gentium tenebatur. Galilæa vero pars ſeptentrionalis tribu Iudæ, dicta autem eo quod ibi candidiores homines præ cęteris populis turbæ Iudaorum naſcantur. Pergens vero dominus Hieruſalem, vt more ſolito doceret, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam, vt inter eundum ab officio prædicationis minimè ceſſaret. *Et cùm ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt decem viri leproſi.* Hi læproſi obuiam domino venientes nó in ciuitate, aut caſtello ſeu in oppido occurrerunt, ſed potius in via poſito, & hoc ſecundum legis edictum. Lex enim præcipiebat, vt ſi quis macula læpræ contaminaretur, á conſortio communis habitationis ſecerneretur. Lepra enim huiuſmodi morbus eſt, vt cutem quam occupauerit varijs coloribus interſtinguat. Signat non immerito hęreticos, qui varijs coloribus ſcinduntur, & quodammodo reſperguntur. Hi tales eliminandi ſunt ab eccleſia, quouſque dominum magnis vocibus exclamare eiuſq; miſericordiam expetere cogantur. Vnde iure Ieſum non ſaluatorem, ſed præceptorem vocant, in cuius verbis ſe erraſſe cognoſcũt. Magiſtrum dicunt, per cuius doctrinam ab erronea infidelitate ad viam ſalutis venire de- *Leui. 13*

deſyderant. *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.* Ex omnibus quos dominus ſanauit, neminem legimus ad ſacerdotes miſſum, niſi leproſos. Quoniam lex præcipiebat vt ſi quis contagione huius morbi viciaretur, mitteretur ad ſacerdotes, & illorũ iudicio mundus aut immundus decerneretur. Ideo miſit, ne daret occaſionem ſuis calumniatoribus reprehendendi & dicendi. In hunc nolumus credere, quia ſolutor eſt legis. Vel idcirco, vt demonſtraret, quoniam ſi ſacerdotium typicum adeò erat venerandum, vt à domino honoraretur, multò magis ſacrificium ſpirituale quòd in eccleſia tenetur in veritate, venerandum honorabiliſsimumq; foret. Vel etiam miſit, vt videntes illi per virtutẽ domini ſanatos, quos illi per legis miniſterium ſanare nequiuerant, aut crederent, aut inexcuſabiles fierent. *Et factũ eſt dum irent mundati ſunt.* Diuinitas actum eſt, vt in itinere ſanarentur, ne illi putarent ſe per legis miniſterium curatos, & non per virtutem domini ſanatos. *Vnus autem vt vidit quia mundatus eſt*, Iſte vnus vnitatem eccleſiæ ſignat. Nam vnus ſi addatur ad nouem, denarius efficitur, & tanta fit complexio vnitatis in vltra non numeretur, niſi ad vnum redeatur. Qui Samaritanus dicitur, demonſtrans multitudinem gentium ad fidem Chriſti coaduna-

natam. Quia virtutes quas habet & ſi ꝙ bonum cœlitus percipit, nō ſibi ſed mūdatori ſuo tribuit, cupiens ab eo cuſtodiri atque ſaluari dicens cum Pſal. Fortitudinem meam ad te cuſtodiam: Et miſericordia eius præueniet me. Nam in faciem dicitur cecidiſſe. In faciem cadere electorum eſt, retro reproborum. Qui enim retrò cadit, ibi cadit vbi non videt. Retrò cadere eſt in laqueum damnationis diaboli ruere. Vndè dictum eſt de aſcenſore equi, vt cadat aſcenſor eius retrò. Et de perſecutoribus domini. Abierunt retrò & ceciderunt in terram. In faciem verò cadere eſt de peccatis præteritis erubeſcere. De quibus Paulus. Quē ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? *Reſpondens Ieſus ait: Nónne decem mundati ſunt, & nouē vbi ſunt?* Vnus ergo ſi addatur ad nouē, quædam effigies vnitatis completur. Si quidem fideles per vnum, per nouē verò omnes reprobi in eccleſia figurantur qui ſacro baptiſmate curati, à laude ſui creatoris ceſſant, & in priſtinis vitijs permanent. De quibus Paul. Qui cùm Deū cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obcęcatum eſt incipiens cor eorum. Dicit enim: *Nónne decem mundati ſunt?* Requirit dominus quaſi neſciens. Neſcire enim

illius

illius reprobare eſt, vndè in fine dictus rus eſt: Neſcio vos. Sicut ecõtrà ſcire eſt ligere eſt. Vndè Moyſi dicitur: Noui te ex nomine. Et nouit dominus qui ſunt eius. *Non eſt inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena*. Hic apertiſsimè reprobatio Iudæorum, & collectio gentium notatur, cum ait: *Surge, vade*. Iacenti, ac ſe adoranti dominus vt ſurgat, imperat. Surge dicit, & ceſſa à vitijs. Quod quotidie agitur in ſancta eccleſia, dum dicit Deus peccatori. Surge de vitijs ad virtutes, à malo ad bonum, de bono ad optimum, vt proficiendo merearis videre Deum deorum in Syon. *Fides tua te ſaluum fecit*, fides ſaluat, infidelitas perdit. Si iſtũ fides ſaluauit, ergo infidelitas illos perdidit. Nos ergo ſtudeamus ne donis ſpiritualibus ingrati ſimus, vt non cum ingratis dãnatis, ſed cum gratias agentibus & dona Dei recipientibus dignè mereamur remunerari.

Dominica quintadecima.

Homilia ſuper eo verbo, Matt. VI.

NEmo poteſt duobus dominis ſeruire. Diuina lectio ſupra memorauit, qualiter docuerit dominus fideles ſuos cupiditatibus huius ſeculi abrenunciare, & theſaurum indeficientem atque æter-

æternum in cœlis theſaurizare dicens: Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi nec ærugo nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Demum annectit quod diuitijs huius ſeculi ſeruire, & præcepta Chriſti obſeruare ſimul non poſſunt. Cùm verò ad vnius Dei culturam, atque ſeruitutem eos prouocaret, oſtendens non poſſe ſimul vitijs & virtutibus ſeruire, ait inter cætera: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* Duo domini, Deus & diabolus intelliguntur. Dominus à dominatu dicitur. Quod nomen congruere illi videtur, qui omnia regit, gubernat, & dominatur, cui per Prophetam dicitur. Tu enim feciſti cœlum & terram, & vniuerſa quæ cœli ambitu continentur, dominus vniuerſorum tu es. Deus à timore dicitur, quod nomen rectè illi cõgruit, quẽ omnis creatura metuit. De quo quidam ait: Primus in orbe fecit dominus timorẽ. De quo etiam & ſapientiſsimus Salomon ait: Deum time, & mandata eius cuſtodi. Diabolus verò abuſiue, & & non propriè dicitur dominus ſuper illos, ſcilicet qui voluntati eius obediũt & eius deſyderijs. Iſtis ergo duobus vnº idemq; homo ſeruire nõ valet, quia cõtraria ſunt quæ dñs præcipit, & diabolus perſuadet. Aliud enim eſt quod dñs præcipit, aliud quod diabolus ſuggerit.

Dominus præcipit caſtitatem, diabolus libidinem, dominus humilitatem, diabolus ſuperbiam: dominus charitatem, diabolus diſcordias, & diſſenſiones diſſeminat. Et ideo vno eodem'qꝫ tempore vnus idem'qꝫ homo, ſimul Deo & diabolo ſeruire non poteſt. Neque enim humana mens tam ampla eſſe poteſt, vt vtroſqꝫ dominos capere valeat, quia ſicut per beatum Iob dicitur: Nemo eſt qui vtrunque valeat arguere, & mittere manum ſuam in ambobus. Vnde dominus per prophetam: Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs. Hinc nanque per Paulum dicitur: Quæ conuentio Chriſti ad Belial, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras, vel quæ pars fidelis cum infideli? ſubauditur, nulla. Nec putandum eſt, iuxta Nouatianum nobis peccatoribus veniam eſſe negandam, quia ſicut ſuperius diximus, nemo eſt vnus idemq̃ue homo, qui vno eodem'qꝫ tempore ſimul bonum & malum operari poſsit. Quare aũt homo iſtis duobus dominis ſeruire non poſsit, manifeſtatur cũm ſubditur. *Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit & alterum contemnet*. Contemnat ergo diabolum, adhæreat domino. Nemo enim tam peruerſæ mentis eſt, vt publica voce Deum ſe odire dicat. Sed odire dicitur non diligere, id eſt, præceptis illius non obtempe-

ſperare. Sicut enim qui diligunt præcepta illius cuſtodiunt, ita quoque qui nõ cuſtodiunt, nõ diligere ſe manifeſtant, ſicut alibi diſcipulis ſuis dicit. Si quis diligit me, ſermones meos ſeruabit. Et iterum: Qui habet verba mea & ſeruat ea, ipſe eſt qui diligit me. At verò Deũ non diligentibus dominus dicit: Et viderũt & oderunt me, & patrem meum. Qui autem iſti duo domini ſint, manifeſtatur, cùm ſubditur. *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.* Mammõ quippe Syriace, Latinè interpretatur diuitiæ, punicè autẽ mammon lucrum dicitur. Ac ſi diceret. Non poteſtis Deo ſeruire, & diuitijs nõ poſſumus, quia dum in acquirendo diuitias, vel in acquiſitarũ cuſtodia quis mentem occupat, profectò à Dei ſeruitio vacat. Notandum verò, quod non ait: Non poteſtis Deo ſeruire & diuitijs, qui enim diuitijs ſeruit, ſeruus eſt diuitiarum, quia non diſtribuit eas vt dominus, ſed cuſtodit vt ſeruus: Quibus dominus in euangelio dicit. Væ vobis diuitibus qui habetis conſolationem veſtram. Et item: Faciliùs eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. De quorum introitu Iac. Apoſt. dicit: Agite nunc diuites, plorantes, & vlulantes in miſerijs quæ aduenient vobis, diuititiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à

tineis

tineis comeſta ſunt. Cæterum fuerunt nonnulli, qui plurimas diuitias habuerunt, & ſerui diuitiarum nõ fuerunt ſed domini: quia legitimè eis vtentes nõ cuſtodierunt vt ſerui, ſed diſtribuerunt vt domini, ſicut Abraham, Iſaac, & Iacob, & duodecim patriarchæ, necnon & Dauid, Eſaias, Ezechias, qui plurimas diuitias habuerunt, & bene eas diſtribuerunt. Taliter quoq; B. Iob dominus diuitiarum extitit, qui dixit: Dominus dedit dominus abſtulit, ſicut domino placuit, ita factum eſt. *Ideo dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini*. In hoc itaque loco duas ſolicitudines attendere debemus, bonam ſcilicet & malã. Niſi enim bona ſolicitudo eſſet, nequaquam apoſt. Paulus diceret, Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, & ſolicitudine non pigri. Et Petrus: Omnẽ ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Et niſi eſſet mala ſolicitudo, nequaquã dominus in euang. diceret, qui à ſolicitudinibus & voluptatibus huius ſeculi ſemen verbi Dei ſuffocatur, vt non ferat fructum. Et ſicut in hoc loco cùm dicit: *Dico vobis ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ*. Neq; enim æſtimãdum eſt, quod dominus neceſſarium laborem abſtulerit, ſed ſuperfluã cogitationem interdixit. Alioquin

quin contrariũ videretur eſſe, quod pri-
mo homini dictũ eſt: In ſudore vultus
tui, veſceris pane tuo. Vndè & per Salo.
dicitur: Mane ſemina ſemen tuum. Et B.
Iob. Homo naſcitur ad laborem, & auis
ad volandum. Labor ergo exercendus
eſt, ſolicitudo tollenda. Sicut enim ſoli-
citudo ſuperflua nocet: ita quoq; ocioſi-
tas inimica eſt animæ. Hinc & Paul⁹ A-
poſt. quoſdã inordinate ambulantes, &
de alieno labore viuere cupientes redar-
guit, dicens: qui non laborat non man-
ducet. *Nónne anima plus eſt quàm eſca, &
corpus plus quàm veſtimẽtũ?* Ac ſi diceret:
Quid de minimis dubitas? qui maiora
præſtiterit, etiã minora ſubminiſtrabit.
Qui enim dedit animã & corpus, quod
maius eſt, vtiq; cibum & veſtimentum,
quod minimũ eſt, vndè corpus ſuſten-
tetur, tribuet. Et ne ad intelligenda hęc,
humana mens pigra remaneret, ex re-
bus viſibilibus dominus ſimilitudinem
propoſuit dicens: *Reſpicite volatilia cœli,
quoniam non ſerunt neque metunt.* Ac ſi di-
ceret: Si volatilia cœli, quæ Deus ad hu-
manos vſus creauit, ſic paſcit, cũ necdũ
habeãt horrea vel cellaria, quãto magis
hoiẽm quẽ ad imaginem & ſimilitudinẽ
ſuam creauit, fame perire nõ permittet.
Vndè & alius euan. pro volatilibus cor-
uos poſuit, dicẽs: Reſpicite coruos. Tra-
dunt nanq; naturã eſſe coruorũ, vt quã-
do

do pullos ediderint, tam diu à parentiſ
bus negliguntur, quoadusque nigreſcẽ-
do ſimilitudinem eorum in ſe expreſ-
ſam habuerint. Vndè & per B. Iob dici-
tur: Qui præparat coruo eſcam, quan-
do pulli eius ad Deum clamant vocan-
tes, eò quod non habeant cibos. Et Pſa.
Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pul
lis coruorũ inuocantibus eum. Sed poſt
quàm nigreſcentibus plumis, ſimilitu-
dinem parentum in ſe expreſſam habue
rint, tantò ſolicitiùs ab eis aluntur, quã
tò anteà neglecti fuerint. Dicit ergò:
Reſpicite coruos. Ac ſi diceret: Si Deus
tam vilia volatilia ſic paſcit, multò ma-
gis hominem quem ad laudem & glo-
riam nominis ſui formauit, fame perire
non permittet. Vndè Pſalmiſta ait: Iu-
nior fui etenim ſenui, & non vidi iuſtũ
derelictum, nec ſemen eius quærens pa-
nem. Quo paſtu Pſalmiſta ſatiari deſy-
derans aiebat: Dominus paſcit me, & ni-
hil mihi deerit. *Nónne vos magis plu-
ris eſtis illis?* Pluris in hoc loco non pro
numero, ſed pro dignitate ponitur. Ac
ſi diceret, Nónne vos meliores eſtis il-
lis? *Quis veſtrum cogitans poteſt adijcere ad
ſtaturam ſuam cubitum vnum.* Hæc non
affirmando ſed abnegando intulit. Nõ
ſolùm enim ad ſtaturam ſuam cubitum
vnum adijcere non poteſt, ſed nec parũ
aliquid. Nam ſicut dominus alibi ait:
Nec

Nec vnum capillum album & alterum nigrum quis facere valet, quia cauſator & formator omnium, omnia ex nihilo potentialiter fecit, quãdo voluit, & qualiter voluit, formam & ſtaturam corporis vnicuique dedit. *Et de veſtimẽto quid ſolicitii eſtis?* Ergò qui dedit corpus & animam, quod maius eſt, vtique dabit veſtimentum quod minimum eſt. *Conſyderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant neque nent.* Lilia agri dicit omne genus herbarum ſiue arborum, quãquam ſolis lilijs poſſet referri, tamen generaliter his iubet dominus attendere. Ipſa enim non laborant, neque nent, & abſq; ſolicitudine ſunt, ſed Dei prouidentia creſcunt, & decore pulchritudinis induuntur. Dat etiam dominus ſimilitudinem de herbis terræ, quæ ſine labore creſcunt, & ſine aliqua arte vel ingenio quod nullus hominum excogitare poteſt, vt ad illorum comparationem aliquam veſtem componere poſsit dicens: *Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur, ſicut vnum ex iſtis*, videlicet lilijs. Sed quæritur quare dominus cæteros reges prętermiſit, qui plus potẽtes Salomone fuerunt. Salom. propoſuit dicens: Quia nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnũ ex iſtis. Ipſe enim non amplius quàm vnam gentem tenuit, regnum videlicet

in populo Iudæorũ: alij verò nõ ſolum vnã gentẽ ſicut Antiochus & Octauia‑nus, & c.tales verumetiã in pluribus gen‑tibus principatũ tenuerunt. Sed ſciendũ eſt, quia nõ pro poteſtate ſed pro ſapien‑tia, Salomoné in hoc loco poſuit. Ipſe e‑nim præ cæteris plus ſapiens fuit, ſicut ei dixit dominus Sapientiã quoq; & ſci‑entiã dedi tibi. Si ergò ipſe in omni ſa‑pičtia ſua tale veſtimentum excogitare nõ potuit, ſic cãdidũ quomodo lilium, tã rubeum vt roſa, ſic purpureũ vt viola nos de precioſis veſtimẽtis quid ſoliciti ſumus? Quod enim terrenus Salomõ ha‑bere nõ potuit, hoc noſter Salomon pa‑cificus videlicet, dominus noſter Ieſus Chriſtus habuit. Qui habet liliũ in vir‑ginibus, roſam in martyribus, violã in cõfeſſoribus. *Si autem fœnum agri quod ho‑die eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſicut veſtit, quãtò magis vos minimæ fi‑dei?* Ex hoc loco nanque cognoſcimus, quod lilium non pro ſolis lilijs ſed pro omni genere herbarum ponitur, cùm di‑citur. Si aũt fœnũ agri, fœnũ omne gen' herbarũ nominat. *Quod hodie eſt.* Hodie nanq; pro æſtatis tempore poſuit, cras autẽ pro hyeme. Quaſi enim fœnum a‑gri hodie eſſe dicitur, quando æſtatis tempore videamus arbores folijs veſti‑ri, pomis ornari, atque herbæ terram vi‑riditate indui, ſed cras acſi in clibanum
mit‑

mittuntur. i. hyemis tēpore adueniente mox arbores folia & poma amittūt. Aliter hodie pro præſenti tēpore ponitur, ut illud: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Cras autē pro futuro, ſicut in Iacob prop. legitur. Cras audiet me iuſtitia mea. *Deus ſic veſtit*, ac ſi diceret. Si eñ Deus omnipotens hoc ꝙ ad vſus noſtros cōdidit ſic veſtit abſq; vllo labore & ſolicitudine quantò magis nos q pluris, hoc eſt cariores ſumus! Vndè & ſubditur *Quantò magis vos minimæ fidei!* Minimæ fidei dicit illos, qui nō ſunt perfecti in fide. Perfecta nāque fides perfectorum eſt. Ille ergo minimæ fidei eſt, qui licet Deū credat, tamen nō perfectè. Qui enim ex toto corde nō credit infidelis eſt, qui autem perfectè crediderit fideliſſimus eſt, qui vero ex parte credit, & ex parte dubitat, minimæ eſt fidei non habens perfectam fidē, quā dominus diſcipulis habere præcipit, dicens Si habueritis fidem vt granū ſinapis, &c. *Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc omnia gentes inquirunt* finita ſimilitudine quā dominus de volatilibus cœli atque de liliis poſuit, ait qualiter ſoliciti de victu & veſtitu eſſe non debeamus. Nūc verò addendo atque imperando admonet dicēs: Nolite ſoliciti eſſe. Notandum autem quia cum

Pſa. 94

Ge. 20.

ſuperius dominus de cibo & veſtimen‑to nos ſolicitos eſſe prohibuit, potum prætermiſit. Illud potum, generale intel‑ligi voluit, quod generaliter omnibus attributum eſt. Quod verò hic tria po‑ſuit, illud potum, oſtendit, vnde homo inebrietur & ingurgitetur. Hæc ergo ſi ſunt, cum gratiarum actione ſunt ſumē‑da quantum corpori ſunt neceſſaria, ta‑men abſque crapula. Si verò non ſunt, qualiter ſint, ſoliciti eſſe non debemus. *Hæc autem omnia gētes inquirunt.* Gentes dicit Barbaras nationes, quæ à cœtu fi‑delium ſegregatæ ſunt. Ipſe quotidie ci‑bum inquirunt, vndè incraſſentur & im‑pinguentur, Potum vnde inebrientur, precioſa veſtimenta vnde decorentur. Nos autem quorum cura & ſolicitudo Deus eſt, iſta omnia reſpuere debemus, & ad illum tendere de quo ſcriptum eſt: Iacta ſuper dominum curam tuam. Et i‑terum: Non affliget dominus animā iu‑ſti fame. *Scit enim pater veſter, quia his om‑nibus indigetis.* Quęritur quare dicit: Scit pater veſter, quia his omnibus indige‑tis, cum alibi ad petendum inuitat nos importunè dicens: Petite & accipietis. Ad quod dicendum eſt quod pater no‑ſter cœleſtis ſcit quid nobis. i. corpori noſtro neceſſe ſit, ſed hoc ꝙ nobis ſpōte tribuit, noſtris petitionibus vult largi‑ri: Quia ergo ſuperius prohibuit ne ſo‑

liciti

liciti ſimus de cibo & veſtimento, nunc quod ſoliciti eſſe debemus manifeſtè adiungit dicens: *Primum quærite regnũ Dei.* Quod enim primum dicit, oſtendit inter omnia ſecularia & ſuper omnia regnum Dei eſſe quærendum, deinde tēporalia vnde ſubſiſtere valeamus, qui ſine illius adiutorio, nec ipſa bona temporalia habere poſſumus, de quo dicit Apo. Omne datum optimum, & omne donũ perfectum deſurſum eſt deſcendēs à patre luminum Si enim quis totum mundum haberet & cũctis delectabilibus eius cũ letitia perfrueretur, & regnũ Dei non haberet, illud ſcilicet de quo dicit Apoſt. Regnum Dei intra vos eſt: nihil ei prodeſſet, quia ſicut dominus dicit: Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mũdum lucretur, animæ verò ſuæ detrimẽtum patiatur? Notandum autem quia non ait dabuntur, ſed adijcientur vobis: quia ad comparationem patriæ cœleſtis, iſta omnia quaſi ſuperflua, & pene non neceſſaria eſſe videntur. Nos ergo primum quæramus regnum Dei, & hæc omnia adijcientur nobis, hoc eſt & in præſenti accipiemus bona, & in futuro vitam æternam Et tunc percipiemus ꝙ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit diligentibus ſe.

Dominica decimaſexta.

Homilia ſuper eo verbo, Luc. VII.

IBat Ieſus in ciuitatē quæ vocatur Naym. Naym ciuitas erat Galileæ prouinciæ populoſa iuxta montē Thabor ſita. Et quia populoſa erat, ideo dñs multitudinem populi in ea ad ſe conuertere volebat. *Ibant cum illo diſcipuli eius, & turba copioſa*, i. multa Vbicūq; in ſacro eloquio nomen turbæ audimus, diuerſas voluntates intelligere debemus. *Cùm appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ.* Quid per portā ciuitatis debemus intelligere, quātum ad literam eſt, manifeſtum eſt ad intelligendū, quantum verò ad mortalem pertinet intellectum, per portam ſenſus exteriores exprimuntur. Sicut enim ciuitas habet portas, ita & corpus humanum habet quinq; portas, ſcilicet auditum, viſum, guſtum, odoratum, & tactū. Viſum habemus in oculis per quē diſcernimus inter album & nigrū, inter lucē & tenebras. Auditū in auribus, per quē diſcernim⁹ inter ſonora & diſſona. Guſtū in ore, quo diſcernimus inter dulce & amarū. Olfactum in naribus, quo diſcernimus inter bonos odores & fœtores. Tactum in reliquo corpore per quē diſcernimus inter aſpera & lenia, dura & mollia. Iſti quinque ſenſus corporis ſunt, per quos ducimur ad mortē. Qui
Matt. 5 enim viderit mulierē ad concupiſcendū eam,

eam, iam mœchatus eſt eã in corde ſuo. Iſte talis per portam oculorum ſuorum ducitur ad mortem. Qui ſeminat diſcordias inter fratres & inter credentes, & blaſphemiam in Deum & in ſanctos eius loquitur, & ebrioſitati ac guloſitatī inſeruit, portam oris portam mortis ſibi efficit, Qui odores meretricum ſumit & his delectatur, per portam narium ad mortẽ ducitur. Qui extẽdit manus ſuas ad ſanguinem innocentẽ fundendũ, vel ad aliena rapienda, per portã tactus ducitur ad mortẽ. Rogemus Deum omnipotentem vt quinq; ſenſus corporis noſtri non permittat fieri portas mortis, ſed portas laudationis, vt annunciemus laudationes eius in portis filiæ Syõ. Videamus quæ ſint portę laudatiõis. Quo modo portæ mortis, portę laudationis poſſunt fieri, ſacra ſcriptura manifeſtat, cùm dicit: Qui aperit oculos ad ſcrutãda miracula de lege Dei, dicens cum Pſ. *Pſa.118* Reuela oculos meos, & conſyderabo mirabilia de lege tua, portam laudationis oculorum portam Dei efficit. Qui aperit aures ad audiendum verbum Dei & intelligendum, necnon opere implendum, iuxta quod dñs dicit: Qui habet aures audiendi, audiat, portã auriũ, portã laudatiõis Dei efficit. Qui laudẽ creatoris ſui reſonat, & gloriam Dei prædicat dicens cũ Pſa, Benedicam dominum

in omni tẽpore, ſemper laus eius in ore meo, portam oris, portã laudationis Dei efficit. Qui poteſt dicere cũ Paulo Apo. Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco, & bonum odorẽ. i. bonam famã de ſe reddit, portã narium ſuarum portam laudationis Dei efficit. Qui extendit manus ſuas ad eleemoſynam impendendam pauperi, & quicquid valet miniſtrandum egenti, portam tactus portã laudationis Dei efficit: quia Deus laudatur in bono opere ipſius, iuxta quod ipſe dicit: Sic luceat lux veſtra corã, &c. *Et ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ* Extra portabatur. Defunctus iſte qui extra portã ciuitatis multis videntibus eſt eductus, ſignat hominẽ peccatorẽ, in eccleſia tamen poſitum per fidem, qui malũ quod cogitauit in corde, aut per loquutionẽ, aut per operationẽ, alijs patefecit. Qui bene matris ſuæ vnicus fuiſſe perhibetur. Sancta enim eccleſia quç per iſtã mulierẽ deſignatur, licet in multis perſonis cõſtet, quia ibi ſunt duces, reges, comites, epiſcopi, abbates, tamẽ vna dicitur, propter vnitatẽ fidei, quæ mater noſtra dicitur, quia ipſa nos regenerat, & filios Dei efficit. In prçlatis .i. epiſcopis, in presbyteris, in diaconib⁹ & cæteris doctoribus eſt mater, in auditoribus aũt & diſcipulis eſt filius vel filia. Electus eñ quilibet quando alios ad

fidem

fidē erudit mater eſt, quando verò ab aliis eruditur filius. Mater erat Paul. Apoſt. qui dicebat: Filioli mei quos iterū
parturio donec formetur Chriſt9 in vo
bis. Et alibi Cor. Per euangeliū ego vos
genui. *Et hæc vidua erat.* Vidua dicitur
quaſi idua .i. à viro diuiſa. Iduare em̄ diuidere dicitur. Vnde & in diuiſione mēſium idus dicimus .i. diuiſiones: quia de
re quam neſcimus, computare incipimus Diximus ſuperius per hanc viduā
eccleſiam. i. congregationem fidelium
deſignari, cuius eccleſię vir Chriſtus eſt
de quo dicitur per Hierem. proph. Ecce
vir, oriens nomen eius. Ipſe eſt ſponſus,
& ſancta eccleſia, de quo dicit Ioan. 3.
Qui habet ſponſam ſpōſus eſt. Propter
hanc ſponſam deſcendit idem filius Dei
de cœlo, manſit cum ea corporaliter à
tempore incarnationis ſuæ vſq; ad mor
tem, & tamdiu illuminauit eam miraculis ſuis, mortuus eſt pro ea, redemit
eam proprio ſanguine, reſurgens à mor
tuis, aſcēdit in cœlū modò quaſi in alia
regione moratur. Et nūc ſancta eccleſia
quaſi vidua eſt, quia in quibuſdam ſuis
membris vel in nobis peregrinatur ad
huc in terris corpore, licet mente habitet cum Chriſto, in quibuſdam vero
iam regnat cum Deo in cœlis. In illis di
co qui iam per mortem carnis hinc ad
eum tranſierunt. *Et turba ciuitatis multa*

cum illa. Secundum literam vidua iſta nobilis erat & diues, ideo multa turba ſequebatur eam. Si enim ignobilis, vel pauper fuiſſet, vix vnum vel duos ſequentes haberet. Secundum altiorem ſenſum, diuinitus procuratũ eſt, vt turba multa dominum, & multa viduam comitaretur, vt viſo tanto miraculo, id eſt, reſurrectione mortui, multi teſtes, multi etiam & Dei fierent laudatores. *Quam quum vidiſſet dominus flentem, miſericordia motus eſt.* In hoc facto dominus demonſtrauit effectum humanæ cõpaſsionis, & potentiam diuinitatis. In hoc quod miſericordia motus eſt ſuper mulierem flentem, affectum humanæ pietatis oſtendit, quia enim homo erat, alteri compatiebatur. In hoc verò, quod ſolo verbo mortuum reſuſcitauit, excellentiam diuinitatis ſuæ declarauit: quia niſi Deus eſſet, tam facile mortuum nõ ſuſcitaret. *Et dixit illi: Noli flere* Ac ſi diceret: Deſiſte quaſi mortuum flere, quem citò reſurgentem videbis, quia modo reſuſcitabitur. ¶ Hæreticus fuit qui dixit nullum hominem redire poſſe ad veniam, ſi poſt gratiam baptiſmi grauius peccatum commiſerit. Quod omnino falſum eſt: vnde reprehenditur in iſto loco. Iſte iuuenis (ſicut diximus) ſignat aliquem peccatorem. Quod enim tunc operatus eſt dominus in vno homine

res

reſuſcitando eum de morte ad vitam, hoc quotidie agit ſpiritualiter in iſta ecclesia, quia mortuos peccato ſua gratia reuocat ad vitam, & per pœnitentiæ lamentum concedit illis veniam peccatorum factorum. *Et acceſsit, & tetigit loculum.* Loculus, dicitur feretrum, in quo mortuus ferebatur ad tumulum. Et quid per loculum deſignatur, niſi conſcientia peccatoris deſperata malè ſecura? Iacet ergo mortuus in feretro, quum anima peccatrix requieſcit in ſua conſcientia malè ſecura. Illi quatuor qui portabant mortuum, ſignant immunda deſyderia quæ hominem rapiunt in interitum, inſtigãdo eum ad libidinem, ad adulterium, ad homicidium, ad rapinam, ad omnia iſtius ſeculi emolumẽta ſectanda. Vel certè, per illos portatores ſignantur iniuſti, vel importuni laudatores, qui per blandos fauores humanæ laudis peccantes ad ruinam trahunt. De quibus dominus dicit cuidam: Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Mortui quippe mortuos ſepeliunt, quum peccatores ſuos ſimiles iniuſtis laudationibus demulcent. Dum enim peccator alterius peccatoris culpam in bonũ deputat, laudans eum quaſi benefecerit, quaſi aggerem terrę ſuper eum cõportat, ne aliquando reſipiſcat à peccatis, & agat pœnitentiam. Quod maximè habent re

ges, comites, & potentes huius ſeculi, quia ſi aliquid boni agunt propter iniuſtã laudationẽ ſuorũ amittunt. In omnibus verò malis quæ agunt laudantur à ſuis, quaſi bene egerint, & ideo non aſſurgunt ad pœnitentiæ lamentũ. *Hi aũt qui portabant ſteterunt.* Domino ergo tangente loculum baiuli illi qui portabant ſteterunt, quia vbi compunctio cœleſtis mentem tangit, continuò immunda deſyderia recedunt, nihil præualent, non poſſunt eam trahere ad mortem, omnes etiam adulatores, id eſt, iniuſti laudatores pro nihilo deputantur. *Et ait: Adoleſcens tibi dico ſurge.* Hoc quotidie dicit dominus vnicuiq; peccatori: Surge qui hactenus iacuiſti in vitijs, ſurge ad pœnitentiam agendam. *Et reſedit qui mortuus erat.* Seſsio humilitatem ſignat. Reſidet peccator cùm incipit pœnitentiam agere, cùm humiliter deflet quicquid deliquit, aut cogitando, aut loquendo. Incipit loqui cum peracta pœnitentia, incipit narrare alijs qualiter pœnitentiam agendo meruit iuſtificari, vt alij ſimiliter pœnitentiam agentes de peccatis prçteritis iuſtificentur. Tali animç congruit quod Dauid dixit poſt adulterium & homicidiũ perpetratum: Docebo iniquos vias tuas, & impij, &c. Superiùs dixit: Auerte faciem tuã à peccatis meis. Ac ſi diceret: Si hoc peccatum mihi

mihi dimiſeris, docebo iniquos vias tu-
as, vt illi qui iniq ſunt corrigantur meo
exẽpload ſalutẽ. *Et reddidit illũ matri ſuæ.*
Redditur matri peccator quũ p miniſte
rium ſacerdotum, epiſcoporum videli-
cet & presbyterorum, pœnitentia pera-
cta, paci & vnitati eccleſiæ ſociatur. Ver
bi gratia. Eſt modò aliquis homicida,
adulter, rapax, expellitur iſte talis ab ec-
cleſia per iudicium epiſcoporum. Pœni-
tentia peracta recipitur in ſocietatem
ſanctæ eccleſiæ, & reconciliatur altari,
quaſi tunc redditur matri. i. eccleſiæ.
Quia ſicut ſuperius diximus, per hanc
viduam ſignatur ſancta eccleſia. *Acce-
pit autem omnes timor.* Quare? Quia inu-
ſitatum miraculum viderunt. *Et magnifi
cabant.* i. laudabant Deum. B. Auguſt.
dicit: Quantùm deſperatione mea mors
reuocatur ad vitam, tantò plures eodẽ
exemplo corriguntur ad ſalutem. Con-
ſyderemus beatum Dauid & beatũ Pe-
trum. Quo gradus altior, eò caſus gra-
uior fuit. Et quò caſus grauior, eò mi-
ſericordia Dei omnipotentis erga illos
gratior fuit, quia plures peccatores fi-
ducia potiti, redeunt ad pœnitentiam,
dicentes: Si Deus omnipotens Dauid re-
gi & prophetæ per pœnitentiæ lamen-
tum peccatum dimiſit, & Petro apoſto-
lo, qui amarè fleuit negationis culpam
indulſit: Certè ſi ad eum toto corde con

uerſi fuerimus, & eius præcepta obſeruauerimus, peccata noſtra dimittet nobis. Dauid rex fuit & propheta, multas vxores habuit, alterius tamen vxorem concupiuit, conſtuprauit, inſuper etiam eius virum gladio filiorum Ammon interfecit. Mortuus eſt in anima, ſed quia humiliter confeſſus eſt illud peccatum, dicens Deo: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: Miſerere mei Deus, tranſtulit dominus peccatum illius. Petrus princeps apoſtolorum conſtitutus à domino, cui dixit dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo eccleſiam meam, imminente paſſione domini ter negauit eum, ſed quia poſtmodum amarè fleuit, non ſolùm veniam recepit, ſed & in gradum priſtinū reuocari meruit, vt eſſet princeps apoſtolorum. Quum hæc audimus, magnā fiduciam habere poſſumus de miſericordia Dei, non de meritis noſtris, & collaudamus eū cum turba dicentes: *Quia propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.* Non rectè crediderunt iſtæ turbæ, quę dominum prophetarū vocauerunt, quia ipſe eſt dominus prophetarum. Si enim perfectè crediſſent, vtique dicerent: verè filius Dei ſurrexit in nobis, natus ex virgine Maria. Non tamen per omnia errauerunt, quia prophetam eum vocauerunt.

tunt. Ipſe enim dominus ſe prophetam appellat, vbi dicit: Non oportet periꝛre prophetam extra Hieruſalem. Et aliꝛbi: Non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua. Et Moſes: Prophetam in voꝛbis ſuſcitabit Deus de fratribus veſtris, tanquam meipſum audite. *Et quia Deus viſitauit plebem ſuam*. Viſitatio ad ægroꝛtum, vel ad medicum pertinet. Viſitat medicus infirmum, alloquitur eum, inꝛterrogat eum, qualiter ſe agat, adhibet potionem vt priſtinam ſanitatem poſsit ei reſtituere. Sic fecit Deus pater per inꝛcarnationem filij ſui, viſitauit genus humanum: & veniens in mundum per inꝛcarnationis myſterium, adhibuit generi humano medicinam, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Quid melius hac medicina? Et tunc non ſolùm viſitauit nos Deus pater per filium ſuum, quum eum ſemel incarnari cõſtituit pro noſtra ſalute: ſed etiam quotidie viſitat, dum per eũdem filium ſuũ nobis occulta inſpirat, vt reꝛlinquamus vitia, & ſequamur virtutes, deſeramus mala, & faciamus bona, & gaudia requiramus eterna. Mortuos doꝛminus reſuſcitauit, quod poſſumus proꝛbare in verbis ipſius, quibus dixit domiꝛnus diſcipulis Ioannis: Ite, dicite Ioanꝛni: Mortui reſurgunt. Tantùm trium mortuorum reſuſcitatio, ſpecialiter in

Euanꝛ

Euangelio commemoratur, Filiæ, ſcili-cet Archiſynagogi, quam ſuſcitauit dominus adhuc iacentem in lecto, & filius iuuenis quem reſuſcitauit extra ciuitatem, & Lazari quatriduani, qui tres mortui propter myſterium introducuntur in euangelio Significant nanq; tria genera hominum peccatorum, qui mortui ſunt in anima, quæ anima quæ peccauerit ipſa morietur. Filia archiſynagogi quę necdum erat elata ſed in domo iacebat mortua, ſignat animam peccatricem, quæ in domo, hoc eſt, in cordis hoſpitio cogitat malum & delectatur, ſed tamen adhuc non patefecit alijs illud peccatũ, nec per verbum, nec per opus. Hos tales reſuſcitat dominus ſi egerint pœnitentiam, ſicut reſuſcitauit filiã Archiſynagogi. Filius mulieris viduæ, qui extra portam ciuitatis, multis videntibus eſt elatus ſignat hominem peccatorem, qui peccatum quod cogitauit in corde, perfecit opere. Lazarus qui quatriduanus iacebat in monumento, ſignat hominem peccatorem, qui non ſolum in cogitatione & opere peccauit, verumetiam peccatum in malam conſuetudinem tenuit. Et hos tales reſuſcitat dominus ſi fuerint ſorores, id eſt, piæ cogitationes quæ talibus ſubueniant. Sed videamus qualiter reſuſcitauit dominus hos tres mortuos. Filiam Ar-

chi-

chiſynagogi cum paucis reſuſcitauit, aſſumptis ſecum Petro ſcilicet & Ioanne & Iacobo, necnon patre & matre puellæ paucis etiã vſus eſt verbis in reſuſcitatione eius, dicens: Puella ſurge, vt demõſtraret, quia qui occultè & leuiter peccat, occulta & leuí pœnitentia indiget. In reſurrectione iuuenis qui erat adductus extra portam ciuitatis, audiuit preces plorantis matris, audiuit & preces multorum rogantium pro reſurrectione eius, tetigit loculum, pluribus verbis vſus eſt quàm in reſurrectione puellæ, dicens: Adoleſcens tibi dico, ſurge. In publico eũ reſuſcitauit, vt demonſtraret, quia qui publicè peccant, & peccatũ ſuum ad notitiam aliorum perducunt, publicè debent pœnitere, vt eccleſiam quam contriſtauerunt peccando, lætificent ſatisfaciendo & pœnitendo. Iam reſuſcitans Lazarum, clamauit voce magna: Lazare veni foras, & antè quàm hoc clamaret, lachrymatus eſt coram Iudæis, turbauit ſemetipſum vt demonſtraret, quia qui in conſuetudine peccandi manet, difficilè ſurgit ad veniã. Debet namq; talis lachrymas fundere, debet ſemetipſum turbare & dicere: Hoc & hoc feci, & pepercit mihi dominus: illud & illud perpetraui, & pepercit mihi Deus, quid faciam miſer in die mortis meę? quid faciam in die iudicij, cum tra-

dar

dat diabolo ad puniendum? Quum taliter agit Chriſtus, in illo gemit, quid dixit dominus? Lazare veni foras, hoc eſt, vnicuiq; peccatori dicere: Cõfitere peccatũ tuũ. Tunc etiã peccator egreditur cùm incipit confiteri ſecundum quod nequiter geſsit. Sorores quæ dominum interpellant pro fratre piæ cogitationes ſunt. Lazarus de monumento egrediens, adhuc ligatus erat, de quo præcepit dominus diſcipulis ſuis, dicens: Soluite eum & ſinite abire. Hoc quotidie fit in eccleſia, quotidie debet peccator expelli ab eccleſia, vt eccleſiam quam contriſtauit ſuo prauo opere, lętificet digna pœnitentia Eſt poſt peractam pœnitentiam, per miniſterium ſacerdotum ſocietur ſanctæ eccleſiæ, ſicut dominus præcepit dicens: Soluite eum, quod & alibi dicit: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Quartus mortuus nõeſt à Deo reſuſcitatus, quia defuerunt qui pro illo rogarent. Tamẽ vnus ex diſcipulis eius dicit ei: Domine dimitte me ire & ſepelire patrem meum Ait illi dominus: Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Tu autem vade & annũcia regnum Dei. Mortui ergo mortuos ſepeliunt, quando vnus peccator alium peccatorẽ nociuo fauore demulcet. Per illum quartum mortuum deſignantur peccatores, qui in ipſa conſuetudine peccans

candi moriuntur. Talibus congruit illud Ioannis Apoſtoli Eſt peccatum ad mortem, pro quo dico vt non quis roget, vt qui non habuit vſq; ad mortem terminũ peccandi; non habeat poſt mortem terminum in pœnis inferni.

Dominica decimaſeptima.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Lucæ decimoquarto.

C*Vm intraret Ieſus in domum cuiuſdam, &c.* Pergebat dominus ad cõuiuia hominum, nõ quòd cibis corporalibus indigeret qui dominus erat creaturæ, ſed vt daret exemplum ſuis prędicatoribus, vt quibus miniſtrarent dona ſpiritualia. i. prædicationem regni cœleſtis, ab ipſis reciperent terrena alimenta .i. cibum & potum, iuxta quod ipſe alibi dicit: Dignus eſt operarius mercede ſua. Et de quo Paulus apoſtolus: Dominus ordinauit his qui euangelium annunciant, de euangelio viuere. Vel aliter. Ideo veniebat dominus ad conuiuia hominum, vt ſerui & ancillæ & miniſtri principum, qui non habebant liberam facultatem ſequendi dominum per ciuitates & caſtella & ſolitudines, audirent doctrinam illius, & videntes eius miracula crederent in eum & ſaluarent

uarentur. More piſcatorum & more aucupum & venatorum faciebat dominus. Sicut enim piſcatores, venatores, & aucupes ibi tendunt retia ſua, vbi ſciũt multitudinem auium eſſe & multitudinem ferarum & piſcium: Ita & dominus faciebat. Per dies quoque ſabbatorum quando populus Iſraëliticus vacabat à rurali opere .i. à terreno, quia rus dicitur terra, iuxta quod illis erat præceptum. Sex dieb' operaberis, ſeptimo die requieſces ab omnibus operibus tuis. Et ideo dominus maximè diebus ſabbatorum veniebat in templũ quod erat Hieroſolymis, & in Synagogis quæ erant p ſingulas ciuitates conſtitutæ, necnon etiam ad domos principum, & faciebat ibi miracula, ac verbum prædicationis populis impendebat, vt liberiùs & tranquillo corde perciperēt, verbum ex ore eius. *Manducare panem.* Per panē intellige totũ cibum, ſicut p aquã potũ. *Et ipſi obſeruabant eum.* Obſeruare tres ſenſus habet. Obſeruare eſt imitari, cauere vel inſidiari. Quomodo obſeruare ſit imitari, Paulus apoſtolus demonſtrat dicens: Obſeruate eos .i. imitamini qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtrã. Obſeruare etiam eſt cauere, ſicut idem Paulus: Obſeruate eos .i. cauete, qui diſſentiones & offendicula .i. ſcandala ſeminant. Vel obſeruare .i. inſidiari, ſicut hic.

Et

Et ipſi obſeruabant eum.i. inſidias tendebant ei mente: ſi vidiſſent eum die ſabbati aliquod miraculum facere. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Hydropiſis morbus eſt, q morbus ab aquoſo humore vocabulū trahit. Aqua enim græcè hydor dicitur, hydropicus dicitur aquaticus.i. aquæ plenus. Hæc infirmitas naſcitur à vitio veſicæ, vitiatur enim veſica in ventre hominis, & dum non valet ſuſcipere humorem cibi ac potus, extenditur ipſe humor per omnia membra hominis, maximè inter carnē & cutem, & efficit corpus hominis miſerum, tumidum & infirmum. Propriū eſt enim hydropici, vt quò amplius biberit eò amplius ſitiat. Et ideo rectè comparatur diuiti auaro & luxurioſo. Auarus enim quo magis diuitijs abundat, quibus non benè vtitur, eo magis in appetendis alijs exardeſcit. Et ſicut hydropicus quò amplius bibit eò amplius ſitim patitur, ita luxurioſus quò amplius libidinem ſuam explet polluendo ſe: tantò amplius libidine delectatur. Vndè qdam ſatiricus dicit: Creſcit amor nummi, quantùm ipſa pecunia creſcit. *Et reſpondens Ieſus dixit ad legiſperitos & phariſæos.* Reſpōſio ad præmiſſam interrogationem pertinet. Quare ergo dicit euangeliſta dominum reſpondiſſe, cùm ſuperiùs non legatur interrogatus? Sed hæc

res

reſpōſio ad ſuperiora pertinet ſcilicet & ipſi obſeruabāt eū.i. inſidias tendebant erga Deū in corde, vt potuiſſent eum reprehendere ſi die ſabbati ſanaret hominē à languore ſuo. *Vt ergo dominus vidit* (qui cogitationes hominū ſolus nouit) quod inſidias tendebāt ei mente, ad cogitationes eorum dicit: *Si licet ſabbato curare?* Licet peruerſi eſſent, tamen rationales erant & intelligibiles Dicite mihi ſi eſt licitum vt curem hominem à languore ſuo die ſabbati? *At illi tacuerunt.* Quare tacuerunt? quia quicquid dicturi erant contrarium ſibi videbant. Cùm enim dominus dixit: Si licet ſabbato curare? Si illi dixiſſent licet, reſpondiſſet dominus, quare ergo me obſeruatis.i. inſidias reprehenſionis in me tenditis? Et ſi dixiſſent non licet, reſpondiſſet dominus: Quare vos pecora veſtra curatis die Sabbati? *Ipſe verò apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit.* Vbi dominus tetigit hydropicū ſtatim ſanus factus eſt. Quāobrem voluit dominus hydropicum curare ante Scribas & Phariſæos & legiſperitos? Vt per ægritudinem illius corporis, exprimeretur in illis ęgritudo mētis. Quoniam ſicut ille hydropicus erat corpore, ita & illi hydropici erant mente, quia auari erant & inſatiabiles. Vnde & poſt multa domini dicta Euangeliſta ſubinfert dicens: Audientes hæc om-

omnia phariſæi, quia erant auari, deri⸗debant eum. Ac ſi diceret dominus Scribis & Phariſæis non verbis ſed factis. Si enim iſti hydropico virtute diuinita⸗tis meæ priſtinam ſanitatem reſtituo, iſta & vobis peccata veſtra dimittere po⸗tero, ſi meis obedieritis mandatis, & de mãmona vobis feceritis amicos paupe⸗res, à quibus excipi mereamini in æter⸗na tabernacula. Sed illi non ſunt ſanati ab eo. Quare? Quia noluerũt credere in eũ, ideoq; æternaliter perierũt, ſicut dñs in ſequentibus dicit Ego vado & quęre⸗tis me, & in peccato veſtro moriemini. In peccato ſuo moritur, qui nõ eſt rena⸗tus ex aqua & ſpiritu ſancto. *Et reſpõdens Ieſus ad illos dixit: Cuius veſtrũ aſinus aut bos in puteũ cadit, & nõ cõtinuò extrahet illum die ſabbati?* Sic alloquitur dñs ſcri⸗bas & phariſæos, vt oſtẽdat eos auaros & cupidos Quaſi diceret illis Si vos cu⸗piditate ducti aſinũ aut bouẽ in puteũ cadentem eripere feſtinatis die ſabbati, quãtò magis ego qui dñs & creator ho⸗minũ ſum, debeo hominẽ ſanare die ſab⸗bati, qui multò melior eſt pecore? Mul⸗tò magis. Et bene hîc duo animalia po⸗nuntur. bos ſcilicet & aſinus. Bos iu⸗gum trahit. Et per bouem deſignatur populus Iudaicus, cuius ceruicem iugũ legis attraxit. Aſinus laſciuum & im⸗mundum eſt animal, & onus portat: &

ſignat

ſignat populum gentilem qui immun-
dus fuit. i. originali peccato & actuali
Pſal.37 pollutus, qui poterat dicere cum Pſal.
Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ
ſunt caput meũ & ſicut onus graue gra-
uatæ ſunt ſuper me. Vel aliter. Per boue
qui terram exarat deſignantur ſapien-
tes, per aſinum inſipientes & ſimplices.
Sed quid factum eſt? Veniens dominus
Ieſus in mundum per incarnationis my-
ſterium, omnes & Iudęos & gentiles vin
culis ſatanæ inuenit aſtrictos, & in pu-
teo concupiſcentiæ. i. carnalibus deſyde
rijs inuenit merſos. Nulla diſtantia erat
Rom.3. inter Iudæos & gẽtiles: omnes enim pec
cauerunt, & egent gloria Dei. i. miſeri-
cordia Dei. Omnes peccauerũt, quia nec
Iudęi legem datam ſibi à domino cuſto
dierunt neque naturalem legem ſerua-
uerunt. Gentiles ſimiliter naturalem le-
Mat.7. gem contempſerunt. Quæ eſt naturalis
lex? Quod tibi non vis fieri, alteri ne fe
ceris. Sed omnes homines qui in eũ cre-
dere voluerunt, tam ex Iudęis quàm ex
gentibus, per gratiam baptiſmi munda-
uit, & priſtinam ſanitatem reſtituit, quã
habuit primus homo Adam in paradiſo
antèquàm peccaſſet. *Et non poterant ad*
hæc reſpondere illi. Quare? Quia quicquid
Luc.16. dicere volebant, quaſi iam contra ſe di-
ctum eſſe videbant. *Dicebat autem & ad*
inuitatos parabolam intendens quomodo pri
mos

mos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne forte honoratior te ſit inuitatus ab eo. In his verbis domini diſcimus, quia humilitas non ſolùm apud Deum, ſed etiam apud homines eſt laudabilis. Sed conſyderare debemus quid hæc parabola domini myſticè ſignet. Parabola nanque Grecè, Latinè dicitur ſimilitudo, eò quòd aliud ſonat exteriùs, & aliud contineat interiùs. *Cùm inuitatus fueris ad nuptias non diſcumbas in primo loco, &c.* Nuptias coniunctionē Chriſti & eccleſiæ eſſe in multis locis inuenimus. E quibus illud: Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias. Et alibi Lucæ quinto: Non poſſunt filij ſponſi ieiunare quandiu cum illis eſt ſponſus, veniet autem tempus quando auferetur ab eis ſponſus & tunc ieiunabunt. Sponſus Chriſtus eſt, Sponſa ſancta eccleſia, de quo B. Ioannes tertio capite dicit: Qui habet ſponſam ſponſus eſt. Quiſquis ergo iunctus fuerit membris eccleſiæ ſanctæ per fidem rectam, per operationem bonā, per dilectionem veram, per gratiā baptiſmi, & per acceptionem corporis & ſanguinis Chriſti, per infuſionem ſancti ſpiritus, non debet diſcumbere in primo loco. i. non debet ſe præferre

Mat. 22
Mar 2.
Mat. 9.

alijs hominibus qui præceſſerunt eum in fide Chriſti, vel qui ſequuturi ſunt. Ille ergo diſcumbit in primo loco, qui meliorem ſe æſtimat præ cæteris hominibus. Aperta eſt hæc ſententia redemptoris noſtri, humilitatem quidem eſſe non ſolum apud Deum, ſed etiam apud homines laudabilem, quia qui humiliat ſe in præſenti ſeculo corde & opere, apud Deum & apud homines laudabilis exiſtit. Qui autem erigit ſe in ſuperbiam, & in præſenti ſeculo ſolet contumeliam pati, & in futuro meretur damnationem à Deo. *Sed cùm vocatus fueris ad nuptias*, id eſt, ad fidem Chriſti, vade & recumbe in nouiſsimo loco, id eſt, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, iuxta quod quidam ſapiens dicit: Quãtò magnus es, humilia te in omnibus. Non ergo debes te extollere de tuis operibus. Quotidie inuitat nos Deus ad gloriam ſuam, ſiue ad prandium ſuum dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris, iugum enim meum ſuaue eſt & onus meum leue. *Ne fortè honoratior te*, id eſt melior ſit inuitatus ab illo, id eſt, à Chriſto, qui fide & opere te præcedat, licet enim poſterior te ſit tempore, tamen eſt melior fide & dignitate.
Et

Et veniens is qui te & illũ inuitauit, dicat tibi: Da huic locum, id eſt, meliora intellige illius opera quàm tua ſunt. *Et tunc incipias*, id eſt, cum meliora ſenſeris de alio quam de te, *cum rubore*, id eſt, cum verecundia, *nouiſsimum locum tenere*, id eſt, inferiorem te eſſe æſtimabis erubeſcens inde, quia meliorem vides illum, qui te ſubſequutus eſt in fide Chriſti quàm tu ſis. Ille cum rubore nouiſsimum locum tenet, qui meliora de alijs ſentit quam de ſe. Apoſtoli in nouiſsimo loco recubuerunt, quia humilitatem ſemper ſeruare ſtuduerunt, & ideo principes cõſtituti ſunt ſuper omnem terram. Dicente Pſalm. 44. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. *Vt cùm venerit* Chriſtus, *qui te inuitauit* ad fidem ſuam, in hac præſenti vita faciat te epiſcopum, faciat etiam abbatem. Quomodo venit Chriſtus qui vbique præſens eſt? Sed venire dicitur cum opus miſericordiæ ſuæ impendit fidelibus ſuis. Quotidie dominus ad ſuas nuptias intrat, quotidie mores noſtros & actus conſyderat, & eos quos inuenit humiles, in tantum glorificat, vt cæteri electi qui viderint eos exaltatos, dicãt: Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Taliter ſunt exaltati Apoſtoli, qui ſtuduerunt humilitatem ſeruare, ideo principes

totius mundi à domino cõſtituti ſunt. De quibus dicit Pſalm. Eccleſiæ. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij i.pro patriarchis & prophetis,nati ſunt tibi Apoſtoli: conſtitues eos principes ſuper omnem terram vel aliter. *Vt cùm venerit* Chriſtus,*qui te inuitauit* ad fidem ſuam, vel in die mortis vel in die iudicij.*Dicat tibi: Amice aſcende ſuperiùs*. i. de vilitate mundana, tranſi ad patriam cœleſtem accipere regnum,quod tibi paratum eſt ab origine mundi.*Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus,* vel in hoc loco coram ſanctis hominibus, vel in futuro coram ſanctis angelis. Bene dicit tunc ne nunc quærere incipias quod ibi in fine vitæ reſeruatur.*Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur,& qui ſe humiliat exaltabitur.*

Dominica decimaoctaua.

Homilia ſuper eo verbo. Mat. XXII.

A*Cceſſerunt ad Ieſum Phariſæi.* Eo tẽpore quo dominus prædicabat euange.in Iudæa quod nunc recitatur in ſancta eccleſia,duæ hæreſes erant in populo Iudæorum,vna videlicet phariſæorum,& altera Sadducæorum.Hęreſis grecè,latinè dicitur electio,qa vnuſquiſq; hæreticus hoc quod diligit vel eligit, illud ſectatur. Sadducæi dicti ſunt à quodam magiſtro peſſimo Sadduco

duco nomine legis doctore, qui Sadducæus vocabatur. Sadducæi non credebãt reſurrectionem eſſe in die iudicij, neque æternitatem animarum poſt mortem. Non credebant angelos eſſe ſicut ſunt, neque ſpiritum ſanctum ſicuti eſt. Non recipiebant niſi quinq; libros Moſi Geneſin. ſ. Exodum, Numerum, Leuiticũ, Deuterõnomium, vaticinia, id eſt, dicta prophetarum reſpuentes, Phariſæi contrà, omnia recipiebant: credebant reſurrectionem, & ęternitatem animarum, & recipiebant omnes ſcripturas veteris teſtamenti. Sed in hoc hæretici erant, quia mandata humana præferebant mandatis Dei. Vnde dixit: Væ vobis ſcribæ & phariſæi qui mandatum Dei tranſgredimini, vt traditiones veſtras ſtatuatis. *Et interrogauerunt eum dicentes: Magiſter, Moſes dixit ſi quis mortuus fuerit non habens filium, vt ducat frater eius vxorem, & ſuſcitet ſemen fratris ſui. Erant autem apud nos ſeptem fratres, & primus vxore ducta mortuus eſt*, vſque in textum euangelij, *omnes enim haberunt eam* &c. Cùm autem audiſſent Sadducæi dominum prędicantem de reſurrectione mortuorum, acceſſerunt ad eum & dixerunt ei: *Si frater alicuius mortuus fuerit habens vxorẽ, & hic ſine filijs fuerit, vt accipiat eã frater eius vxorem & ſuſcitet ſemen fratris ſui. Fuerũt ergo apud nos ſeptem fratres & primus acce-*

cepit vxorem & mortuus eſt ſine filijs. Et ſecundus accepit illam, & mortuus eſt ſine filio. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes ſeptem: & non reliquerunt ſemen & mortui ſunt, nouiſſimè omnium mortua eſt & mulier. In reſurrectione ergo eorum cuius erit vxor, ſiquidem omnes habuerunt eam vxorem. Turpitudinem fabulæ opponunt, vt reſurrectionis veritatem denegent. Tamen potuit aliquando fieri in populo Iudæorum, vt vna mulier ſeptem fratres maritos haberet in coitum ſuccedentes ſibi, quaſi dicerent Sadducæi domino: Si reſurrectio mortuorum futura eſt in die iudicij, ſicut tu prædicas, & ſi in alijs rebus erit pulchritudo (ſicut B.Auguſtin.dicit) in hoc erit turpitudo cùm ſeptē fratres qui in hac præſenti vita vnam vxorem habuerūt, oēs eam habeant in coitu. Sed ſpiritualiter per hos ſeptem fratres deſignantur omnes reprobi, & iniuſti, qui per omne tēpus huius ſeculi (quod per ſeptem dies voluitur) habent vnam vxorem, id eſt, vnam vitam præſentem, in qua debent filios generare, id eſt, bona opera procreare. Sed quia hæc nolunt facere, moriuntur ſine liberis, id eſt, ſine bonis operibus, & tranſeunt ad pœnas inferni. *Reſpondens autem Ieſus ait illis: Erratis neſcientes ſcripturas neque virtutem Dei.* Quare errabant Sadducæi? quia non credebant

bãt reſurrectionem in die iudicij. Errat qui à rectitudine fidei deuiat. Neq; ſciebat ſcripturas quæ veritatẽ reſurrectionis prædicant, vt eſt in Eſa. Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent, & in Daniele: Multi de puluere terræ ſurgent, alij ad vitam æternã, alij in opprobrium ſempiternum vt videãt ſemper. Neq; virtutem Dei. Quę eſt virtus Dei? Chriſtus filius Dei: de quo Pau. Apoſt. dicit: Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiã. Et de quo Ioan. Apoſt. Omnia per ipſum facta ſunt. De quo etiã. Pſa. dicit ad Deum patrem. Oĩa in ſapientia feciſti. i. in filio quia pater in filio oĩa operatur. Quia autem reſurrectio mortuorũ futura ſit in die iudicij manifeſtat dñs dicẽs Marthæ: Ego ſum reſurrectio mortuorum. i. ego ipſe per quem reſurgent homines in die iudicij, poſſum reſuſcitare fratrẽ tuum ſi credideris in me, quaſi diceret dñs Sadducæis: Si me ſciretis. i. ſi mihi per fidẽ crederetis, vtiq; crederetis ſcripturis, quæ veritatem reſurrectionis prę dicant. *In reſurrectione autẽ mortuorum neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei in cælo.* In reſurrectione enim mortuorum neq; nubent viri fœminas, neque nubentur vxores à viris, id eſt, neque ducent viri fœminas ad coitum in die iudicij, neque ducentur fœminæ à viris. Proprium nubere mulierum eſt,

virorum vxores ducere. Sed ſicut domi-
nus voluit, ita expoſuit. Quare dicit ne-
que nubent, neq; nubentur? Non dixit
de arborib⁹ neq; de lapidibus, nubet iſta
arbor, nubet iſte lapis. Sed in his verbũ
domini poſſumus intelligerẽ, quia viri
in die iudicij in ſuo ſexu reſurgent, fœ-
minę autem in ſexu muliebri. Erũt enim
habentia membra genitalia non tamen
habebunt voluntatem coeundi, ſed erũt
ſicut angeli Dei in cœlo, non natura
ſed gloria quia ſicut angeli ſine indigen-
tia & ſine metu mortis erunt in die iu-
dicij, quærendum eſt ſi quotidie moriũ-
tur electi per mortem corporis, & tran-
ſeunt ad gloriam cœleſtem, quare non
ſunt æquales angelis? quia angelo-
rum mens in contemplatione omnipo-
tentis Dei ſemper vnita eſt, & om-
nem intentionem ſuam in Deo habent
in amore Dei quem ſemper aſpici-
unt, & in amore corporum, quæ adhuc
ſunt in terra. Quotidie enim deyſiderãt
diem iudicij aduenire & recipere corpo-
ra ſua incorruptibilia & immortalia, vt
cum quibus domino ſeruierunt, cum il-
lis remunerentur in ęterna beatitudine.
Quotidie etiam clamant ſancti dicẽtes:
Vſquequo domine non iudicas, & vindi-
cas ſanguinem noſtrũ qui effuſus eſt ſu-
per terrã? *De reſurrectione mortuorũ, non le-
giſtis, quia dictũ eſt à domino: Ego ſum Deus*
Abra-

Abrahã, Deus Iſaac, & Deus Iacob? Quan-do Moſes paſcebat gregem Ietro cogna-ti ſui in deſerto, vidit rubum ardentem, & non conſumebatur, neq; folium, nec ſpina, neque cortex. Et dictus eſt rubus, eò quòd fructus eius rubeat. Cùm autẽ appropinquaret vt videret quid hoc eſ-ſet, venit vox de rubo ad eum, & dixit: Moſes Moſes, ſolue calceamenta pedum tuorum, locus in quò ſtas, terra ſancta eſt. Hæc vox angelica erat. Quare dixit angelus: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, cũ ille non ſit De-us? Non mentitur? Non quia illius perſo-nam aſſumebat, cuius verba recitabat. Similiter faciebãt prophetæ ante aduen-tum domini, qui dicebant: Hæc dicit dominus. Non quod ipſi eſſent domini, ſed illius perſona quam aſſumpſerant, ipſius oraculum erant. Similiter facit modo lector, qui ſtans in eccleſia dicit: Ego ſum De⁹ Abrahã, Deus Iſaac, & De⁹ Iacob. Non quòd ipſe ſit Deus, ſed quia verba omnipotentis Dei profert in ore ſuo. Quando angelus iſta loquebatur, Abraham, Iſaac, & Iacob, mortui erant in corpore, ſed tamen in anima viuebãt. Niſi enim vixiſſent, nõ diceret angelus: Ego ſum De⁹ Abrahã, quia omne quod non eſt, non poteſt Deũ habere. Hæc ver-ba loquebatur dñs ad Sadducæos, qui iudicabant animas ſimul cũ corporibus

interire, ſicut animæ animalium cũ cor-
poribus deficiunt, quod erat dominus
apertiora teſtimonia dare de prophetis,
vt eſt in Eſaia. Viuent mortui tui. Et in
Dan. Multi de puluere terræ ſurgẽt. Sed
ideo dedit eis exemplum de Pẽtateuco,
quod illi recipiebãt. Quia ſtultum erat
vt patet de illis exẽplũ quod ipſi non re-
cipiebãt. *Nõ eſt mortuorũ Deus ſed viuorũ.*
Ad cõprobandum æternitatem anima-
rum loquitur dñs ad eos dicẽs: Non eſt
Deus mortuorũ, ſed viuorũ. Quaſi dice-
ret: Sicut modo viuũt Abrahã, Iſaac, &
Iacob in aĩa, ita & in die iudicij ſimul
cũ corporibus & animabus reſurgent.
*Phariſæi aũt audientes quod ſilentiũ impo-
ſuiſſet Sadducæis, cõuenerunt in vnũ.* Pha-
riſæi dicuntur diuiſi, quia vindicabant
ſibi ſcientiã legis, & ſcientiam ſcriptura-
rũ & æſtimantes ſe meliores & ſanctio-
res omnibus. Ideo diuidebant ſe à gene-
ralitate populi, & dicebantur diuiſi, à
Phares qui dicitur diuiſio. Quõ impo-
ſuit illis ſilentium? Illi nõ credebant re-
ſurrectionem neq; æternitatem anima-
rum, dominus autem vtrunq; oſtendit.
Conuenerunt in vnum, id eſt, in con-
ſenſum, in vnam voluntatem, vt pari-
mente dominum tentarent. Tale quid
legimus in paſsione domini de Herode,
& Pilato. Nam ante paſsionem domini
inimici erant adinuicem, tempore paſ-
ſionis

ſionis imminente facti ſunt amici. Simi liter Scribæ & Phariſæi antequàm do minum tentarent, inimici erant adinuicem. Quia quod Sadducæi denegabant Phariſæi confitebantur, In tentatione autem domini facti ſunt amici. *Et interrogabat eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum.* Eo tempore quo dominus iſta loquebatur, magna contentio erat inter illos, quod eſſet maximũ & primũ mandatum. Quidam dicebant maximum & primũ mandatum eſſe: Decimas Deo dare & ſacrificia & oblatiões. Alij dicebãt primum mãdatum eſſe fidẽ quæ per dilectionẽ Dei operatur. Sicut multi Sancti patres fuerũt qui per fidẽ bonã & operationẽ & dilectionẽ verã Deo placuerunt, vt Abel Melchiſedech, & multi alij. Dũ aũt hæc altercatio eſſet in eis, acceſsit vnus legis doctor tentãs eum. *Magiſter quod eſt magnũ mandatum in lege?* Magnum poſuit pro eo q. eſt maximũ, *ait illi Ieſus: Diliges dominum Deum tuũ.* Dilectio dicitur eo quod duos liget. Diliges dixit, pro eo quod eſt dilige, futurũ indicatiui ponens pro imperatiuo præſenti. Ac ſi diceret dominus: Diliges dominum Deum tuum. i. ama in toto corde, quia intellectus hoīs in corde eſt. i. in intellectu: & tota anima tua, id eſt, in tota voluntate tua: & in tota mente tua .i. in omni memoria tua. *Hoc eſt maxi-*

 mum

mum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic. i. ſicut mandatum ſuperius dictum obtinet principatum inter omnia mandata ad proximum pertinentia. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In hoc loco non debemus ſolũmodo intelligere patrem & matrem, ſed vnumquenque hominem qui de ſtirpe Adæ deſcẽderunt naſcendo ſicut & nos. *In his duobus mandatis*. i. in dilectione dei & proximi, vniuerſa lex pendet & prophetæ. i. omnia quæ ſcripta ſunt in lege & pſalmis, in his duobus mandatis pendent, quia ad hæc mandata referuntur. *Congregatis autem phariſæis interrogauit eos Ieſus*. Phariſæi propoſuerunt quæſtionem quod eſſet maximum, mandatum, ſoluit dominus eandem quęſtionẽ, & inſuper reddet illis vicem proponendo de ſe quæſtionem dicens: *Quid vobis videtur*. i. quid æſtimatis *de Chriſto, cuius filius eſt? Dicũt ei Dauid*, Non dixit de futuro cuius filius erit, ſed de præſenti, cuius filius eſt: quia iam venerat ex vtero virginis Mariæ. Non reprehenduntur, in hoc quia filium Dauid dixerunt, ſed in hoc damnabuntur, quia filiũ Dei ipſum non crediderunt. Tunc temporis non credebant eum eſſe, ſicut nec poſteri illorum faciunt, ſed credebant eſſe venturum, & de ſemine Dauid naſciturum, & ſanctum, & virum iuſtum,

ſtum, & excellentiorem cunctis mortalibus futurum, & per eum iudicandam terram in æquitate, & tamen non credebant eſſe filiũ Dei. Et bene filiũ Dauid appellauerunt, quia multo tempore antè quàm naſceretur ex virgine Maria, prædixerat dominus per Nathan prophetam, dicens: Cùm dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum, quod egredietur de lumbis tuis, & firmabo regnum eius in ſempiternum. Ipſe ædificabit domum nomine meo, id eſt eccleſiã, & ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: ipſe inuocabit me, pater meus es tu. *Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum dominum, dicens: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?* Si dominus Ieſus Chriſtus filius eſt Dauid, vt dicitis, quomodo ergo Dauid in ſpiritu, id eſt, per ſpiritum ſanctum illuminatus, non errore ſeductus, ſicut ipſe dicit in Pſalmo: Audiam quid loquatur in me dominus meus, quia per os Dauid loquebatur dominus, ſicut per ora prophetarum vocauit eum dominum: Dixit dominus, id eſt, pater, domino meo, Ieſu Chriſto filio ſuo, ſede à dextris meis, id eſt, habita mecum in honore dignitatis. Et poſt laborem paſsionis dicit. Sede à dextris meis, id eſt, eſto mihi æqualis in beatitudine perpetua, quia

ſemper ſubijcientur tibi inimici tui. Inimici filij Dei ſunt dæmones, Pagani, Iudæi, hæretici, falſi Chriſtiani, qui eius voluntati quantum prævalent, reſiſtũt. Ideo inimici ſunt iſti. Iſti inimici duob9 modis ſubijciũtur poteſtati domini, aut ſponte in præſenti ſeculo, aut coacti in in die iudicij. Sponte, quando quis Iudæus aut Paganus venit ad fidem. Coacti, dæmones & reprobi, qui in præſenti vita ſponte, id eſt, propria voluntate noluerunt ſe ſubdere Deo per fidem & bonam operationem, in die iudicij inuiti ſubijcientur dño filio Dei, quia ſecundũ iudicium eius dãnabuntur cùm dixerit: Ite maledicti in ignem æternum. *Si ergo filius eius eſt, quare dominum vocat?* Conſuetudo eſt humana vt filij patres ſuos dños vocẽt, niſi fortè hoc euenerit ſicut B. Auguſt. dicit, vt ille qui filius eſt per per miſericordiam Dei ſublimetur ad epiſcopalem dignitatem, & efficiatur epiſcopus, & tunc poterit eſſe patri & filius & dominus propter honorem dignitatis. Beatus nanque propheta Dauid cognouit eum, quia de ſua progenie erat naſciturus ſecundum carnem, ante omnia ſecula genitum ex patre coæqualem illi, ideo vocauit eum dominũ. Illi Iudæi qui in præſentia redemptoris noſtri erant, purum hominem credebãt & ſimpliciter dominũ Ieſum credebant,

ex

ex ſemine Dauid naſciturum, & ſanctũ etiam & iuſtum, & excellentiorem cunctis mortalibus, & iudicem omnium futurum, non tamen credebãt Dei filium. Nos autẽ quomodo credere debemus? Debemus credere quod & dñs Dauid eſt, & filius Dauid. Dñs Dauid, quia creator ante omnia ſecula naſcendo ex patre, & filius Dauid in fine tẽporum naſcendo ex matre virgine: Dominus Dauid, quia creator Dauid. *Et nemo poterat reſpondere ei verbum, neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.* Phariſæi confutati & conuicti ſermonibus domini, non ſunt auſi eum amplius interrogare, ſed apertiſsimè comprehenſum ſine ratione poteſtati tradũt ad crucifigendum. Quęrendum eſt quare dicit euã. Nemo auſus fuit ex illa die eũ amplius interrogare, cũ legimus in paſsione interrogatum eſſe à principe ſacerdotum Caipha Sed notandum eſt vſq; ad paſsionem. Tẽpore paſsionis imminente, interrogauit eum princeps ſacerdotum, dicens: Adiuro te per Deum viuũ, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus Dei. Dicit ei Ieſus: Tu dicis.

Dominica decimanona.

Homilia ſuper eo verbo,
Matt. IX.

Aſcens

Aſcendens Ieſus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Superiùs ſermo euangelicus narrat, quod abiit dominus vltra ſtagnum Geneſar in regionem Geraſenorum, & ſanauit ibi duos homines à legione dæmonum. Quo opere expleto, *aſcendens in nauiculam transfretauit*, id eſt, trans fretum abiit, *& venit in ciuitatem ſuam.* Fretum dicitur mare à feruendo, id eſt, à calore: quia nullo tempore gelu ſtringitur, ſed ſemper in motu eſt. Iſtud mare ſignat ſtagnum Geneſar propter multitudinem aquarum, & venit in ciuitatem ſuam. Proprie ciuitas domini Nazareth dicitur, vbi fuit conceptus & nutritus, vel Bethlehem vbi fuit natus. Marc. dicit hoc miraculum factum in Caparnaum. Caparnaum Metropolis eſt ciuitas Galilææ prouinciæ. Matth. dicit factum in ciuitate ſua, quæ eſt Nazareth. Ciuitatem domini totam Galilęam poſſumus intelligere, ſicut totum regnum Iudæorum vna domus dicitur, iuxta ꝙ eſt illud prophetæ: Domus Iacob, venite & ambulemus in lumine domini. Et ſicut ſancta eccleſia per vniuerſum mundum dilatata vna ciuitas dicitur, iuxta illud Pſalm. Glorioſa dicta. ſ. de te ciuitas Dei: Ita ciuitas Dei tota Galilæa dicitur. Siue ergo fuiſſet hoc miraculum factum in Caparnaũ, ſiue in Nazareth,

ſiue in aliquo oppido, in ciuitate dñi fuit factum. Si ſpiritualiter volumus intelligere, per nauim deſignatur ſancta eccleſia. Quotidie aſcendit dominus nauim ſuam, id eſt, corda electorum quibus præſidet, & ducit illos in ciuitatem ſuam, id eſt, ad patriam cœleſtem. Quomodo pergit iſta nauis per medios fluctus incedens, & tendit ad littus: ita & ſancta eccleſia, inter aduerſa huius ſeculi poſita inter Iudæos, paganos, & falſos Chriſtianos tendit ad portum, id eſt, ad æternam beatitudinem. *Et ecce offerebant illi paralyticum iacentem in lecto.* Paralyſis Græcè, Latinè dicitur diſſolutio membrorum. Hæc infirmitas aliquãdo ſolet occupare membrum hominis ſicut eſt lingua, aliquando medietatem corporis, aliquando totum corpus debile reddit, vt nec loqui, nec operari, nec ambulare valeat. Iſte paralyticus totis viribus ſui corporis diſſolutus erat, & ideo per ſe non valebat ire ad dominum. Neceſſe enim erat, vt illi qui ſani erant, deferrent eum domino. Secundum Marcum quatuor fuiſſe referuntur qui paralyticum portabãt. Et bene quatuor propter doctores ſanctæ eccleſiæ, qui quatuor libros ſancti euang. corde credunt, & opere cuſtodiunt. Vel qui quatuor virtutibꝰ principalibꝰ ſunt ornati, videlicet prudentia, temperantia,

tia, fortitudine & iuſtitia. Prudentia dicitur in appetēdis bonis, ac vitandis malis. Prudentes eſſe debemus vt appetamus bona, & fugiamus mala. Temperātia eſt quæ alio modo vocatur ſobrietas, quando ſcilicet in omnibus actibus noſtris modū ſeruamus: fortitudo dicitur vt omnia aduerſa illius ſeculi æquanimiter toleremus, vt nec proſpera in ſuperbiam nos eleuent, nec aduerſa deijciant. Iuſtitia eſt, quando reddimus vnicuiq; ſecūdum quod ſuum eſt. Iſti ergo tales qui ita ſunt ornati, apti ſunt tā pro ſe quàm pro alijs dominum interpellare. Per paralyticum deſignatur anima peccatrix, per lectum corpus humanū. Iſte paralyticus qui in lecto iacebat, ſignat animam peccatricem iacentē in corpore ſubdito peccatis. In hoc quod in lecto iacebat, & potentiam Dei in ſua ſanitate cognouit, datur nobis intelligi, vt vnuſquiſque homo quandiu in corpore eſt, debet cognoſcere creatorem ſuum à quo creatus eſt. *Et videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Non dicit euangeliſta dominum reſpexiſſe ad fidem illius qui efferebatur, ſed ad fidem illorum qui efferebant, quia illi credebant dominum potuiſſe eum ſanare ab infirmitate. Vltra fidem illorum ſanauit dominus interiùs à peccatis & exte-

terius in corpore à paralyſi, dicens: Fili, remittuntur tibi peccata tua. Mira humilitas redemptoris noſtri in hoc paralytico fuit, quia quem ſcribæ & phariſæi non dignabantur tangere, dominus non dedignatus eſt filium appellare. Et bene filium, quia dimiſſa fuerant ei peccata multa. Ille vere filius Dei eſt, cui peccata dimittuntur. Vbi ergo conſyderandum eſt quantùm valeat vniuſcuiuſque fides ad promerendum ſalutem: ſi tantum valuit fides aliena vt dominus totum hominem interius exteriusq́ ſanaret. Curaturus dñs hominẽ à paralyſi, primũ dimiſit ei peccata. Quare? Vt demõſtraret propter peccata præterita eſſe percuſſum in infirmitate corporali. Sed tamẽ non eſt intelligendum, quod ſemper percutiat dominus hominem corporaliter propter peccata præterita. Sed aliquando percutit, vt per patientiam meritum illius augeatur, ſicut Iob & Tob. Aliquando etiam percutit homines infirmitate corporali propter cuſtodiam virtutum, ſicut B. Paulum qui dicit: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ qui me colaphiſet. i. percutiat. Aliquando etiam percutit Deus homines infirmitate corporali, vt manifeſtetur gloria Dei p eos tã per ſe, quàm per ſanctos ſuos, ſicut fe- *Tob. 2.* *2. Cor. 12.*
cit

cit cæco à natiuitate, de quo interroga-
uerunt diſcipuli: Magiſter quis pecca-
Ioan.9. uit, hic aut parentes eius, vt cæcus naſ-
ceretur? Reſpondit Ieſus & dixit: Neq;
hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt
manifeſtentur opera Dei in illo. Et ſicut
de Lazaro ait: Infirmitas hęc non eſt ad
mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorifi-
cetur filius Dei per eam. Aliquando ve-
rò percutit propter peccata præterita, ſi-
cut iſtum paraclyticum, & alium qui tri-
ginta & octo annos iacebat in porticu
piſcinæ. Cui ait: Vadè, ecce iam ſanus fa-
ctus es, iam noli peccare, ne deteriùs ti-
Ioan.5. bi aliquid contingat. Aliquando etiam
Deus percutit homines infirmitate cor-
porali, ad demonſtrandam damnatio-
nem quam paſſuri ſunt reprobi in infer-
no, ſicut fecit Antiocho qui templum
Dei polluit, & Herodi qui fugato do-
mino in Aegyptũ omnes infantes Beth-
lehemiticos interfecit. Talibus cõgruit
Hie.17 illud quod Hiere. Propheta dicit: Et du-
plici contritione contere eos *Et ecce qui-
dam de ſcribis dixerunt intra ſe*. Legerant
ſcribæ & phariſæi in prophetis, dicente
domino: Ego ſum qui deleo iniquitates
tuas, & peccatorum tuorum non recor-
Eſa.43 dabor. Et quantum diſtat ortus ab occi-
Pſ.102. dente, lõge fecit à nobis iniquitates no-
ſtras Cùm hæc legiſſent, putauerũt do-
minum purum hominem eſſe, & blaſ-
phe-

phemiam in Deum mittere dicendo: Dimittuntur tibi peccata tua, dixerunt intra ſe, id eſt, in cogitationibus ſuis. *Hic blaſphemat*, id eſt, potentiam deitatis ſibi indebite vſurpat. Si enim purus homo eſſet ſicut nos ſumus, videretur blaſphemiam in Deum mittere, quia ſoli Deo cõpetit dimittere peccata. Sed quia Deus erat, non vſurpabat quod non habebat, ſed hoc quod habebat illuc ſibi vendicabat. Vel ſecundum Marcum dixerunt: Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Verum dixerunt. Nullus enim peccata dimittere poteſt niſi ſolus Deus, qui per eos peccata dimittit, quibus poteſtatem dimittendi tribuit. Primùm per Apoſtolos, per martyres, & per confeſſores, modò per epiſcopos, & presbyteros. Legimus eodem die reſurrectionis dixiſſe dominum diſcipulis ſuis. Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittũtur eis, &c. Et ante paſsionẽ dixit Petro: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &cæ. Eandem poteſtatẽ quam dominus dedit B. Petro & cæteris Apoſtolis, eandem poteſtatem tribuit epiſcopis & presbyteris, qui officio Apoſtolorum funguntur, vt quoſcunque viderint humiliter cõfiteri peccata ſua, & deflere, ſoluãt eos à peccatis poſt pœnitentiam peractam, & reconcilientur *Mat. 16*

al-

altari: illos autem quos viderint in peccatis permanere, dimittant eos ligatos, quia ligati ſunt in conſpectu Dei. *Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum dixit.* Ad cogitationes illorum reſpondit dominus dicens: *vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris*, id eſt, quid cogitatis quòd blaſphemiam in Deum mittam? Quaſi diceret: Ea potentia deitatis qua mentes veſtras video, ea poſſum hominibus peccata dimittere ſi voluero. *Quid eſt facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua an. dicere, ſurge & ambula?* Inter dicere & facere quãtùm ad homines pertinet (ſicut Hieronymus dicit) magna diſtantia eſt. Facile poteſt homo loqui, ſed cum difficultate operari. Vnde legimus in Geneſi.
Gene.1. Fiat lux & facta eſt lux, fiat firmamen-
Pſa.32. tum, & factum eſt firmamentum, fiant luminaria & facta ſunt luminaria. Et de quo Pſalm. Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. Ac ſi diceret dñs: Sicut facilè eſt mihi loqui, ita & facile operari. *Vt ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata.* Ideo peccata dimitto vt ſciatis, id eſt, cognoſcatis, credatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata. Semetipſum appellat filium hominis, id eſt, filium Mariæ. Dominus enim Ieſus Chriſtus Deus & homo eſt, per hoc quòd Deus eſt, ante

te omnia ſecula cum patre peccata homi nũ dimittere poteſt, per hoc verò quòd homo natus eſt in fine tẽporũ de virgine Maria, pro peccatorib⁹ mori potuit. Niſi enim Deus eſſet, peccata hominib⁹ dimittere non poſſet, & niſi homo eſſet, pro peccatoribus mori non poſſet. *Tunc dicit paralytico: Surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam*. Quaſi diceret, Lectus tuus fuit indiciũ infirmitatis tuæ, ſit iterum lectus tuus indicium ſanitatis tuæ. Lectus te portauit quãdo infirmus eras, vt oſtenderet te infirmum eſſe. Portato lectum tuum, vt cùm portatur à te, oſtendat te ſanum effectum eſſe. Præcipitur ergo nobis in vno homine vt ſurgamus per pœnitentiam de terrenis ad cœleſtia, vt poſsimus dicere cum Paulo Apoſtolo: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Ac ſi diceret dominus: Anima peccatrix tolle lectum tuum, id eſt, remoue à te carnalia deſyderia, corpus tuum traxit te ad luxuriam, trahe illud ad caſtitatem. Et vade in domum tuam, Et ſicut de Paradiſo expulſus fuiſti cœleſti per peccatum, redi ad illam per pœnitentiam. Vel aliter. Superius dixit dñs Paralytico: Dimittũtur tibi peccata tua. Nunc dicit: Surge tolle lectum tuum. Et eſt ſenſus. Quia meruiſti remiſsionẽ peccatorum ſuſcipere, vade in domum tuam, id eſt, redi ad internam cuſto-

diam

diam mentis tuæ, vide ne vlterius peccces, vndè deterius à domino flagelleris. *Et ſurrexit & abijt in domum ſuam*. Magna eſt diſtantia inter ſanitatē quæ à medicis procuratur, & illam quæ à domino redditur. Sanitas quæ à medicis procuratur, per interualla temporum cum magna difficultate venit. Sanitas verò quæ à domino tribuitur tota ſimul venit ſicut iſti Paralytico. Vbi dominus dixit: Surge, & ſtatim ſurrexit. Vbi dixit dominus: Tolle lectum tuum, illico tulit lectum ſuum, & iuit in domū ſuam. *Videntes autem turbæ timuerunt*. Quare? Quia inuſitatum miraculum viderunt. *Et glorificauerunt Deum*, id eſt, laudauerunt. *Qui dedit talem poteſtatem hominibus*,
Mat.10 id eſt, Ieſu Chriſto filio ſuo, & omnibus
Act.9. Apoſtolis ſuis, quia ante paſsionem dixit illis: Infirmos curate. Vndè legimus in actibus Apoſtolorum dixiſſe Petrum ad Aeneam. Aenea ſanet te Ieſus Chriſtus. Surge & ſterne tibi Et ſurrexit. Hoc quod dominus præcepit Apoſtolis à nobis agendum, ipſe per ſemetipſum primus exhibuit, quod præcepit nobis agendum. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrū qui in cœ
Ioan.13 lis eſt Fecit dominus miraculum, & omnes quidem viderunt, conuertit ad laudem patris ſui, vt daret nobis exemplū,
quo-

quotienſcunque aliquid boni gerimus, non noſtram laudem, ſed Dei omnipotentis quæramus, à quo omne bonum quod habemus, accepimus, vel per nos operatur qui dicit: Sine me nihil poteſtis facere.

Dominica viceſima.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi vigeſimoſecundo.

Simile eſt regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio. Parabola Græcè Latinè dicitur ſimilitudo, eò quod aliud exterius ſonet, & aliud intrinſecus tegat, ſicut in ſequentibus videbimus. *Simile eſt regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo.* Regnum cœlorum in hoc loco congregatio iuſtorum dicitur, quia dũ electi in hoc ſeculo præſenti, nihil terrenum deſyderant, ſed habentes victum & veſtitum his contenti 1. Ti. 6. ſunt, & toto mentis deſyderio ad patriã cœleſtem tendunt iam in eorum cordibus quaſi in cœlis dominus regnat. Et ipſi ſunt cœli, iuxta illud Pſalm. Cœli enarrãt gloriam Dei. Iſtud regnum cœlorum ſimile eſſe dicitur homini regi, Deo videlicet patri, quia decet vt omnia membra caput ſequantur, ſicut ipſe dicit: Sãcti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Dum enim ſancta eccleſia ſanctitati ſtudet, ſimilis Deo efficitur, non natura,

ſed imitatione. Ipſe enim dominus in alio loco præcepit dicens: Eſtote perfecti quia ego perfectus ſum. Et alibi: Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt. Iſte homo rex Deus pater intelligitur qui non ideo homo dicitur, vt perſona patris incarnata ſit, ſed propter largitatem miſericordiæ quam impendere dignatus eſt. Iſte eſt rex cui ſupplicat Dauid pro filio ſuo dicens: Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Impetrauit Dauid quod petijt: Deus pater iudicium ſuum dedit filio ſuo Ieſu Chriſto, hoc eſt, quod ipſe dominus in euangelio dicit: Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio ſuo. Dedit illi iuſtitiam ſuam vt reddat vnicuique iuxta opera ſua:
Ioan.5. quia iuſtitia eſt reddere vnicuique quod
Mat.6. ſuum eſt. *Simile eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* In hoc Deus pater filio ſuo domino noſtro Ieſu Chriſto fecit nuptias, quod ei per incarnationis myſterium ſanctam eccleſiam copulauit. Sponſus eſt Chriſtus, ſponſa ſancta Eccleſia. Vnde Ioannes baptiſta dicit: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Huius ſponſi thalamus vterus virginis fuit, de quo dicit Pſalm. Tanquam ſponſus dominus procedẽs de thalamo ſuo. Dominus ergo tanquam ſponſus proceſſit de thalamo ſuo, quia ad coniungens

gendam ſibi per fidem ſanctam Eccleſiã Dei corrupto vtero. i. intemeratæ virginis Mariæ exiuit. Et quotidie nuptiæ celebrantur, id eſt, quotidie copulantur homines Deo per fidem rectam, per dilectionem veram per operationẽ bonã, per gratiam baptiſmi, per donum ſpiritus ſancti, per perceptionem corporis & ſanguinis domini, & per obſeruationẽ mandatorum Dei. Habe fidem & Deo coniungeris, percipis corpus domini, ipſe habitat in te ſicut in euangelio dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. *Et ipſe miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias*. Iſte rex qui fecit nuptias filio ſuo, miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias. Qui ſunt iſti inuitati? Iudæi, qui vocati fuerunt in Abraham Iſaac, & Iacob. Ad quid fuerunt inuitati? Ad gloriam cœleſtem, ad credendam incarnationem Ieſu Chriſti. Qui ſunt ſerui qui eos inuitauerũt? Prophetæ, Moſes, Hieremias, & cæteri Prophetæ. Videamus quomodo inuitabat Moſes qui dicit: Prophetã ſuſcitabit Deus de fratribus veſtris, tanquam meipſum audietis, iuxta omnia quęcunq; dixerit vobis. Omnis anima quæcunque non audierit prophetam illum exterminabitur de populo ſuo. An non inuitabat Eſaias qui dicit: Ecce dominus

dabit vobis ſignum: Ecce virgo conci-
piet & pariet filium, & vocabitur nomé
eius Emanuel. An non deſyderabat eum
Dauid videre qui dicebat: Excita domi-
ne potentiam tuam & veni, vt ſaluos fa-
cias nos, & oſtende faciem tuam, id eſt,
præſentiam tuã, & ſalui erimus? Et mul-
ta his ſimilia teſtimonia inuenimus in
libris prophetarum, quibus prophetæ
inuitauerunt populum Iſraëliticum ad
patriam cœleſtem, & ad credulitatem in
carnationis filij Dei. *Illi autem noluerunt
venire ad nuptias*, id eſt, noluerunt crede-
re incarnationem Chriſti *Iterum miſit a-
lios ſeruos*. Serui illi q primo miſsi ſunt
ad inuitandum populum Iſraëliticum,
(ſicut diximus) fuerunt prophetæ: iſti
autem qui ſecundò mittuntur, fuerunt
Apoſtoli. Quod ergo prophetæ dixe-
runt de Chriſto venturum eſſe, hoc A-
poſtoli denunciauerunt factum. Pro-
phetæ, ſicut ſuprà dictum eſt, prædixe-
runt incarnationem Chriſti, natiuita-
tem illius, prædicationem, paſsionem,
reſurrectionem à mortuis, aſcenſionem
ad cœlos, quæ omnia prædicauerunt
Apoſtoli per totum mundum eſſe com-
pleta. *Dicite inuitatis: Ecce prandium meum
paraui, tauri mei & altilia mea occiſa & om
nia parata ſunt, venite ad nuptias*. Pran-
dium in menſa paratur. Menſa eſt ſacra
ſcriptura, de qua Pſalm. dicit: Paraſti in
con-

conſpectu meo menſam. Prandium ergo in menſa ſunt diuina eloquia de aduentu filij Dei in ſcriptura promiſſo, in quibus eſt paſtus animarum. Quia ſicut corpus non poteſt viuere ſine cibo corporali, ita anima non poteſt viuere ſine cibo ſpirituali. *Tauri mei & altilia mea occiſa ſunt.* Per tauros intelliguntur patres veteris teſtamenti, quibus dicitur in lege: Diliges amicum tuum ſicut teipſum. Iudæi tauri erant, quia ſicut tauri cornibus feriunt, & defendunt, ita Iudæi ex permiſsione legis feriebant hoſtes ſuos gladio, & percutiebant. Vnde legimus in lib. Macha. quod tria milia Iudæorũ occiderunt vna vice centum milia gentium. Et in alio loco in eodem libro legimus quod ſex, id eſt, Iudæorum occiderunt vna vice centum viginti, id eſt, gentium. Dum ergo ita ſe de inimicis vindicarent, & ita percuterent, accepta licentia per legem, quid aliud quàm tauri erant. Per altilia deſignantur patres noui teſtamenti. Apoſtoli, martyres, cõfeſſores & virgines. Altilia dicũtur quaſi alatilia, ab alendo, id eſt, à nutriendo. Altilia nanque duo habent, pinguedinẽ & volatum. Et ſancti Apoſtoli, Martyres, Confeſſores atque Virgines pinguedinem habẽt, id eſt, ſpiritum ſanctum, de quibus Pſal. dicit: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, Habent

etiam volatum, quia per mentis contemplationem terrena deſerentes, ad cœleſtem patriam tendunt, dicentes cum beato Paulo Apoſtolo: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Quod intuens propheta dicit: Qui ſunt hi qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Sancti Apoſtoli nubes ſunt, quia ſicut ex nubibus procedit pluuia, ita ſancti Apoſtoli pluunt verbis, & coruſcant miraculis. Ipſi etiam & columbæ ſunt, quia illud attendunt, quod dominus dicit illis. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *Tauri mei, & altilia mea occiſa ſunt* Ac ſi diceret: Patrum præcedentium mortes aſpicite, & remedia vitæ veſtræ cogitate. *Et omnia parata ſunt, venite ad nuptias*. Vox Dei Patris eſt dicta ad Iudæos per ſeruos Apoſtolos. *Omnia parata ſunt*, id eſt, omnia completa ſunt, quæ prædicta ſunt de filio meo. Incarnatus eſt filius meus, natus eſt, prædicauit euangelium, & fecit miracula in mundo, paſſus eſt, ſepultus eſt, deſcendit ad inferna, & liberauit electos ſuos, tertia die reſurrexit à mortuis, aſcendit ad cœlos, venturus eſt ad iudicium. *Venite ad nuptias*, id eſt, credite incarnationem eius. *Illi autem neglexerunt*, id eſt, noluerunt credere in Chriſtum, id eſt, neque per prædicationem prophetarum, nec per prædicationem Apo-

Apoſtolorum. *Et abierunt alius in villam ſuam, alius verò in negotiationem ſuam*. Per villam verò intelligitur terrenus labor vel terrena actio, per negociationem verò intelliguntur lucra mũdana. In villam vadit qui terreno labori immoderatè incumbit, in negotiationem vadit qui lucra mundana ſectatur. Dum enim Iudæi terrenis actibus & lucris mundanis inſeruiunt modò, vel ſe implicant, ad nuptias filij Dei venire, id eſt, incarnationem illius credere nolunt. *Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius*, id eſt, illi qui non receperunt euangelium. Magna diuerſitas eſt, maioris enim culpæ ſunt qui à mundanis rebus immunes exiſtunt, & Dei præcepta negligunt, quâm illi qui in terreno labore immoderatè ſeruiunt, & præcepta Dei male viuentes conculcant. *Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumelijs*, id eſt, verberibus *affectos*, id eſt, afflictos, *occiderunt*, hoc eſt, flagellantes, & in carceribus recludẽtes occiderunt eos. Quod ergo per contumeliam deſignantur flagella & carceres manifeſtatur nobis in Actibus Apoſtolorum cùm dicit Lucas de Apoſtolis, quod ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, id eſt, flagellari & in carceribus recludi, & opprobria verborum ſuſtinere.

nere. *Rex autem cũ audiſſet, iratus eſt.* Quare dicitur rex iraſci, cũ ſemper incõmutabilis maneat, & nullo modo poſsit iraſci? Sed ira eius vindicta intelligitur. Tunc enim iraſci Deus dicitur, quando de peccatis noſtris vindictam reddere compellitur. *Et miſsis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitates illorum ſuccendit.* Exercitum dupliciter intelligere poſſumus, ſcilicet Romanorum & angelicas poteſtates. Deus pater quadrageſimo anno poſt aſcenſionem filij Dei domini noſtri ad cœlos miſit exercitũ Romanorum cum ducibus Tito videlicet & Veſpaſiano in Iudæam, & interfecit Iudæos interfectores filij ſui, & ciuitatem illorum, id eſt, Hieruſalem & templum ſuccendit igni. Vel aliter. Per exercitum Dei intelliguntur angelicæ poteſtates quia per ipſos omne iudicium exercet in hominibus. Vnde & dominus Sabaoth dicitur, id eſt, exercituũ & virtutum. Dominus enim per angelos aut remunerat bonos: Vnde legim⁹ de Lazaro, quia mortuus eſt & portat' ab angelis in ſinũ Abrahæ, aut dãnat reprobos: Miſit ergo Deus pater exercitus ſuos, id eſt, angelos, & perdidit homicidas illos, .i. perſequutores Apoſtolorum ac Martyrum, animas illorum mittendo in infernum, & ciuitatem illorum ſuccendit, quia nõ ſolum animas illorum verumetiam

etiam & corpora illorum in quibus habitauerunt, in die iudicij igni inextinguibili tradet in inferno. *Tunc ait ſeruis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt*, id eſt, filius meus homo ſactus eſt, iam copulauit ſibi ſanctam eccleſiam, iam redemit genus humanum, iam reſurrexit à mortuis, iam aſcendit ad cœlos, iam venturus eſt ad iudicandum genus humanũ. *Sed qui inuitati ſunt*, id eſt, Iudæi, *non fuerunt digni*, vt credentes ſaluarentur. *Ite ergo ad exitus viarum*. Hoc eſt quod alibi dicit: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ. *Et egreßi ſerui eius*. Hoc eſt, quod idem Euangeliſta Marcus ſubinfert: Illi autem profecti prædicauerunt vbique, &c. Per *Mar. 16* vias intelliguntur dogmata & errores gentilium. Populus enim gentium varia dogmata & varios errores ſectabatur, quia quidam adorabant Iouem, quidam Mercurium, quidam Apollinem. *Congregauerunt omnes quos inuenerunt bonos & malos*. Inter ipſos Ethnicos, vel inter ipſos gentiles, Paganos, magna diuerſitas eſt, quidam enim deditiſunt virtutibus, ipſos appellat bonos, vel boni dicuntur, qui venientes ad cognitionem Dei in fide, recta & operatione congrua perſeuerant. Mali qui fidem quam perceperunt, malis operibus deſtruunt, de quibus Paulus Apoſtolus:

Confitentur ſe noſſe Deum, factis autẽ negant. *Et impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium*.i. impleta eſt ſancta eccleſia multitudine credentium bonorum & malorũ. Hic datur nobis intelligi quod per has nuptias deſignatur ſancta eccleſia in qua boni ſimul cũ malis cõgregãtur. Sicut enim media eſt inter cœlum & infernũ hæc eccleſia, ita & vtriuſq; partis ciues in ſe continet.i. illos qui aſcenſuri ſunt ad cœlos, & illos qui deſcenſuri ſunt ad infernum, quia nuſquã ſunt ſoli boni niſi in cœlo, & nuſquã ſunt ſoli mali niſi in inferno. Hęc vita permixta eſt, quia neſcit adhuc tenere diſcrimẽ inter bonos & malos. *Intrauit autem rex*. Introitus regis ad nuptias aduentum filij Dei ſignat ad iudicandum genus humanum in nouiſsimo die. *Vt videret diſcumbentes*, id eſt, in fide ſua quieſcentes. *Et vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali*. Vnus homo deſignat omnes reprobos qui in malitia vniti ſunt. Veſtis nuptiale ſignat Charitatem, quæ conſtat in duobus præceptis, in dilectione videlicet Dei & proximi. Quia ſicut veſtis inter duo ligna texitur, id eſt, inter ſuperius & inferius, ita & charitas in duobus præceptis adornatur, in dilectione Dei & proximi. Intrauit ergo ad nuptias, id eſt, in ſanctam eccleſiam quę credidit & baptizatur. Sed veſtem nuptias

ptialem non habet, qui dilectione Dei & proximi caret. Hanc veſtem dominus induit cùm pro nobis incarnari voluit, ſicut Ioannes Apoſtolus dicit: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Amicum vocat, quia per fidem vocatus ad nuptias venit. Sed ſtatim reprobat illum, quia non habuit operationem fidei, quæ per dilectionem operatur. *At ille obmutuit.* Quare obmutuit? Quia in die iudicij non erit vlla facultas excuſandi, ipſe enim dominus qui exteriùs accuſabit reprobos, ipſe erit interius teſtis coſcientiarum illorum. *Tunc dicet rex miniſtris*, id eſt, angelis ſuis, per quos & electi remunerantur & reprobi puniuntur. *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium.* Tenebras exteriores noctem æternæ damnationis appellat, id eſt, infernum: Tenebræ interiores ſunt cæcitas mentis. Qui ergo hic ſponte ſua incidit in cæcitatem cordis, illuc mittetur inuitus in tenebras æternæ damnationis. Et illic ligabuntur pedes & manus in pœna qui modo non ligantur à culpa. Pedes, qui modò noluerunt currere ad viſitandum infirmũ vel ad ſepeliendum mortuũ, & manus quæ modò noluit extendere ſe ad eleemoſynam Ioan. 3.

pauperibus erogandam, tunc ligabuntur in pœnis inferni, ibi erit flet⁹ & ſtridor dentium. Fletus oculorum eſt, ſtridor dentium. Per fletum in hoc loco ignis intelligitur, quia ex igne naſcitur fumus, ex fumo naſcitur aliquando fletus oculorum. Per ſtridorem dentium intelligitur frigus. Inter cætera tormenta duo maxima mala erunt in inferno, caloris & frigoris. Vndè dicit Iob: à calore nimio tranſibunt ad aquas niuiū. Illic, id eſt, in inferno ſtridebunt dentes præ nimietate frigoris, qui modo de edacitate & ebrietate gaudent. Et illic flebunt oculi pr ę nimietate caloris, qui hic aperiuntur ad concupiſcentias mundanas. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Multi ſunt vocati per fidem, ſed pauci ſunt electi, qui ipſam fidem bonis operibus adornāt. Sicut enim in area plures ſunt paleæ quàm grana, ita & modò plures ſunt in ſancta eccleſia reprobi quàm electi. Et ſicut cum grana ſeparantur à paleis horreum dominicum implent, ita & cum electi fuerint ſeparati à reprobis in die iudicij & audierint à domino: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, implebunt patriam cœleſtem cum angelis. Ad quorū conſortiū introducat nos dn̄s Ieſus Chriſtus, cui eſt honor in ſecula ſeculorum, Amen.

Dominica vigeſimaprima.

Homilia ſuper eo verbo, Ioan. IIII.

ERat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Caparnaum. Regulus diminutiuum eſt nomen à rege, & per diminutionem nominis, aperitur qualitas poteſtatis. Non enim tantæ erat potentiæ, quantæ rex, quia ſub eius ditione agebat, eiusq́ imperijs parebat. Diminutio igitur iſtius nominis, demõſtrat imperfectionem credulitatis. Nam ſi verè credidiſſet, nunquam domini præſentiam requireret corporalem. Caparnaũ ciuitas eſt Galilææ prouinciæ ad radicem montis Thabor ſita, in qua dominus plura patrauit miracula, cui etiam credere nolenti, & eius prædicationẽ reſpuenti improperat: Et tu Caparnaum quæ vſque ad cœlos exaltata es, vſque ad infernum detraheris. Quoniam ſi in Tyro & Sydone factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent. *Hic cùm audiſſet quia Ieſus adueniret à Iudæa in Galilæam.* Omne regnum Iſraëliticum generaliter Iudæa appellatur. Specialiter verò illa pars meridiana in qua tribus Beniamin cum tribu ſacerdotali habitabat. Galilæa pars eſt Septentrionalis. Sicut & ſuprà in lege. *Hic cùm audiſſet*, quia fama miraculorum eum præcedebat, au

diens iſte à Iudæa venit in Galilæam, adijt expetens filio ſoſpitatem. *Ait illi Ieſus: Niſi ſigna & prodigia videritis, non credatis.* Signa dicuntur eò quòd aliud ſignificẽt in præſenti, prodigia quaſi porrò dicẽtia, eò quòd quoddam futurum prætendant. Non inconuenienter quæritur quare tam dura increpatione eum redarguerit, & tamẽ niſi crediſſet nullatenus ad eum veniret. Sed ſi verba eius perſpicaciter attenderimus, certiſſimè intelligemus, quia in fide dubitauit. Sanè non putabat filium ſuum, abſente domino ſanari poſſe, qui nuſquam deerat diuinitate. Non enim tantæ fidei erat, vt beatus centurio cui dominus præſentiam ſui, & ad domũ promiſit ſe iturum, qui indignũ iudicauit ſe inquiens: Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Iuſtè iſte regulus redarguitur, quia ſi perfectè crediſſet, prorſus ſciret dominũ vbiq; per plenitudinẽ diuinitatis pręſentem quem cernebat corporali circunſcriptione localem. *Domine deſcende priùs quàm moriatur.* Datur intelligi, quia vicina morte filij torquebatur, ideoq; talia loqui cogebatur. *Et ait illi Ieſus:* Vade, filius tuus viuit. Legimus alibi Centurionem ad dominum veniſſe, & ſanitatem pueri poſtulaſſe, ad cuius domum pollicitus eſt properare

di-

dicens: Ego veniam & curabo eum. Sciſmus nãque Centurionem inferioris foſre dignitatis quàm regulum. Quid eſt ergò quod ad domum Centurionis ire paratus fuit, ad filium verò reguli ire cõtemnit? In hoc facto ſuperbia noſtra reſtunditur, quia neſcimus cõſyderare hoſmines propter homines, quia non conſſyderamus in eis naturam qua ad imaſginem Dei facti ſunt, ſed homines & diuitias in illis veneramur. Quẽ videmus auro & argento circundatum, putamus eſſe ſanctum & veneramur, quem verò pauperem & mendicum videmus, deſpicimus & nihili ducimus. Et ideo vt deſmõſtraret Dominus, quia quę alta ſunt apud homines, ſanctis deſpiciẽda ſunt, & quæ contemptibilia & humilia ſunt apud homines, ſanctis deſpicienda non ſunt, ad filium reguli ire noluit, ad ſerſuum verò Centurionis ire paratus fuit. *Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus: & ibat.* Interpretatus verba Domini ex eius correctione proficiens ad iuſsioſnem illius ibat. *Iam eo deſcendente ſerui occurrerunt ei.* Serui qui præſentes fuerant & filio paruerant, prę nimio gaudio, nõ paſsi ſunt ad domum venire, ſed in itiſnere poſito ei occurrere, ſalutẽ filij nunſciantes. Ille autem ſolicitus de morte eſius horã requirit in qua meliùs habueſrit. *Aiunt, quia heri hora ſeptima reliquit*

eum

eum febris. Febris generale eſt omnium infirmitatum à feruore dicta. Non vacat à myſterio, quod ſeptima hora liberatus eſt. Nam ſeptenarius numerus in ſacro eloquio perfectus eſt propter ſeptem dona ſpiritus ſancti, quæ requieuiſſe dicuntur ſuper Chriſtum teſtãte propheta: Conſtat nanque ex ternario & quaternario numero. Ternarius numerus pertinet ad creatorem ob trinitatẽ fidei, quæ licet vnus in deitatis potentia ſit, tamen habetur in perſonis. Quaternarius verò ad creaturam referuetur, ſiue propter quatuor climata mundi, ſiue propter quatuor tempora anni, ſeu propter quatuor elementa. Ternarius & quaternarius coniuncti ſeptem perficiunt. Meritò ergo in ſeptima hora ſanitati reſtituitur, quia tunc homo veraciter medetur, cum creatori creatura ſociatur. Eſt & aliud quod vtiliter poteſt intelligi. Ternarius animæ aptatur propter triplicem naturam quæ eſt iraſcibilis, concupiſcibilis & rationalis, vel propter triplicem virtutem, quæ eſt vitalis, ſenſualis, & rationalis. Vitalis vt in arboribus, ſenſualis in animalibus, rationalis in hominibus. Quaternarius nihilominus conuenit corpori quod conſtat ex quatuor humoribus, frigido, calido, humido, & ſicco. Quod ſi metiatur tetragonam figuram deformaſſe videbimur,

bimur, vndè primus parens noſter Adam, in quo omnia corpora noſtra cauſaliter inerant, nomen habuit quatuor literarum ſicut homo. Iure igitur ſeptima hora ſanatur, quia cùm corpus ſubiectum fuerit ſpiritui, vt illud Apoſtol. Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem, hæc ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis illa faciatis: & ſpiritus ſuo creatori, vt dum cognouerit corpus ex quatuor humoribus conſtare, animam verò ad imaginem Dei conditam, pleniſsimam & veriſsimam mereatur ſanitatem. *Cognouit ergò pater, quia illa hora erat*. Audiens horam quam ſerui nunciauerunt, & recolens verba domini quæ dixerat, filius tuus viuit, intellexit vnam eandemquè horam. *Et credidit ipſe, & domus eius tota*. Legimus aliàs ad vocem mulieris Samaritanæ multitudinem crediditſe, licet aliquod ſignum nõ cernerent, acto tanto miraculo ſolummodo regulus & eius domus credidit. Præfigurabatur iam, quia paucitas Iudæorum in Chriſtum erat creditura, & numeroſitas gentium ad fidem eius ventura. Nos ergo audientes noſtram vocationem, & Iudæorum reprobationem, agamus deitati in fide indeſeſſas gratias, qui nos non noſtris meritis ad fidem vocare, ſed illis reprobatis loco

corum dignatus eſt ſubrogare.

Dominica vigeſimaſecunda.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi decimooctauo.

SImile eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem, &c. Proprium eſt Syris, & maximè Palæſtinis, ad omnem ſermonem parabolas, id eſt, ſimilitudines iungere, vt quod per ſimplex verbum non poteſt capi ab auditoribus per parabolas, id eſt ſimilitudines facilius accipiatur. Hanc cõſuetudinem dominus ſeruans tempore prædicationis ſuæ, ad prędictum ſermonem ſuum confirmandum hanc parabolam ſubiunxit, vt faciliùs caperetur ab auditoribus ſuis. In lectione euangelij quæ iſtud præcedit, legimus Petrum interrogaſſe Dominum. Domine, ſi peccauerit in me frater meus, dimittam ei vſque ſepties? Reſpondit ei dominus: Non dico tibi vſq; ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties, vt totiens in die fratri peccanti indulgeat, quotiens ipſe nõ poſſet peccare in eum. Ad iſtum ſermonem corroborandum, ſubintulit Dominus hanc parabolam, dicens: *Ideo aſsimilatum eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis*. Regnum cælorum in hoc loco eccleſiam, hoc eſt, congregationem iuſtorum debemus intelligere, quia dum electi fide & dilectione Deo

ad-

adhærent, & nihil terrenum ambiunt, niſi ad cœleſtem patriam tendunt, iam in eorum cordibus quaſi in cœleſtibus regnat. De quibus Pſal. Cœli enarrant gloriam Dei. Illud regnum cœlorum.i. eccleſia iuſtorum aſsimilatur homini regi.i. Chriſto qui Deus & homo eſt, quã do ſanctitatē illius imitatur iuxta quod ipſe dicit: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum dominus Deus veſter. Iſte homo, rex Dominus Ieſus Chriſtus intelligit, cui cantat quotidie ſancta eccleſia. Rex meus & Deus meus. *Qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis*. Hoc eſt quod ipſe alibi dicit: Pater non iudicat quenquã, ſed omne iudiciũ dedit filio. Quotidie enim rationē ponit cũ ſeruis ſuis, quia quotidie conſyderat mores & actus noſtros, & quicquid vnuſquiſq; gerit videt, vt bene operantes remuneret, malè operãtes, damnet, quotidie moriuntur homines, qui boni inueniuntur, perducuntur in gloriã æternã: qui mali tradũtur in pœnis ꝑpetuis. *Et quũ cœpiſſet rationē ponere, oblatus eſt ei vnus qui debebat decem milia talenta*. Talentũ græce, latine dicitur magnũ pōdus. Tria genera ſunt talentorum, maximũ talentũ cōtinet cētum viginti libras, aut auri, aut argēti, aut alicuius metalli. Mediocre talētum continet ſeptuaginta duas libras, tertiũ quinquaginta libras. Dicitur enim ta-

len-

lentum in re parua. Debitores in ſacro eloquio intelliguntur peccatores, iuxta quod alibi dicit: Duo debitores erant, id eſt, peccatores cuidam fœneratori. & nos quotidie in oratione dominica dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, id eſt, peccata. Sicut ibi debita intelliguntur peccata, & debitores intelliguntur peccatores, ita & hic debitor intelligitur peccator. Signat autem iſte vnus qui debebat decem milia talenta multos peccatores, qui decem præcepta legis malè viuendo contemnũt. Hæc ſunt illa decem præcepta legis. Non occides, non adulterabis, non furtum facies, non periurabis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces rem proximi tui, non domum, neque omnia quæ illius ſunt. Honora patrem, & matrem. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Quiſquis itaque hæc decem præcepta legis malè viuendo conculcat, decem milium talentorum debitor efficitur. *Cùm autem non haberet vndè redderet.* Rectè dicitur, cùm non haberet vnde redderet, quia noſtra volũtate peccare poſſumus, ſed noſtris viribus nõ poſſumus Deo ſatisfacere, niſi illius miſericordia affuerit qui vocat peccatores ad pœnitentiam, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnũ cœlorũ. *Iuſsit eũ dominus venundari.* Venditio in hoc

hoc loco pœna ſupplicij, id eſt, afflictio corporalis intelligitur, qua affliguntur plerunque homines propter peccata prę terita: ſicut legimus in euangelio ſecundum Ioan. de illo qui triginta & octo ia uerat annos in porticu piſcinæ, cui do minus à ſe ſanato dixit: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid cõtinguat, *Et vxorem eius*. Per vxorem intelligitur mala conſuetudo peccandi. *Et filios*, per quos intelliguntur mala opera. Filij aliquando in bonam partem intelliguntur, aliquando in malam, ſicut ibi. *Iuſsit eum venundari*, id eſt ab afflictione corpus aſtringi, vt vxorem eius, id eſt, malam conſuetudinem peccandi, & filios eius, in eſt, mala opera, iuſsitq; ceſſare, vt deſignat peccare. *Procidens autem ſeruus*. Procidit autem ſeruus quando quilibet peccator cognoſcens fragilitatem ſuam, rogat ad ſe venire ſacerdotes, & confitetur illis humiliter peccata ſua, & rogat Deũ per ſacerdotes dicens: *Patientiam habe in me*, .i. concede mihi ſpatium vitæ, & omnia reddam tibi, id eſt, omnia quæ contra præcepta legis perpetraui, per lamenta pœnitentiæ emendare curabo. *Miſertus autem dominus ſerui illius*. Vbi videt dominus peccatorem humiliter confiteri peccata ſua, dimittit eum, id eſt, reuocat de morte ad vitam, ab infirmitate ad ſalu

tem,

tem,& dimittit ei debitum,id eſt, peccatum quod commiſit,indulget ei. *Et egreſſus ſeruus ille de conſpectu Domini ſui.* Vnde egreſſus eſt? De morte ad vitã,de ægritudine ad ſanitatem, de obligatione peccatorum ad veniam, quia peccata ei dimiſſa ſunt. *Inuenit vnum de conſeruis ſuis.* Cõſerui ſumus adinuicem quia in vnum Deum credimus, & vnum Deum adoramus. Vos non eſtis veſtri, iuxta quod apoſtolus Paulus dicit: Empti enim eſtis precio magno, id eſt, ſanguine Chriſti, glorificate & portate deum in cordibus veſtris. *Qui debebat centum denarios.* Quãta diſtantia eſt inter decẽ talenta & centum denarios,ferè tanta diſtantia eſt inter peccata quæ in Deũ committimus, præcepta illius negligendo, & peccata quæ in proximũ perpetramus. Peccata quæ in Deum committimus,mãdata illius prçuaricando,magna ſunt. Peccata quç in proximũ patramus,leuia. *Et tenẽs ſuffocauit eum,dicens: Redde quod debes.* Suffocat eum,quando preces illius ſpernit. *At ille rogabat eum,dicens: Patientiam habe in me.*i. dimitte mihi peccatum quod in te peccaui, *& omnia reddam tibi.*i. omnia quç contra te iniuſte egi,emendare curabo. *Ille autem noluit,ſed abijt & miſit eũ in carcerem, donec redderet vniuerſum debitũ.* Tunc mittit eum in carcerem , quando optat eum æternaliter perire in inferno cum

cum diabolo & angelis eius. Verbi gratia, dicit ei: Quicquid in me peccaſti, nec in præſenti, nec in futuro ſeculo tibi dimittatur, ſed pereas cum diabolo æternaliter. *Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valde. Et venerunt & narrauerunt Domino ſuo omnia quæ facta fuerant.* Conſerui in hoc lōco intelliguntur angeli, qui hominibus à Deo prælati ſunt ad cuſtodiam illorum abhibendam ſecundum Dei præceptum. Vnuſquiſque enim noſtrum ab exordio natiuitatis ſuę tempore baptiſmatis angelū habet in cuſtodiam ſui delegatum. De quibus angelis dominus alibi dicit: Angeli eorum ſemper vidēt faciē patris. Et B. Paulus. Nōne omnes angeli miniſtri ſunt in miniſterium miſsi propter eos qui hæreditatē capiunt ſalutis? Quòd autē angeli cōſerui noſtri ſunt, manifeſtatur nobis in Apocalypſi, dicente angelo ad Ioannem volentem ſe adorare: Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum, Deum adora. Iſti ergo cōſerui. i. angeli quotidie renunciāt quicquid boni agimus, & quicquid mali perpetramus, non quòd deū aliquid latere poſsit qui vbiq; præſens eſt: ſed miniſterium ſibi cōmiſſum implent. Vnde etiā conſerui intelliguntur ſacerdotes, Epiſcopi, presbyteri, qui habent poteſtatem in ſancta Eccleſia ligandi & ſoluendi,

uendi. Ligandi impœnitentes, & immiſericordes, ſoluendi pœnitentes. Iſti ergo conſerui vel episcopi vel presbyteri, dum immiſericordes homines contra peccantes in ſe fratres perpendunt, contriſtantur. Sicut gaudent de his quos ſponte ſua vident dimittere proximis ſuis peccata: ita contriſtantur & dolent de illis quos vident in duritia permanere, & peccata in ſe fratribus peccantibus non dimittunt, nec volunt dimittere. *Tunc vocauit illum dominus ſuus*, id eſt, reuocat illum ad lectum ægritudinis, ad languorem priſtinum. Et ait illi: Nõ verbis ſed rebus: *Serue nequam*, id eſt, ſerue inutilis, ſerue male, *omne debitum dimiſi tibi*, quicquid in me peccaſti, totum indulſi tibi. Et originale peccatum indulſi tibi quod traxiſti ex Adam & actuale, *quoniam rogaſti me*, humiliter. *Nónne ergo oportuit te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* Eandem miſericordiam quam Deus omnipotens quotidie nobis impendere dignatur, impendere debemus proximis noſtris, vt impleatur illud in nobis quod dominus dicit: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. *Et iratus dominus* Ira in Deum non cadit, ſed iraſci dicitur, quando de peccatis noſtris vindictam reddere cõpellitur. *Tradidit eum tortoribus*. Tortores intelliguntur angeli.

Angelorum miniſteriū duplex eſt, quia per eos dominus aut remunerat electos aut punit reprobos. *Quouſque redderet debitum vniuerſum*, quouſque non ſignat finitum tempus, ſed infinitum, quaſi diceret, quouſque redderet, id eſt, ſemper reddet, ſemper recipiet ſupplicium pro omnibus peccatis ſuis, non ſolum pro actualibus quæ poſt baptiſmi ſacramenta perpetrauit, verumetiam pro originalibus quæ in baptiſmo ei dimiſſa ſunt. *Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non dimiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. Formidoloſa ſententia, dicit B. Hierony. ſi iuxta voluntatem noſtrā Dei ſentētia flectitur. Si nos dimittimus fratribus minora peccata, Deus dimittet nobis maiora noſtra. Et ſi non dimittimus minora peccata noſtra fratribus noſtris: nec Deus dimittet nobis maiora. Dicamus ſub exemplo. Facit aliquis noſtrum homicidium, adulteriū, & his ſimilia, ſi egerit pœnitentiam congruam iuxta quod Ioannes baptiſta dicit: Facite fructus dignos pœnitentiæ, poterit remiſsionem peccatorum ſuorū recipere, ita tamen ſi peccāti in ſe fratri dimittit peccata ſua. Si verò peccanti in ſe fratri peccata dimittere noluerit, etiam ſi toto tempore vitæ ſuæ egerit pœnitentiam, infructuoſa erit. Et poterat aliquis dicere. Quicquid in me peccaue-

rit frater meus, totum indulſi ei labijs tantummodo, & non corde. Sed dominus omnem fictam pacem & ſimulationem à corde repellit. Vndè expreſſe dixit de cordibus veſtris, id eſt, ex cordibus veſtris, vt quod ore dimittimus, corde dimittamus, & quod ore dicim⁹, corde dicamus.

Dominica viceſimatertia.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Lucæ vigeſimoſecundo.

Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, &c. Eo tempore quo dominus ſecundum carnē natus eſt in Bethleē Iudæ, ſicut Lucas Euang. teſtatur, exijt edictum .i. mandatū à Cæſare Auguſto Octauiano, vt deſcriberetur.i. ſub cēſum redigeretur vniuerſus orbis. Tūc Iudęa ſubiecta Romanis facta eſt tributaria.i. ſtipendiaria, vt tributum ſolueret Romanis ſicut cæteræ nationes. Stipendiū dicitur ſubſtantia. Stipendium dicitur à ſtipe danda, quia Romani non numerabant cenſum quem exigebant ab vniuerſis gentibus ſed ponderabant. Cæſar Auguſtus Octauianus à quo exijt edictum vt deſcriberetur vniuerſus orbis, ſub cenſum conſtituit Herodem maiorem regem & principem Iudęorum, qui Romano pareret imperio, & tributis præeſſet, & regnum gubernaret Iudæorum.

rum. Iſte Herodes alienigena fuit ex pa-
tre Idumæo qui vocatus eſt Antipater,
& matre Arabica .i. Saracenica. In hoc
completa eſt prophetia Iacob, dicentis:
Non deficiet princeps de Iuda, nec dux
de fœmorib⁹, eius donec veniat qui mit
tendus eſt .i. Chriſtus, & ipſe erit expe-
ctatio gentium. Iam enim defecerant re-
ges & principes de tribu Iuda. Ipſe He-
rodes interfecit Hircanum regem ſimul
& pontificem, & in loco illius ab Octa-
uiano Auguſto princeps & rex conſti-
tutus eſt, ſub quo facta eſt Iudæa tribu-
taria, ſicut iam diximus. Dum ergo ille
exigeret cenſum à populo Iudæorum,
orta eſt inter Iudæos magna ſeditio (Se
ditionem dico contentionem) Scribæ
& phariſæi dicebant populo Iſraëlitico:
Vos populus Dei eſtis, Deo reddite pri-
mitias veſtras & decimas, ſacrificia, &
cætera quæ in lege iubentur, non debe-
tis tributa reddere: indignum eſt, qui tã
to Deo datis, humanis legibus ſubiacea
tis. Econtrà dicebant Herodiani, id eſt,
miniſtri Herodis regis maioris vel mi-
noris. Certè debetis cenſum dare Roma
nis, quia propter illos ſecuram & quietã
vitam ducitis. Illi pugnãt pro vobis cõ
tra hoſtes veſtros, dignum eſt, vt illis ſti
pendium præbeatis, qui pro vobis mili
tant. In tantum cõualuit cõtentio inter
illos (quia auariſsimi erant) vt quadra-

geſimo ſecundo anno poſt aſcenſionem domini ad cœlos à Romanis interficerentur, & ciuitas illorum, id eſt, Hieruſalem euerteretur & templum igne cremaretur. Dum enim ita inter ſe contenderent Iudæi, ſcilicet & Herodiani, ſicut ſuperiùs diximus. *Abeuntes conſilium inierunt, vt caperent eum in ſermone*, id eſt, deciperent. Quare in ſermone? quia non poterant eum decipere in opere aut in actione. Opera enim Dei miranda erãt, & plena miraculis. Et ideo volebant eũ decipere in ſermone, vt ſi ille diceret: Debetis tributa dare Romanis, continuò apprehenderent eum Phariſæi & dicerent: Iſte eſt qui populum Dei humanis cogit ſubiacere legibus, & ob hanc cauſam traderent eum morti. Si verò diceret: Non debetis Romanis cẽſum dare, comprehenderẽt eum Herodiani & traderent morti quaſi autorem ſeditionis. Sed quia ipſe filius Dei, ſapientia eſt Dei patris, ſicut Salomon dicit: Non eſt ſapientia, non eſt ſcientia, non eſt conſilium contra dominum, ita facilè pertranſit inſidias illorum vel verſutias, veluti homo tranſit telas aranearum. *Et mittunt diſcipulos ſuos cum Herodianis*, id eſt, cum miniſtris Herodis, *dicentes: Magiſter ſcimus quia verax es*. Verum dicebant, quia ipſe veritas eſt. *Et viam Dei in veritate doces*, id eſt, legem Dei per cuius obſer-

ſeruationem peruenitur ad Deum. Magiſtrum vocant quem decipere volebāt. *Et non eſt tibi curæ de aliquo.* In hoc loco nō debemus dicere cura, ſed curæ. Quid ſit, non eſt tibi curæ de aliquo, in ſubſequentibus oſtenditur cùm dicitur: *Non enim reſpicis perſonam hominum*, id eſt, nullius perſonæ adularis, nullius perſonæ potentiam reſpicis, non times dicere propter regem quod verum eſt. Blanda & fraudulenta interrogatio, blanda in verbis, fraudulenta in ſenſu. Illuc prouocat auditorem dominum Ieſum Chriſtum, vt magis timeat Deum quàm Cæſarem, & dicat non debere populū Dei Romanis tributa perſoluere, vt audientes hoc miniſtri Herodis comprehenderent eum quaſi autorem ſeditionis. *Dic ergo nobis quid tibi videtur*, de hac re, quā modo te interrogamus? *Licet cenſum Cæſari dare, an non? Cognita autem Ieſus nequitia eorum*, id eſt, malitia eorum cordium. Nequitia, dicitur malitia interioris hominis. *Quid me tentatis hypocritæ*, id eſt, quid me decipere vultis? Non reſpondet dominus ad blādimenta verborum illorum, ſed ad corda. Quia omnipotens Deus plus reſpicit ad corda quàm ad verba. Hypocrita, dicitur deauratus. Hypocrita, dicitur ſimulator, eò quòd aliter loquitur ore, & aliud cogitat in corde. Aliud prætendit ver-

verbis, & aliud exhibet operibus. *Oſtendite mihi numiſma cenſus.* i. ſuperſcriptionem denarij. Numiſma, dicitur nomen illius monetæ, hoc eſt, ſuperſcriptio denarij. A nomine venit numiſma, vt Iſidorus dicit. *Et obtulerunt ei denarium.* Denarius genus eſt nummi, qui cōtinebat decem numinos noſtros, & à numero decem denariorum vocatus eſt denarius. *Et ait illis: Cuius eſt hæc imago & ſuperſcriptio*, id eſt, figura. *Dicunt ei: Cæſaris.* Nunquid non poterat Dominus videre imaginem & legere ſuperſcriptionem, & dicere: Hæc imago & ſuperſcriptio Cæſaris eſt? Vtique poterat. Sed ideo interrogauit, vt verbis ſuis comprehenderet eos, ſicut & fecit. Carnaliter illi reddebant denarium Imperatori ſuo, qui pro decem nummis imputabatur. Et nos debemus reddere ſpiritualiter vero Imperatori noſtro domino Ieſu Chriſto denarium, id eſt, obſeruantiam decē præceptorum legalium, vt faciamus ea quæ in lege nobis perhibētur. Hæc ſunt autem decem præcepta: Audi Iſraël dominus Deus tuus, Deus vnus eſt: Non adulterabis, & cætera quæ ſequuntur. Cùm autem hæc decem præcepta cuſtodimus, quaſi denarium regi noſtro reddimus. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Quod dominus nobis pręcepit agendum, ipſe primus in

ſe exhibuit. Reddidit deo quę dei erant patris faciens volantatẽ, reddidit quæ cæſaris erant cæſari, quando Petro ait: Vade ad mare & mitte hamum, & cũ piſcem qui primus aſcẽderit, tolle, & aperto eius ore inuenies ſtaterẽ, illũ ſumẽs, da eis pro me & te. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*. Omnes reges Romanorum cauſa dignitatis cæſares, appellati ſunt à primo Caio Iulio Cæſare, qui Romanis aperuit regnum per virtutem ſuam. Ob duplicem cauſam ita vocatus eſt, vel quia cæſaries capitis creuit ei in vtero matris ſuæ. Vel quia tempore natiuitatis ſuæ cęſus eſt venter matris ſuę. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, id eſt, tributum, cenſum, denarium, honorem, timorem, &c. quæ principes huius ſeculi exigũt. *Et reddite quæ ſunt Dei Deo*, id eſt, primitias, oblationes, victimas, holocauſta, & ſacrificia, fidem ac dilectionem, & cætera quæ in lege iubentur. Ac ſi diceret Dominus ſecundum moralem ſenſum. Sicut Cæſar exigit à vobis impreſsionem imaginis ſuę, id eſt denariũ: Ita & Deus omnipotens exigit à vobis impreſsionem imaginis ſuæ, id eſt, animam, vt quemadmodum redditur cæſari nummus, ita & Deo reddatur anima lumine vultus eius illuſtrata. De quo lumine dicimus: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine. Homo ad *Pſal. 4.* *Gene. 2*

Imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt, in anima dico, quia Deus incorporeus eſt. Ad imaginem ſuam fecit Deus hominem, quia ſicut ipſe ſanctus & verus & iuſtus eſt, ita hominem ſanctum & iuſtum & verum condidit. Ad ſimilitudinem fecit eum, quia ſicut ipſe eſt æternus, ita hominem æternum condidit, vt ęternaliter viueret in gloria ſempiterna cũ illo in anima & corpore niſi peccaſſet Et hanc imaginem & ſimilitunem Dei perdidimus in primo homine Adam, illo peccante: ſed quotidie reſtauratur in nobis per gratiã baptiſmi, quãdo renaſcimur ex aqua & ſpiritu ſancto. Baptizamur itaque & recipimus imaginem Dei, id eſt, ſanctitatem, quia ſanctificamur in ipſo baptiſmo & mũdamur ab omni peccato, ita vt ſi eadem hora moriatur, ille qui baptizatur, abſque vlla dilatione tranſeat ad patriam cœleſtem, vbi habebit gloriam in anima ſola vſque ad diem iudicij. Poſt diem iudicij recipiet corpus incorruptibile & poſtmodum ſemper habebit gloriam in anima & corpore. Recipimus etiam in baptiſmo ſimilitudinem Dei, id eſt, æternitatem: vt niſi peccauerimus, æternaliter cum illo in æterna beatitudine viuemus. Ad quam ipſe filius Dei, dominus noſter Ieſus Chriſtus nos introducere dignetur, qui viuit cum patre, & glo

gloriatur Deus in vnitate ſpiritus ſan-
cti per æterna ſecula ſeculorum, Amen.

Dominica vigeſima quarta.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi nono.

L*Oquente Ieſu ad turbas, ecce princeps vnus acceſſit, & adorauit eum,* & cæ. Vbicunque in ſacro eloquio nomẽ turbæ audimus, diuerſitatem voluntatum intelligere debemus. Non enim vnius voluntatis erant qui Chriſtum comitabantur. Quibus turbis quum dominus prædicaret verbum Dei. *Ecce princeps vnus acceſſit.* Iſte princeps ſecundum quod Lucas ſcripſit, Iairus vocabatur. Iair Hebraicè, Latinè interpretatur illuminans, ſiue illuminatus. Quem nullum melius intelligere poſſumus per iſtum principem, quam Moſen qui à deo ſuper plebem Iſraëliticam princeps conſtitutus eſt. Qui Moſes bene illuminans ſiue illuminatus poteſt dici, qui propheta fuit, illuminatus à ſpiritu ſancto, vt præcepta legis intelligeret, ſicut ei data ſunt in monte Synai. Idem illuminans dicitur, quia multos illuminauit legem ſcribendo & exponendo eam auditoribus ſuis qualiter illam deberent obſeruare. *Et ecce princeps vnus acceſſit, & adorauit eum.* Lucas dicit quòd ad pedes eius procidit. Si per caput Chriſti diuini-

tatem intelligimus, quia caput Christi Deus, quid per pedes eius niſi incarnationem illius debemus accipere? Corpus videlicet & animam quod in vtero virginali aſſumpſit in vnitate ſuæ perſonæ. Ille princeps procidit ad pedes Domini, quia beatꝰ Moſes præſciens filium Dei in mundum per virginem Mariam venturum, procidit ad pedes eius, id eſt, humiliter ſe ſubcidit poteſtati eius, quia credidit eum verum Deum, & verum hominem futurum, & omnibus mortalibus excelſiorem eſſe præuidit. Vnde Paulus dicit: Quod infirmum eſt Dei fortius eſt hominibus. Infirmum Dei eſt humanitas filij Dei, quæ fortior eſt hominibus, quia meritum omnium ſanctorum tranſcendit humanitas filij Dei. Quod Moſes præuiderit incarnationem filij Dei venturam, poſſumus probare in verbis ipſius, quibus dixit Iudæis: Prophetam ſuſcitabit vobis dominus Deus veſter de fratribus veſtris, tanquam me, ſubauditur mortalem, ipſum audietis, iuxta omnia quæ loquutus vobis fuerit. Erit enim omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Et alibi prophetiam Iacob ponit. Non auferetur ſceptrum, id eſt, princeps de Iuda, neque dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio

tio gentium. *Domine, filia mea modò defuncta eſt*. Filia Moſi Synagoga intelligitur, quæ nobiliter vt puella educata ab ipſo Moſe & à ſequentibus principibus ac doctoribus vſque ad aduentum filij Dei. Sed appropinquante tempore pubertatis, quum debuiſſet Deo ſpirituales filios gignere, id eſt, fidem habere, & bona opera procreare, mortua eſt perfidia & inuidia. Perfidia, quia noluit in filium Dei credere. Inuidia, quia dolet, & affligitur quòd gentes crediderunt. Inuidet enim Iudæa gentibus credidiſſe. Vndè legimus in actibus Apoſtolorum. Sequenti die ſabbati conuenit vniuerſa ciuitas audire verbum Domini. Videntes autem turbas Iudæi repleti ſunt zelo, id eſt, inuidia, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur blaſphemantes. Pro qua filia mortua inuidia & infidelitate, rogauit beatus Moſes Dominum vt veniret in mũdum per incarnationis myſterium, & imponeret illi manum, id eſt, operationem diuinam exhiberet circa illam prædicando & miracula patrãdo, & ſic reſuſcitaret eam à morte infidelitatis ad credulitatem. *Et ſurgens Ieſus ſequebatur eũ.* Poſt Moſen natus eſt Chriſtus, venit in mundum per humanitatem, vt liberaret filiam Moſi, id eſt, Synagogã à ſua perfidia. Sed quid contigit dum perge-

ret ad filiam Archiſynagogi reſuſcitan‐
dam, Subintrauit mulier ſanguine fluẽs
& præripuit ſalutem: quia dum veniret
per incarnationis myſterium ad gentẽ
Iſraëliticam, vt eam ſolam ſaluaret, & ad
fidei veritatem reduceret, iuxta quod
ipſe dicit: Non ſum miſſus niſi ad oues
quæ perierunt domus Iſraël, illa nolen‐
te credere, ſubintrauit multitudo gen‐
tium veniens ad fidem per prædicatio‐
nem Apoſtolorum, & ſanata eſt ab erro‐
re infidelitatis. Poſtquàm autem muli‐
er à fluuio ſanguinis liberata eſt, venit
dominus & ſuſcitauit filiam Archiſyna‐
gogi: quia cùm plenitudo gentium ſub‐
intrauerit, id eſt, quum omnes qui ad vi‐
tam æternam prædeſtinati ſunt ex gen‐
tibus electi fuerint ad fidem, tunc om‐
nis Iſraël ſaluus fiet. Appropinquante
die iudicij iſtud erit, tunc reuertetur
dominus ad Iudæos. Hoc eſt quod Pſa.
dicit: Notum fecit dominus ſalutare ſu‐
um, id eſt, Chriſtum, ante conſpectum
gentium reuelauit iuſtitiam ſuam, recor‐
datus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis
ſuæ domui Iſrael. Tardè iam. *Ecce mulier
quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim
annis, acceſsit retrò, & tetigit fimbriam veſti‐
menti eius.* Lucas dicit quòd filia Archi‐
ſynagogi duodenis erat quando mor‐
Luc. 8. tua eſt, id eſt, duodecim annos habebat
ætatis. Et Matthæus dicit hic, quod hæc
mu‐

mulier quæ ſanata eſt à domino duodecim annis fluxum ſanguinis patiebatur. Ex verbis euangeliſtarum nobis datur intelligi, quia eo tempore quo iſta cœpit naſci in patriarchis Abraham, Iſaac, & Iacob, & cæteris iuſtis, eo tempore eccleſia gentilis ſordibus idololatriæ cœpit fœdari, relinquẽs creatorem, & adorans creaturam. Sanguinis fluxum dupliciter poſſumus intelligere ſpiritualiter, aut ſuperfluitatem libidinis in carnali ardore libidinoſo, aut culturam idolorum Gentilis populus fluxum ſanguinis patiebatur, quia luxuriæ vltra modum inſeruiebat, & culturæ idolorum deditus erat. Fornicatio, aliquando ponitur pro idololatria, vt illud: Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. Ille ergo fornicatur à Deo, q relicto Deo vero veneratur idola, ſicut mulier deſerens proprium virum & pergens ad alium. *Acceſſit retro*, ad dominum eccleſia gentium, quia poſtquàm filius Dei miracula patrauit in mundo, atque doctrinam verbi ſui diſcipulis contulit, poſtquàm etiam reſurgens à mortuis cœlorum altitudinem penetrauit, vnde venerat prædicantibus Apoſtolis, acceſsit ad illum retro per fidem dilectionis, iuxta quod Pſalm. 33. dicit: Accedite ad eum & illuminamini. Vel certè accedit eccleſia ad dominum, iuxta illud quod ſcriptum *Pſa. 25.*

ptum eſt: Poſt dominum Deum tuũ am-
bulabis. Et alibi ipſe dicit: Qui mihi mi-
Ioã. 12. niſtrat, me ſequatur, id eſt, me imitetur.
Quare non venit hæc mulier ad domi-
num in ciuitate aut in domo, ſed in via?
Quia iuxta legem ab vrbibus excludé-
batur. *Tetigit fimbriam veſtimenti eius.* Per
veſtimentum domini, ſicut & per pedes
eius, poſſumus intelligere incarnationẽ
humanitatis eius, qua indutus eſt, quia
videri non poterat per diuinitatem iux-
ta quod ipſe dicit ad Moſen: Non vide-
bit me homo & viuere poteſt. Tetigit er-
go eccleſia gentilis veſtimentum domi-
ni & ſanata eſt, quia veraciter credidit
incarnationem illius, paſsionem & re-
ſurrectionem à mortuis, & ideo ſalua
facta eſt. Tunc namque dominum tan-
gimus, ſi veraciter in eum credimus. Vel
certè per fimbriam veſtimenti domini
deſignãtur minima præcepta Euangelij.
Non omnes poſſunt tãgere caput Chri-
ſti, quia non omnes poſſunt intelligere
myſteria diuinitatis illius. B. Ioannes ſo-
lus proxima dilectione ſuper pectus do-
mini recubuit. Maria Magdalene caput
domini ſacro vnguento perungere me-
ruit. Hæc mulier ſanguine fluens, fim-
briam veſtimenti eius tetigit, & per hoc
mundata eſt, quia certe mundandus eſt
ille, qui nouiſsimam euangelij partem
opere impleuit. Dicamus & aliter. Ve-

ſtimentum electorum eſt Chriſtus, iuxta quod Paulus dicit: Quotquot baptizati eſtis in Chriſto, Chriſtum induiſtis. Et omnes electi ſunt veſtimentum Chriſti, iuxta quod ei dicitur à patre per prophetam: Viuo ego dicit dominus Deus, quia omnibus his velut veſtimento veſtieris. Si omnes electi ſunt veſtimentum domini, ergo per fimbriam illius poſſumus intelligere beatum Paulum. Ad tactum nanque fimbriæ ſanata eſt mulier, quia eccleſia gentilis per prædicationem Pauli fidei veritatem ſuſcipiens ſanata eſt à ſua infidelitate. Origenes dicit illum ſenſum. *Dicebat enim intra ſe.* Subauditur populus gẽtium. *Si tetigero fimbriam veſtimenti eius*, id eſt, ſi credidero incarnationem eius, vel ſi minima præcepta euangelij obſeruauero, vel etiam ſi prædicationi Pauli Apoſtoli aſſenſum fidei præbuero, *ſalua ero.* Alius euangeliſta dicit: Quod cùm Dominus tactus eſſet à muliere, conuerſus dixit: Quis me tetigit? Reſpondens Petrus ait: Præceptor turbæ te comprimunt, & dicis: quis me tetigit? Nam & ego cognoui virtutem de me exiſſe. Quæ ſunt illæ turbæ, quæ dominum comprimunt? Conuenticula hæreticorum ac Iudæorum quę dominum comprimunt & grauant, dum rectam fidem in pectoribus ſuis

ſuis recipere nolunt. Dum hæc turba cō-
primit, ſubintrauit mulier & ſanatur,
quia dum hæretici & Iudæi veritatem
fidei reſpuunt populus quondam genti-
lis, veraciter credens in domini incarna-
tionem, ſaluatur. Secundum Lucam, hęc
mulier omnem ſubſtantiam ſuam in me-
dicos erogauerat, nec ab vllo potuit cu-
rari. Quid debemus intelligere per hos
medicos? Falſos Theologos & diuinos,
ſiue dæmones, ſeu etiā philoſophos gē-
tium, qui multa ſubtiliter de virtutibus
ac vitiis diſputauerunt. In quibus hæc
mulier.i. ecclesia gentium omnem ſub-
ſtātiam ſuam.i. rationalem intellectum
expenderat: ſed non potuit ab illis ſalu-
tem animæ percipere, neque purgatio-
nem peccatorum inuenire, donec verus
medicus adueniret Chriſtus, & eam pro-
prio ſanguine redimeret, in quem cre-
dens ſanata eſt à ſua iniquitate. *At Ieſus
conuerſus*. Non obliuiſcitur dominus ſer-
uorum ſuorum fideliū, ſed reſpicit eos,
id eſt, miſericordiam ſuam tribuit. Con-
uerſio enim eius clementiam deſignat,
quam habet erga eccleſiam. *Et videns eā,
dixit: Cōfide filia, fides tua te ſaluā fecit.* Cre-
didiſti à me poſſe ſaluari, fides tua te ſal-
uam fecit. Ideo à domino filia appella-
tur, quia veraciter ſe credidit ab eo poſ-
ſe ſanari, & eccleſia præſens de gentibus
congregata, filia appellatur, quæ credi-
dit

dit in dominum Ieſum Chriſtum, iuxta quod Ioan. euangeliſt. primo cap. dicit: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, Iudæi verò qui quondam filij appellati ſunt propter fidem iuxta quod ſcriptum eſt: Filius meus es tu primogenitus Iſraël: modò appellantur canes propter infidelitatem, iuxta quod Pſalmiſta vigeſimo primo dicit: Circundederunt me canes multi. *Et ſanata eſt mulier ex illa hora.* Nihil medium fuit interdictum domini, & opus eius, iuxta illud Pſalmiſtæ. 32. dicentis: Ipſe dixit & facta ſunt Vbi ipſe dixit. Fides tua te ſaluam fecit, ſtatim ſalua facta eſt. *Et cùm veniſſet in domum principis.* Sicut ſuperiùs diximus, per filiam Archiſynagogi deſignatur Synagoga, per mulierem quæ ſanguinem emittebat per vuluam, deſignatur eccleſia gentium. Dum dominus veniſſet in mundum ad ſolum populum Iſraëliticum ſaluandum, iuxta quod ipſe dixit: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël, il- *Mat. 15*
la plebs, id eſt, eccleſia gentium ſanata eſt, iuxta illud Pſalmiſtæ. 67. Aethiopia præueniet manus eius Deo. Sanata hac muliere dominus venit, ſicut dicitur, ad filiam principis ſuſcitandã, qui quũ plenitudo gentium ſubintrauerit, tunc omnis Iſraël ſaluus fiet. *Et cùm veniſſet ad do-*

domum principis. Aduentũ filij Dei ad domum principis, aduentum ipſius ſignat ad Iudæos in nouiſsimo tempore, quando prædicante Helia & Enoch reuertetur ad eos quos reliquit, dicens: Relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Tũc illi qui crediderint clamabunt & collaudabunt eum, dicentes: Benedictus qui venit in nomine domini rex Iſraël. *Et cùm veniſſet ad domum principis*, Moſi, *& vidiſſet tibicines*. Tibicines ſunt carmen lubre canentes, id eſt, triſte, quia apud antiquos ſicut quærebatur ars muſica, in lætitia, ita quærebatur in triſtitia. Quare? Hanc vim habebat ars muſica, vt quem inueniebat triſtem, triſtiorem faciebat: quem inueniebat hilarem, hilariorem reddebat. Qui ſunt modo ibi tibicines? Spiritualiter magiſtri Iudæorũ qui triſte carmen canunt, qui vident ſe de terra repromiſsionis expulſos, vidẽt ſuam ſynagogam à Deo deſtructam, nec omnino credunt ab eo reſuſcitandam. Meritò ergo dolent & triſtantur, quia ſponſum autorem lætitiæ ſpiritualiter perdiderunt qui dicit: Non poſſunt filij ſponſi ieiunare, quandiu cũ illis eſt ſponſus. Veniet hora quãdo auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt. Nõ ſunt adhuc in numero illorum Iudęi de quibus eſt illud Pſal. Et lætentur omnes qui ſperant in te, &c. *Et turmultuantem*. i. flentem.

Tu

Tumultus dicitur tumor de multis, *dice bat: Non eſt mortua puella, ſed dormit.* Illis erat mortua qui eam reſuſcitare non valebant, domino autem dormiebat, quia & illius anima domini diſpoſitione viuebat, & caro reſuſcitanda quieſcebat. Ideo conſuetudo exorta eſt ſacræ ſcripturæ, vt omnes qui reſuſcitãdi ſunt à Deo, non mortui ſed dormiẽtes appellentur, ſicut eſt illud Pauli Apoſt. Nolo vos ignorare fratres de dormientibus, id eſt, de mortuis. Et dominus de Lazaro: Lazarus amicus noſter dormit. Licet mortuus fuiſſet, domino dormiebat, quia faciliùs poteſt Deus hominem reſuſcitare de ſomno mortis, quàm homo hominem de ſomno corporis. Moraliter, Cũ anima peccatis plena ipſa moriatur, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Anima quæ peccauerit ipſa morietur, tamen reſuſcitanda eſt à domino per lamentum pœnitentię. Nobis quidem mortua, ſed illi obdormiſſe dici poteſt, quia in eius prædeſtinatione iam viuit. *Et deridebant eum,* quia dixerat: non eſt mortua puella, ſed dormit. Non putabant eum reſuſcitare eam poſſe, ideo meritò foras excluduntur, indigni tantũ miraculum videre. *Et cùm eiecta eſſet turba, puellam reſuſcitauit.* Anteà dixit dñs patri puellæ, ſecundum alium euan. Crede tantum, & ſalua erit filia tua. Deſignatur per hoc quia niſi

magiſtri Iudæorum crediderint, de quibus dominus alibi dicit: Super cathedrã Moſi ſederunt ſcribæ & phariſæi, Synagoga eorum non reſurget. *Et eiecta turba*, per hanc turbam deſignatur turba vitiorum. *Tenuit manum puellæ, & ſuſcitauit eam*: Manus puellæ deſignant manus Iudæorum quę ſanguine prophetarum ac cæterorum iuſtorum, ſanguine etiam Chriſti ſunt plenæ. Vnde & dominus illis improperat per prophetam: Cùm extenderitis manus veſtras ad deprecandum me, nõ exaudiam vos. Quare? quia manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Cũ ergo turba vitiorum eiecta fuerit à Iudæis, & cùm abrenunciauerint diabolo, & omnibus operibus eius, & manus eorum, id eſt, opera ſanguinolenta fuerint purgata per gratiam baptiſmi, & per ſanquinem Chriſti quem fuderunt, tunc ſaluabitur eorum ſynagoga. *Et ſurrexit puella & exijt fama per vniuerſam terram illam*. Cùm crediderint Iudæi appropinquante die iudicij, tunc exiet fama, id eſt, laus omnipotentis Dei per omnem terram: quia omnes gentes gaudebunt de credulitate Iudæorum. *Et iuſsit illi dare manducare*, ne phantaſtica videretur hęc reſuſcitatio. Spiritualiter omnis qui reſuſcitatur à Deo de morte aïę ad vitã, manducare debet. i. corpore domini noſtri Ieſu Chriſti & verbo Dei veſci.

Do-

Dominica vltima.

Homilia ſuper eo verbo,

Matt. XXIII.

S*Vper cathedram Moſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi.* Hæc verba domini non debemus carnaliter intelligere, vt credamus ſcribas & phariſæos ſediſſe ſuper cathedras ligneas, ſicut modò ſolẽt ſedere epiſcopi, & presbyteri in eccleſia. Per cathedram Moſi debemus intelligere doctrinam legis, quam accepit Moſes in monte Synai. Cathedra Græcè, Latinè dicitur ſella. Quod ergo per cathedrã deſignetur doctrina, ſiue bona, vt hic, ſiue mala, manifeſtat Pſalm. inquiens: In cathedra peſtilentiæ non ſedit, hoc eſt, malũ non docuit. Sicut em̃ per cathedrã peſtilentiæ deſignatur doctrina mala: Iſta & per cathedram Moſi bona. Scribis & Phariſæis commiſſa erat doctrina legis, vt eam exponerẽt auditoribus ſuis, ideo dixit dominus: *Super cathedram Moſi*, id eſt, ſuper doctrinam legis, *ſederunt ſcribæ & phariſæi*, quia ipſi docebant populum Iudæorum. Solium regum eſt, tribunal conſulum, cathedra doctorum vel ſacerdotum. De Simeon orti ſunt ſcribæ & phariſæi. De Leui, ſacerdotes & leuitę. Vnde ſcriptũ eſt: Simeõ & Leui vaſa iniquitatis bellantia, qa ſacerdotes dominum adiudicauerunt mori. Et ipſi ſacerdotes aliquando in euangelio phariſæi

riſæi

riſæi appellantur, quia ſcientiam legis habebant. *Omnia quæcunque dixerint vobis*, ſubauditur bona, ex iſta cathedra, quæ ad fidem pertinent, *ſeruate*, in corde, *& facite*, opere, quia ſcribæ & phariſæi multa dicebant, quæ contraria legi erant. *Secundum verò opera eorum nolite facere.* Quare? *Quia dicunt & non faciunt.* Bene docebant, ſed ea quæ docebant, malis operibus deſtruebant. Tales ſunt modò in ſancta eccleſia plerique epiſcopi & ſacerdotes, qui bene docent, & male viuunt, ſimileſque efficiuntur illis, quibus dominus dicit: Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, id eſt, qui deſtruxerit illud malè viuendo, minimus vocabitur in regno cœlorum, id eſt, in præſenti eccleſia. Quia cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur, à malis videlicet, non à bonis. Omnis qui malè prædicat, & malè viuit, non intrabit in regnum cœlorum. Quicunque enim imitantur ſcribas & phariſæos, cum illis damnabuntur in æterna damnatione. *Alligant autem onera grauia & importabilia.* Hic non debemus intelligere onera grauia & importabilia, pondus petrarum, aut lignorum, quæ in humeris portantur, ſed per onera grauia deſignantur maiora præcepta legis, difficilia ad implēdum. Quæ
ideo

ideo importabilia dicuntur, quia neque à ſacerdotibus Iudæorum, neque ab Apoſtolis ſine fide & gratia Chriſti poſſunt impleri. Petrus Apoſtolus manifeſtat hoc, cùm dicit quibuſdam Iudæis, qui iam Chriſtiani erant, & ſuadebant gentibus baptizatis, vt circunciderentur more illorum dicentes: quia aliter ſalui eſſe non poſſent. *Digito autem ſuo nolunt ea mouere*. Per manum intelligitur magna operatio, per digitum minima operatio. Scribæ & pharisæi magna docebant in populo ſibi ſubiecto, quæ deſignantur per onera grauia, ſed ipſi minima facere nolebant, quæ deſignantur per digitum. Hoc modo cõgruit epiſcopis & prælatis eccleſię, qui graue põdus pœnitentiæ imponunt pœnitentibus, ipſi nec minimam pœnitentiam agunt de peccatis ſuis. Talis pœnitentia peccatoribus imponenda eſt, quã facere poſsint. Accipe exemplũ: Si poſueris faſcẽ ſuper humeros adoleſcentis, quã non poſsit portare, neceſſe eſt aut faſcẽ eijciat, aut ſuccũbat. Melius eſt aũt, vt de miſericordia arguatur ſacerdos in die iudicij à domino, quam exhibuit erga pœnitentes, q̃ de nimia crudelitate. *Omnia ergo opera ſua faciũt, vt videãtur ab hominibus*. Phariſęi ad hoc ieiunabãt, ad hoc eleemoſynas faciebant, vt aut laudẽ, aut munera tẽporalis acciperent ab hoĩbus.

Si-

Similes illis modo ſunt in ſancta eccle-ſia, qui ad hoc ieiunant, vt aut laudem verbis, aut munera temporalia accipiãt ab hominibus. Quicunq; ergo ad hoc a-liquid agit, vt videatur ab hominibus, cum ſcribis & phariſæis condemnabi-tur. Et qui ſimilis eſt in culpa, ſimilis e-rit in pœna. Talibus dicet dominus in die iudicij: Recepiſtis mercedem veſtrã, id eſt, gloriam quam quæſiſtis Vę vobis (dicit B. Hieronym⁹) ad quos vitia pha-riſæorum tranſierint, *dilatãt enim phyla-cteria ſua*. Phylacterium cõpoſitum no-men eſt, ex duobus corruptis, ex phy-laxe & torath, Phylaxe Græcè, Latinè dicitur obſeruare: torath Hebraicè, La-tinè dicitur lex, phylacterium dicitur obſeruatio legis. Dominus cùm dediſſet mandata legis per Moſen famulum ſuũ populo Iſraëlitico, ad vltimum intulit: Ligabis ea in manu tua, & erunt immo-ta ante oculos tuos. Quod carnaliter in-telligentes ſcribæ & phariſęi ſcribebant decalogum legis, id eſt, decem pręcep-ta, quæ continentur in lege in membra-nulis, id eſt, in pitaciolis, hoc eſt, in per-gamenis, complicantes ea, & ligantes in fronte, & quaſi coronam facientes capi-ti ſuo, vt quicunque videretur hoc habe-re, religioſus haberetur à populo, quod vſque hodie Iudęi & Babylonij faciunt. Tales ſunt modo in ſancta eccleſia, qui

por-

portant cruces in pectore. Illa pitaciola decalogi phylacteria vocabant, id eſt, cuſtodiā legis; non intelligentes quod hæc in corde portanda ſunt, nō in corpore. Ligabis hæc in manu tua. Ac ſi diceret dominus: ligabis ea in manu tua, id eſt, opere perficies. Et erunt immota ante oculos tuos, vt die & nocte mediteris in illis. *Et magnificāt fimbrias.* Præcepit quoq; dñs per Moſen, vt in quatuor angulis palliorum ſuorum facerent Iudæi hyacinctinas fimbrias, id eſt, bauas non prolixas, ſed breues. Vt ſicut habebant ſignum circunciſionis in corpore, à quo diſcernerentur à gentibus ita haberent aliquam differentiam in veſtib⁹, quò cognoſci poſſent in medio turbarum. Quas fimbrias facientes illi nō breues, ſicut lex præcipiebat, ſed longiſsimas, ligabant in eis acutiſsimas ſpinas, vt ſiue ſederent, ſiue incederent, pungerentur ab illis, & recordarentur mandatorum Dei. *Amant autem primos recubitus in cœnis.* Contra ſcribas & phariſæos loquitur hic dominus, qui amabāt primos recubitus in cœnis, hoc eſt, in conuiuiis. Recumbere, eſt iacendo comedere, quia antiqui iacendo comedebant. Cœna dicitur à communi veſcentium, quia cœnon Græcè, Latinè dicitur commune. Antiqui enim in die ſolummodo vna vice comedebant, vide-

licet hora diei nona, *& primas cathedras in ſynagogis*, ſubauditur amant, in ſynagogis.i.in eccleſijs, vbi cõueniebant diebus ſabbatorum, primas cathedras quęrebant.i.primas ſedes, vt primi ſederẽt, *& ſalutationes in foro*.i. in publico amãt, vt ſalutentur ab hominibus, *& vocari ab hominibus rabbi*. i. magiſtri. Illum locum quem tunc tenebant ſcribæ & phariſæi in populo Iudæorum, illum tenẽt modo epiſcopi & ſacerdotes in eccleſia. Dicit B. Aug. quod ſi epiſcopus aut ſacerdos dignitatem nominis quã habet in officio ſeruat in opere, dignum eſt vt hæc omnia à ſubditis ſuis recipiat, videlicet vt primus ſedeat in cõuiuijs, & primum teneat in eccleſijs locum, & ab omnibus ſalutetur, ac rabbi.i.magiſter vocetur. Qui verò dignitatem nominis deturpat male viuẽdo, & iſtum honorem exigit à ſuis ſubditis pro omnibus his quæ indignè recepit, ſupplicium recepturus eſt in die iudicij. *Vos autem nolite vocari rabbi, quia magiſter veſter vnus eſt Chriſtus*. Quare agimus extra præceptũ domini, appellantes homines magiſtros & patres? Dominus dicit: Ne vocemini magiſtri, nec patres, nos vocamus magiſtros & patres. Nunquid non peccamus? Non: Nos ſi hominem vocamus patrem, honorem ætati deferimus, non autorem vitæ noſtræ eum oſtendimus:
quia

quia ſi ipſe proiecit ſemen in vtero matris noſtræ, Deus omnipotens formauit corpora, & dedit vitam. Et ſi hominem vocamus magiſtrum, honorem ei deferimus, per quem Deus omnipotens nos docet, quia ipſe fiſtula Dei: tamen non eum oſtendimus autorem ſcientiæ noſtræ: quia niſi Deus illuſtrauerit cor auditorũ, in vacuum laborat lingua doctoris. Multi multa dicunt in hoc loco, ſed nos abbreuiamus, ſolum per pietatẽ docentes. Sicut ergo Deus & dñs noſter Ieſus Chriſtus cùm ſit proprius filius Dei, non præiudicat nobis. i. non dãnat nos, ſi per adoptionem dicamur filij aut dij, ſicut Pſalm. dicit: Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Sic Deus omnipotens pater & ſpiritus ſanctus ſancta trinitas cùm ſit pater creator omniũ, quia ipſe docet oẽs de quo per quendã ſapiẽtem dicitur: Omnis ſapientia à domino Deo eſt: non præiudicat hominibus, ſi abuſiue vocentur patres & magiſtri *Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter*. De ſemetipſo loquitur hic dominus. ille qui erat maior Apoſtolis dignitate, miniſter illorum factus eſt, quando pedes illorum lauit. Vel certè tunc miniſter factus eſt, quando vitam ſuam miniſtrauit pro nobis ad mortem, iuxta quod ipſe dicit: Non venit filius hominis miniſtrari, ſed miniſtrare.
 Quan-

Quantum ad prælatos ſanctæ eccleſiæ pertinet, videlicet ad epiſcopos & preſbyteros, & cęteros qui aliis prelati ſunt, tria debent miniſtrare ſubditis ſuis doctrinam, exemplum religionis, & ſubſidia temporalia: ſine quibus vita humana tranſiri non poteſt. Si ergo vis fratrem tuum præuenire in cœlo regnando, præueni illum modo in terra obſequendo, id eſt, humiliando, iuxta quod ſcriptum eſt. Quantò maior es, humilia te in omnibus, præueniens illum. Quò ergo hic præ cæteris humiliaberis, eò amplius in cœleſti beatitudine glorificaberis.

HO-

HOMILIÆ ALIQVOT ſequuntur de feſtiuitatibus ſanctorum ſecundum ordinem anni, & primò de ſancto Andrea Apoſtolo.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi quarto.

Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ. Hoc mare propter adiacentes regiones diuerſis nominibus nuncupatur. Dicitur mare Galilææ ab adiacente regione, quę Galilæa appellatur. Dicitur mare Tyberiadis propter Tyberiadem ciuitatem, quæ in littore eius ſita eſt. Dicitur & ſtagnum Geneſareth, eò quod generet ſibi auram. Dicitur & mare Cynereth, à proxima ciuitate quæ huic mari adiacet. Mare dicitur, eò quod amarum ſit. Et quare appellatur mare iſtud ſtagnũ, cùm non ſit amarum, ſed habile ad potandum? Proprietas Hebraicè linguæ ſeruatur ibi. Proprietas Hebraica eſt, vt omnes aquæ ſiue amarę, ſiue dulces maria appellentur, vt eſt illud in Gene. lib. Cõgregationes aq. appel. maria. Oẽs piſcationes quas legimus in euangelio fa-

ctas, in iſto mari fuerũt factę, & copiam piſcium præſtat vicinis ſuis. In longitudine extenditur centũ quadraginta ſtadiis, in latitudine quadraginta influente Iordane per medium, & vadit ipſe Iordanis fluuius in mare mortuũ, & ibi terminat curſum ſuũ, *vidit duos fratres Petrum & Andream* Dñs Ieſus Chriſtus vſq; ad triceſimum ſuæ ętatis annum ſecundũ carnẽ nõ habuit diſcipulos, triceſimo aũt anno baptizat[9] à Ioãne in Iordane cœpit prædicare primum in Galilæa, in tribu Zabulon & Neptalim. Vnde eſt illud prophetæ Eſa. Primo tẽpore alleuiata eſt terra Zabulõ, & terra Neptalim Cum autẽ cœpiſſet prædicare, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enĩ regnum cœlorũ. *Ambulãs Ieſus iuxta mare Galilææ vidit duo: fratres Petrum & Andream.* Vidit & oculis corporeis & intuitu diuinitatis ſuæ quia quos vocauit exteriùs vt ſequerentur, interiùs illuminauit corda eorum, vt crederent illũ verum Deum eſſe. *Et vocauit eos: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Quaſi diceret: Sicut hactenus cepiſtis piſces retibus & traxiſtis de profundis gurgitibus, ita deinceps capietis homines per prædicationem veſtrã, & trahetis de profunditate infidelitatis ad fidem, & de tenebris ignorantiæ ad lucem. *Illi autem relictis retibus & nani*

naui, ſequuti ſunt eum. Quærēdum nobis eſt, Si hæc illa vocatio eſt quam Matth. & Mar. narrāt an illa quam Luc. narrat vbi dicit: Cum turbæ multæ irruerent ad Ieſum, vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth, vbi ad ſolū ſermonē dñi dicentis. Laxate retia veſtra in capturam, impleta ſunt re retia multitudine piſciū, ita vt penè mergerentur, vndè & Petrus annuit ſocijs ſuis Iac. & Io. qui erāt in alia naui vt venirent & adiuuarent eos, vbi & dñs dixit Petro: Ex hoc iam homines eris capiens, vbi etiā ad extremū Euang. ſubinfertur. Et ſubductis ad terrā nauibus ſequuti ſunt eū. Ecce, ꝑpoſita eſt quæſtio vtrum hæc vocatio quam Mat. & Marcus dicunt, aut illa ſit quā Lucas dicit. Ad quod reſpōdendū eſt, quia vocatio quā Lucas narrat, anteà fuit ꝙ iſta. In illa vocatione audierant prædicationem ex ore domini, & viderant miraculum ab eo factum. In hoc quòd ad ſolum eius ſermonem impleta ſunt retia multitudine piſciū. Et quod dicit: Subductis ad terram nauibus ſequuti ſunt eū, ſubauditur cauſa reuertendi ad ꝓpria, quia tunc ita eum ſequuti ſunt, vt iterum reuerterētur ad propria, ſicut & fecerūt. Iſta aūt vocatio in qua bini, & bini vocati ſunt, poſt illā fuit quā Lucas narrat. In iſta vocatione ita ſequuti ſunt dñm,

vt nullo modo iã reuerterentur ad propria ſicut nec fecerunt. Iulianus Apoſtata & Porphyrius reprehendunt Apoſt. quare ad vnius iuſsionis vocem ſequuti ſunt hominem incognitum quem anteà non cognouerant, nec miraculũ fieri ab eo viderant Quibus B. Hiero. quia quãdo dñs diſcipulos vocauit, claritatẽ diuinitatis ſuæ in vultu prętendit. Quã claritatẽ illi cõtuentes, cõtinuò crediderunt eum eſſe verum Deum, & ſequuti ſunt eum. Non eſt mirum, ſi creator omnium potuit facere, vt ad vnam iuſsionẽ ſequerentur ſe piſcatores cùm tanta vis ſit creaturę, vt creaturã ad ſe trahat. Fertur magnes lapis tantam vim habere, vt nõ ſolùm ſtipulam, ſed etiam ferrum ad ſe trahere poſsit. Vndè & in quibuſdam regionibus ſuſpendunt fœminæ illum lapidem in locis vbi conſuunt & texũt, & vbi perdiderunt acus ad aliquod ferrum non requirant in terra, ſed in magnete lapide qui ſurſum eſt ſuſpenſus. Quærendum etiam nobis eſt, quare nõ vocauit dominus ſcribas & phariſæos, aut philoſophos, aut reges, aut diuites, ſed pauperes & idiotas. Quia ſi vocaſſet ſcribas & phariſæos, dicerent illi phariſæi Sapientes nos inuenit, ideo nos vocauit, vt per noſtram ſapientiam totum mundum ſuo ſubiugaret imperio. Si autem vocaſſet reges, dicerent illi reges pro-

propter noſtram potentiam vocati ſumus à Chriſto Si vocaſſet diuites, dicerent illi diuites, propter noſtras diuitias vocauit nos Chriſtus. Ideo non vocauit eos dominus nec philoſophos, nec reges, nec diuites, ſolummodo piſcatores, & illiteratos, vt demonſtraret quia prædicatio euangelij, non in ſapientia humana, nec in nobilitate generis, nec in diuitijs terrenis, ſed in virtute Dei cõſiſtit. Vndè dicit B. Paulus Apoſt. Infirma mundi & contẽptibilia elegit Deus, vt confundat fortia. *Illi autem relictis retibus ſequuti ſunt eum.* Fortaſſe aliquis diceret. Quid reliquerunt illi, qui pœnè nihil habuerunt? Ad hoc reſpondendum eſt Quia multum reliquerunt qui ipſam voluntatem habẽdi reliquerunt, tanta enim relicta ſunt à ſequentibus, quanta à non ſequentibus concupiſci potuerunt. Reuertamur ad caput euangelij, & dicamus aliquid de morali ſenſu. *Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ.* Spiritualiter mare deſignat præſens ſeculum. Quia ſicut fluctus maris vſque ad cœlum aſcendunt, & deſcendunt vſque ad abyſſum, ita & homines eriguntur ſoſpitate aliquando, & aliquando deprimuntur mœrore. Tunc enim ambulauit dominus Ieſus iuxta mare, quãdo homo factus eſt inter homines iuxta quod Ioan. Euangeliſt. dicit: Verbum

caro factũ eſt, & habitauit in nobis, ambulãs Ieſus iuxta mare Galilææ.i. incarnatus in mundo, elegit prædicatores, qui apti eſſent ad prædicandũ per totũ orbẽ. Qui rectè bini vocati ſunt, propter duo teſtamẽta, vetus & nouũ, vel ,ppter geminam dilectionem Dei & proximi, ſeu propter doctrinã & operationẽ. Qui enim officium prædicationis in eccleſia ſuſcepit, vtroq; teſtamẽto debet eſſe imbutus, & dilectione Dei & proximi, ſimulq; doctrina & operatione ornatus. Si vno horum caruerit, miniſteriũ prædicationis nullatenus habere debet. Per binos diſcipulos dñi Petrũ & Andreã, Iacobum & Ioannem, poſſumus intelligere duos populos, Iudaicũ & Gentilẽ. Per Petrũ qui interpretatur agnoſcens, & Simonẽ qui interpretatur obediens, & Iacobum qui interpretatur ſupplantator intelligitur Iudaicus populus, qui agnouit peccatum ſuum & humiliter cõfeſſus eſt, & Dei præceptis obediuit in Patriarchis & prophetis, qui etiam fuit ſupplantator vitiorum. Per Andream qui interpretatur virilis, & Ioannem, qui interpretatur gratia Dei, intelligitur populus gentilis, qui virilis & fortis fuit in martyribus ad omnia tormentorum genera pro Chriſti nomine ſufferenda. Antè enim potuerunt crucifigi martyres Chriſti, ſicut B. Petrus & An-

Andreas, cuius hodie feſtiuitas celebratur, & antè poterant lapidari, ſicut beatus Stephanus, & decollari, ſicut beatus Paulus, & vſtulari, ſicut beatus Laurentius, quàm à Chriſti nomine ſeparari. Vndè dicit egregius prædicator beatus Paulus: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an gladius? Subauditur nulla tribulatio ſeparabit nos à dilectione Dei. Ipſi enim deſignantur per Ioannem, qui omne bonum quod fecerunt aut habuerunt, à domino accepiſſe crediderunt. Et hoc non ſuis meritis ſed Dei gratiæ deputauerunt, iuxta quod Paulus dicit. Gratia Dei ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt. Poteſt enim & vnuſquiſque noſtrum ſpiritualiter nomine Petri cenſeri qui agnouerit creatorem ſuum, & humiliter confeſſus fuerit iuxta quod Apoſtolus Iacobus dicit: Confitemini alterutrum peccata veſtra & orate pro inuicem vt ſaluemini. Poteſt & Simonis nomine cenſeri, ſi Dei præceptis obediens extiterit in quantum præualuerit, & Andreæ ſi virilis fuerit ad proſpera iſtius ſeculi & aduerſa perferenda, vt nec proſpera eum eleuēt, nec aduerſa deijciāt. Poteſt Iacobi nomine cenſeri, ſi fortiter ſupplanta-

Rom. 8

Ephe. 2

ſtauerit vitia, vt non dominentur ei peccata. Et Ioannis, ſi omne bonum quod egerit, Dei gratiæ & non ſibi attribuerit. Cùm omnia iſta quæ diximus fecerit, quid reſtat? Debet relinquere Zebedæum, id eſt, diabolum, quia diabolus interpretatur labens vel fugitiuus. Et diabolus rectè dicitur labens, quia de ſupernis lapſus eſt ad infernum & qui anteà erat angelus, factus eſt diabolus, id eſt, criminator vel ſurſum ruens. Ipſe etiam rectè dicitur fugitiuus, quia ſemper fugit præcepta Dei. Debet etiã quiſquis ille eſt qui dominum vult ſequi relinquere nauim, id eſt, concupiſcentias carnales: & retia, id eſt, implicamenta mundana. Et ſic debet dominum ſequi, id eſt, imitari, iuxta quod ipſe dicit: Qui mihi miniſtrat me ſequatur, id eſt, me imitetur. Quid reſtat? Si hęc omnia (Deo adiuuante) adimplere ſategerit, ad ſocietatem & gloriam Apoſtolorum in cœlis peruenire merebitur. Ad quam gloriam ipſi nos intromittant, per interceſſiones ſuas, & adiuuante domino noſtro qui viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

In feſto purificationis diuæ Mariæ Virginis.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Lucæ ſecundo.

Poſt

Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis eius, & cæt. Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moſi. Alij dicunt purificationis Domini. Alij purificationis Mariæ, ſed vtrunq; poſſumus intelligere. *Pòſtquàm impleti ſunt dies purgationis eius*, ſiue Domini, ſiue Mariæ *ſecundum legem Moſi, tulerunt*, id eſt, portauerunt Dominum Ieſum Chriſtum parentes eius, *in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Domino*, id eſt, vt ſta- Leui.12 tuerent eum in conſpectu Domini. Præceptum erat in lege, vt ſi qua mulier peperiſſet maſculum: immunda eſſet ſeptẽ diebus iuxta dies ſeparationis menſtrui & in octauo die natiuitatis circuncideretur infantulus. Ipſa verò mulier dehinc triginta diebus maneret in ſanguine purificationis ſuæ, omne ſanctũ non tangeret, nec ingrederetur ſuanctuariũ vſq; ad diem expiationis ſuæ. Si maſculum peperiſſet quadrageſimo die natiuitatis pueri, & trigeſimo tertio circunciſionis deferret eum in Hieruſalem, ad templum Domini cum muneribus. Si fœminam, octogeſimo natiuitatis die. Dominus non indiguit purificatione legali, quia nullum omnino peccatum habet ſecundum quod Petrus apoſtolus 1.Pet.2 dicit: Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Sed ideo voluit circuncidi, & quadrageſimo die natiui-

 tatis

tatis ad templũ deferri, vt quia homo erat, omnem legem impleret, iuxta quod
Matt.5. ipſe dicit: Non veni legem ſoluere, ſed adimplere. Similiter nec beata virgo Maria indiguit purificatione legali, vt per quadraginta dies abſtineret ſe ab introitu templi, ſed ſicut dñs ſpõte ſubiectus eſt legi, vt nos ab eius ſeruitute liberaret. Sic & beata virgo Maria legi ſubijci voluit, abſtinendo ſe ab introitu tẽpli per quadraginta dies nõ neceſsitate cogente, ſed propria voluntate, iuxta id
Eccl.3. quod ſcriptura dicit: Quãtò magnus es,
Leui.12 humilia te in omnibus. Videamus nãq; ſi B. virgo Maria fuit immunda. Moſes dicit: Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptẽ diebus, iuxta dies ſeparationis mẽſtrui. Cũ dicit. Mulier ſi ſuſcepto ſemine ex coitu viri pepererit maſculum, non eſſe immundã oſtendit B. Mariam: quia illa B. Maria non accepit extrinſecus ſemen, ſed ex ſemine illius opere & miniſterio ſpiritus ſancti formatum eſt corpus dominicum in vtero virginali. Pueri Iudæorum non deferebantur ad templum Domini, vſque dum circuncisi eſſent. Demonſtratur nobis per hoc, quia nullus hominum poteſt aſcendere ad patriam cœleſtem, quæ deſignatur per templum, niſi fuerit renatus baptiſmatis ſacramento, quod deſignatur per circun

cumciſionem, & nullus poteſt dominicis conſpectibus dignus eſſe, niſi circunciſus fuerit à vitijs & peccatis. *Quia omne maſculinum adaperiens vuluam.* Non loquitur hic Moſes de B. Maria virgine, quæ clauſo vtero concepit, & clauſo vtero peperit, & virgo integri corporis in æuum permanſit. Sed illis mulieribus loquitur, quæ ex coitu viri concipiunt, quarum vuluæ aperiuntur in natiuitate filiorum ſuorum. Non enim intelligẽdum eſt, quòd Dominus Ieſus Chriſtus ingrediens & egrediens vterum virginis integritatem virginitatis abſtuliſſet matris ſuæ. Non eſt credẽdum, quòd Dominus Ieſus Chriſtus, iuxta hæreticos, deuirginaſſet matrem ſuã: quia clauſo vtero intrauit, & clauſo vtero exiuit. Exemplum de ſpeculo & de verticulo, ſicut pluuia in vellus. *Cùm dicit omne maſculinum adaperiens vuluam* .i. primogenitum maſculum hominũ, & primogenitum maſculum pecoris debemus intelligere, quia vtrunque deo offerebatur. Sanctũ ideò dicebatur, quia ſanctis .i. ſacerdotibus dabatur, in partem ſacerdotum tranſibat, niſi precio redimeretur. Illa primogenita dominum præfigurabant, figuram deo prętendebãt: quia eſt Vnigenitus Dei patris ante oĩa ſecula, & Primogenitus in multis fratribus in fine temporum natus de virgine matre.

Vel

Vel aliter: Illa primogenita deſignabant initia bonorum operum noſtrorum. Domino offerebantur: quia quicquid nos boni gerimus, ſiue bonæ loquutionis, ſiue bonæ operationis, non noſtris meritis, ſed gratiæ Dei deputare debemus, à quo accepimus omne bonum, quod habemus, ſecundum quod ipſe dicit: Sine me nihil poteſtis facere. *Et vt darent hoſtiam ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Præceptum legis erat, vt quadrageſimo die natiuitatis pueri deferretur ille puer à parentibus in templum, & auferretur pro eo agnus anniculus immaculatus pro peccato. Turtur verò ſiue pullus columbinus in holocauſtũ. Quòd ſi non potuiſſet manus patris vel matris inuenire agnum quem offerret pro peccato, ſumeret duos turtures vel duos pullos columbę, vt offerret vnum pro peccato, alterum in holocauſtum. Holocauſtum dicitur, totum incenſum, totum combuſtum. Hoſtia dicebatur quia vſque ad oſtium templi adducebatur, & ibi recipiebatur à ſacerdotibus. Victima dicebatur, quia vinciebatur, id eſt, ligabatur per cornua & ſic adducebatur. Dominus Ieſus Chriſtus cùm eſſet diues ſecũdum diuinitatem, pauper fieri dignatus eſt pro nobis ſecundum humanitatẽ, vt illius inopia ditaremur, pau-

pauperum hoſtiam pro ſe voluit dari. Tantę nanq; paupertatis fuerunt parentes Domini i. B. Ioſeph &, B. Maria, vt in oblationem Domini non potuiſſent inuenire agnum quem offerrent. Sed ſicut ſcriptum eſt: Obtulerunt pro eo domino par turturum, aut duos pullos columbarum. Hæc hoſtia pauperum erat. In turture præfigurabatur Domini caſtitas, quia ex virgine natus eſt, virgo in æuum permanſit. In columba deſignatur eius ſimplicitas, de qua alibi dixit: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iſtæ aues pro cantu gemitus habent, & ideo per iſtas aues non incongruè deſignantur corda hominum quibus dicitur: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbę. Et bene duæ offerebantur: quia duo ſunt genera compunctionum. Primò namque anima, id eſt, homo ſitiens Deum, incipit deflere peccata ſua, timēs propterea ire in infernum. Dum ergo affligitur & torquetur in ſe pro peccatis ſuis timēs pro eis damnari in inferno cum diabolo & angelis eius: quaſi turturem vel columbam deo offert pro peccato. Cùm autem dignam pœnitentiam peregerit, & ſpem veniæ de peccatis ſuis adepta fuerit ipſa anima, id eſt, ipſe homo incipit amariſsime flere, quia differtur à regno,

Matt. 11
Mar. 10

gno, id eſt, à patria cœleſti. Et cùm amaꝛ
riſsime flere incipit, quia differtur à
regno Dei cum Pſalm. Heu mihi, quia
incolatus meus prolongatus eſt, quaſi
de altera turture, id eſt, de altera aui vel
de altera columba facit holocauſtum.
Vel certè hæ duæ aues ſignant duas viꝛ
tas: Actiuam & contemplatiuam. Per coꝛ
lumbam quæ gregatim volare conſueꝛ
uerat, deſignatur actiua, quæ multoꝛ
rum eſt. De quibus dicit Lucas in Actiꝛ
bus Apoſtolorum. Multitudinis autem
credentium erat cor vnum & anima vꝛ
na in domino, & erant illis omnia comꝛ
munia. Per turturem quæ ſoliuaga eſt
& ſingularitate gaudet, adeò, vt ſi conꝛ
iugem caſu perdiderit ſola exinde perꝛ
maneat, deſignatur contemplatiua viꝛ
ta, quæ paucorum eſt. Solus Moſes aſꝛ
Exo.19 cendit in montem ad Dominum aſtanꝛ
& .24. te populo in valle. Solus Eſaias vidit
Eſa.6. Dominum in habitu regnantis ſuper
ſolium excelſum & eleuatum, & audiꝛ
uit voces angelicas dicentes: Sanctus,
Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exerꝛ
cituum. Solus Daniel remanſit inter anꝛ
gelos iuxta fluuium Tigris fugientibus
ſocijs. Solus Paulus raptus eſt, vſque
ad tertij cœli ſecreta contuenda. Hac
vita (ſicut diximus) paucorum eſt. Actiꝛ
ua vita eſt panem eſurienti dare, ſitienꝛ
tem potare, nudum veſtire, inſcium doꝛ
cere,

cere, pauperes colligere, infirmum viſitare, mortuos ſepelire. Contemplatiua vita eſt orationi & lectioni inſiſtere, à ſeculi actibus ſe reddere alienum, & toto niſu mentis & deſyderio ad patriam cœleſtem tendere. Hæc vita pertinet ad eos maximè, qui in cœnobijs degentes perfectè Deo ſeruiunt. Actiua vita in præſenti ſeculo incipitur, & in futuro terminatur. Contēplatiua aūt vita à præſenti ſeculo incipitur, & in futuro percipitur. Et quia vtraque vita Deo placet, actiua ſcilicet & contemplatiua: ideò non narrat hic Lucas Euangeliſta vtrum turtures pro Domino ſint oblatæ aut columbæ: ne vnum ordinem viuendi alteri præferat. Item cùm in cubiculum & clauſo oſtio oris oro patrem in abſcondito, turturē offero. Cùm verò eiuſdem operis ſocios, & participes quæro dicens cū Pſalmiſt. Venite adoremus & procidamus ante deū columbas ad altare deporto. *Et ecce homo erat in Hieruſalem, cui nomen Symeon.* Nato Domino in carne omnis ætas & omnis ſexus teſtimonium laudis illi perhibet: Angeli teſtimonium laudis illi perhibuerunt cùm dixerunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Paſtores de Iudæa laudauerunt eum. Magi ab oriente venientes adorauerunt eum, Prophe-

taue-

Luc.1. tauerat virgo Maria dicēs : Magnificat anima mea Dominum. Prophetauerat copulata coniugio Elizabet. Prophetauerat ſanctus coniugatus Zacharias. Prophetauerat Anna vidua. Dignũ erat vt ſenex & plenus dierum teſtimonium laudis illi proferret, ne qua ætas aut ſexus eſſet qui diuinam laudem ei nõ redderet. Vt quia Dominus pro omnium
Matt.2 ſalute veniebat in mundum per virginem Mariam, ab omni ætate & ab omni ſexu teſtimonium laudis acciperet. Impleta prophetia Pſalmiſtæ qui dicit: Laudate Dominum de cœlis laudate eũ omnes angeli eius, & cætera vſque ad illud: Iuuenes & virgines, ſenes. Et confeſſio eius ſuper cœlum & terram. *Et homo iſte iuſtus & timoratus* .i. timore ſancto plenus. Duo ſunt timores. Vnus eſt ſeruilis, de quo Ioãnes dicit: Quoniam timor pœnam habet. Alter timor eſt caſtus. De quo vt conſolaretur Pſal. dicit:
Pſal.18 Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi. Aliter namque timent reprobi, aliter electi. Reprobi pro peccatis ſuis timent ne puniantur, electi timent ne offendant creatorem ſuum. Quo timore detinentur & angeli. *Expectans conſolationem Iſraël*. Illam conſolationem præſtolabatur beatus Symeon, quæ futura erat populo Iſraëlitico per domini aduentum, de qua ipſe Dominus dicit per

per Eſaiam prophetam, vt conſolarer *Eſa. 61.*
omnes lugentes. Quæ eſt iſta conſolatio *Mat. 5.*
lugentium? Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui flent, quoniam ipſi ridebunt. *Et ſpiritus ſanctus erat in eo.* Quia timore caſto erat plenus, ideo ſpiritus ſanctus erat in eo. *Et reſponſum acceperat à ſpiritu ſancto.* Ab ipſo ſpiritu ſancto qui erat in eo accepit reſponſum B. Symeon. *Non viſurum ſe mortem.* Quare dicit videre mortem: cùm ipſa mors veniens, oculos claudit videntes? Sed videre poſuit pro experiri .i. probare. *Non viſurum ſe mortem* .i. non experiturum, id eſt, non probaturum amaritudinem mortis. *Donec videret Chriſtum domini* .i. vnctum. Quia Chriſtus Græcè, Latinè dicitur vnctus. Dominus Ieſus Chriſtus vnctus fuit non oleo viſibili, ſicut reges & ſacerdotes veteris teſtamẽti, ſed oleo inuiſibili plenitudine ſpiritus ſancti. Vndè dicit Pſalmi. Propterea vnxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. *Et venit in ſpiritu in templum* .i. in ipſo ſpiritu qui erat in eo admonente, venit eo tempore quo Dominus delatus eſt à parentibus in tẽplum cum munerib' quadrageſimo die natiuitatis ſuæ. *Et cùm inducerent*, .i. introducerent, *Ieſum parentes eius*. i. B. Ioſeph & B. Maria. *Vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo* i. vt ſiſterent eum domino,

no, & offerrent pro eo munera par turtum, aut duos pullos columbarũ. *Et ipſe accepit eum.* B. Symeõ. *In vlnas ſuas.* i. brachia. Symeon ſenex & vetulus, iuuenem dominũ accepit in manibus. Et præfigurabatur per hoc, quia mundus in vetuſtate vltima poſitus ſuſcepturus erat fidem Chriſti .i. incarnationem, paſsionẽ & doctrinam eius. *Et benedixit Deũ patrẽ* .i. laudauit eum *& dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Ex his verbis ſancti Symeonis diſcimus, quia non ſolum patres noui teſtamenti, quorum vnus Paulus dicit: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, voluerũt ab hoc ſeculo abſtrahi, & ad cœleſtem patriam tranſire, verumetiam & patres veteris teſtamenti deſyderauerunt ab hoc ſeculo migrare. Quare? Quia ſciebant ſe poſt mortem carnis in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Iacob. i. in beata requie collocandos. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Dominum Ieſum tenens in manibus B. Symeon, facit ſermonem ad Deum patrem dicens: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Ac ſi diceret: Quia permiſiſti me videre filiũ tuum, ſicut pollicitus es mihi, non viſurum me mortẽ donec viderẽ eũ, dimitte me iam ire in pace .i. dimitte me tranſire ab hoc ſeculo, quia iã video illum. Quare dixit in pace? Quia ſancti Dei quãdiu in preſenti ſeculo cõſiſtunt, ſemper

per in prælio ſunt, contra aſtutias diabo li & contra oblectamenta carnis, & contra cogitationes malas. Non habent hic perfectam requiem, nec perfectam tranquillitatem, ideo dicūt cū B. Symeone: Nunc dimitte ſeruum tuum, vt quieſcā in pace, quia hactenus fui in bello. *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Quia viderunt oculi mei & oculi mentis, & oculi corporis, ſalutare tuum .i. filium tuū per quem decreuiſti ſaluare genus humanum. Idcirco permitte me iam migrare à præſenti ſeculo in pace. Viderunt oculi mei ſalutare tuum, *quod ſalutare, parasti ante faciem omnium populorum.* Ieſus græcè, latinè ſaluator vel ſalutaris dicitur. Quare? Quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Dominus Ieſus Chriſtus in primo aduētu, non eſt viſus ab omnibus populis, ſed præuidens ille B. vir Symeon per ſpiritum ſanctum quē habebat, quòd dñs Ieſus Chriſtus in reſurrectione generali videndus eſſet ab omni genere humano: ſicut Eſaias propheta. 40. cap. dicit: Et videbit omnis caro .i. omnis homo, ſalutare dei. Ideo dixit deo patri: Viderūt oculi mei ſalutare tuū, quod paraſti in tua præſciētia .i. in tua prædeſtinatione, ante faciem omnium populorū videndū in die iudicij. *Lumē ad reuelationē gentiū.* Eſt Dñs Ieſus Chriſtus, qui eſt ſalutare

Dei

Dei patris, per cuius paſsionem ac ſanguinem decreuit Deus pater ſalutem dare generi humano. Ipſe eſt lumen verũ, quia ipſe illuminat mentes hominum, & Iudęorum credentium & gentilium. Ipſe eſt lumen verum qui dicit Ioannis octauo. Ego ſum lux mundi. Et de quo Ioannes euangeliſta dicit primo capite. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem, & Iudæum & Gentilem, venientem in hunc mundum. *Ad reuelationem gentium.* Dominus Ieſus Chriſtus ad reuelationem, id eſt, ad illuminationem gentium venit in mundum per incarnationis myſterium. Quare? Quia gentiles in tenebris ignorantiæ poſiti erant, & in tenebris peccatorum, & in tenebris infidelitatis. Qui in tenebris eſt, reuelatione, id eſt, illuminatione indiget. Indigebat quoq; gentilis populus verò lumine Domino Ieſu Chriſto, per cuius doctrinam perciperet lumen fidei, & per cuius paſsionem ac baptiſmi ſacramentum, ab omnibus peccatis mundaretur. *Et gloriam plebis tuæ Iſraël.* Glória plebis Iſraël fuit Dominus Ieſus Chriſtus, q̃a illis promiſſus eſt in lege & prophetis, & ipſis (ſicut promiſerat) oſtendit ſe incarnatum, & de illis elegit matrem & apoſtolos, & inter illos multa miracula patrauit: illis etiam videntibus alta cœlorum penetrauit. Hæc fuit gloria illorum,

tum, hæc eſt laus & exultatio. Primum poſuit B. Symeō ad reuelationē gentiū, ac demum ſubintulit, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Quare? Quia prævidit mente quod anteà crediture eſſent gentiles in filium Dei, & deinde Iudæi in fine mundi, ſecundum quod Paulus Apoſtolus dicit, Roma. vndec. Cùm plenitudo gētium introierit, tūc omnis Iſraël ſaluus fiet. Ideo primùm poſuit illuminationem gentium, & deinde gloriam plebis tuæ Iſraël. Tale eſt illud Pſalmiſtæ nonageſimoſeptimo. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, ante conſpectum gētium reuelauit iuſtitiam ſuam. Quia ſequitur: Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſraël.

In feſto Annunciationis diuæ Mariæ virginis glorioſæ.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Lucæ primo.

M*Iſſus eſt angelus Gabriel à Deo*, &c. In menſe ſexto à Deo miſſus eſt Gabriel. Menſe ſexto Martium intellige, cuius viceſimo quinto die Dominus conceptus, traditus, paſſus eſt, quod eſt octauo Kalendarum Aprilium. Menſis ſextus appellatur Martius à cōceptione beati Ioannis, quæ fuit octauo Kalendarum Octobrium facta. Ab Octobrio vſque ad Martium, cum ipſo

Martio & Octobrio ſunt ſex menſes. Raphaël interpretatur medicina Dei, qui & Tobiam à cæcitate liberauit, & dæmonium ab vxore filij eius compeſcuit. Gabriel fortitudo Dei, qui illum nunciauit in carne venturum, qui ad debellandas aëreas poteſtates venit in mundum, Dominum videlicet Ieſum Chriſtũ, qui fortis eſt, iuxta quod Pſal. dicit: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Et ſuperauit diabolum mortuus ſecundum humanitatem, & deſtruxit eius imperium. *Et ingreſſus angelus ad eam dixit: Aue gratia plena* Aue, id eſt, ſalua ſis. Salutationis verbum eſt. Gratia plena. Gratia dicitur gratis data. Gratia Dei fuit plena B. M. Nulli enim homini ex matre & fœmina procreato tanta gratia collata eſt, quanta illi quæ creatorem ſuũ meruit generare à quo creata eſt. Sine ſemine viri cõcipit virgo, & virgo peperit, & virgo in æternũ permanſit. *Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* i. inter alias mulieres, benedicta ſis ſicut fuit Sara, Rebecca, Heſter, Iudich. Tu es amplius benedicta. *Et dabit illi Dominus ſedẽ Dauid patris ſui.* i. regnum. Ille regnauit tẽporaliter .i. Dauid in populo Iſraëlitico, Dñs regnabit ſpiritualiter in cordib⁹ fideliũ ſuorũ per fidẽ, qui eũ voluerunt credere de plebe Iſraëlitica. Illi⁹ regnum habuit finem,

Tob. 11.

nem, quia quadraginta annis regnauit, & ante mortem ſuam regnum Salomoni tradidit Dñs regnum perpetuum eſt, iuxta quod in ſubſequentibus dicitur: *Et regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis* Per Iacob intelligũtur Apoſt & cæteri credentes, qui de populo Iſraelitico venerunt. Vel per Iacob intelligitur Eccleſia, tã ex Iudæis, q̃ ex Gentibus cõgregata, quæ ſupplantauit vitia & diabolum, ſicut Iacob ſupplantauit ſuum fratrem in vtero. In qua eccleſia dñs regnat per fidem & dil ctionem, & regnabit in æternum: quum eam ad ſuã viſionis contemplationem perducet in futuro. *Quomodo fiet iſtud, quoniã virũ non cognoſco?* i. viri coitum. B. Maria legerat Eſa. prophetam. 7. dicentem: Ecce virgo concipiet, & pariet filium: Dixit hec beat⁹ Eſaias, quia virgo eſſet cõceptura Deum & paritura, tamen non expoſuit qualiter illa conceptio eſſet futura, ideo ſtuduit beata Maria ab angelo inquirere qualiter illa conceptio veniret. *Cui dixit Angelus: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Quaſi diceret: Non accipies exterius vnde cõcipies, ſed ſpiritus ſanctus ſuperueniet in te, id eſt, opere & miniſterio ſpiritus ſancti cõcipies. *Et virtus altiſsimi obumbrabit tibi* Hoc appellat virtutem altiſsimi quod ſpiritũ ſanctum. Habes in euan. dicente Dño ad diſcipulos:

Vos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto, id eſt, ſpiritu ſancto. *Et virtus altiſsimi obumbrabit tibi*, id eſt, vmbram tibi faciet. Qui calorem habet, vmbra eſt illi neceſſaria, vt refrigerium habeat tempore æſtatis à calore. Adueniens ſpiritus ſanctus vmbram fecit Mariæ, quia omnem calorem concupiſcentiæ carnalis ab illa abſtulit. Primum mundauit eam ab omni peccato, deinde omnem ſtatum concupiſcentiæ, quam habent virgines, abſtulit, vt poſtmodum nullã paſsionem quam habent virgines inde haberet. Ita concepit mundata filiũ. *Ideo quod naſcetur ex te corpus ſ. ſanctum vocabitur filius Dei, Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filiũ in ſenectute ſua.* B. Maria non fuit incredula verbis angeli, quod poſſumus comprobare ex verbis Elizabeth, quib⁹ dixit illi: Et beata es quæ credidiſti, quoniam perficiẽtur in te ea quę dicta ſunt tibi à Domino. Et quare dedit ei angelus ſignũ de Elizabeth? Vt intelligeret B. Maria, quia non erat impoſsibile deo omne opus. Ac ſi diceret illi: Certè impoſsibile nõ eſt apud Deũ vt tibi faciat ſicut Elizabeth. Quæ quũ eſſet vetula, habere filium fecit, ita non impoſsibile apud illũ, vt virginẽ faciat cõcipere ſine ſemine viri, & ipſam virginem in partu & poſt partum virginem permanere.

Omi

Omnia ſunt ei poſsibilia, ſicut iſtud, ita & illud, *Cognata tua*. Quare dicitur Elizabeth cognata .i. propinqua beatę Mariæ, quum B. Maria fuit de tribu Iuda, & Elizabeth de tribu Leui? Sciendum eſt, quia vt legitur in Exodo, quia Aminadab dux tribus Iudæ in deſerto accepit Elizabeth vxorem Aaron. Ecce vna coniunctio tribus Iudæ & Leui. Veniamus ad lĩ. Regum, vbi legitur quod Ioiadas ſacerdos accepit filiam Iorã regis Iudæ. Ecce altera coniunctio. Potuit etiam fieri vt recentiori tempore fieret coniunctio in tribu Iuda & Beniamin, vndè & B. Maria & Elízabeth deſcenderunt. Rectè namq; dñs de regia & ſacerdotali ſtirpe dicitur deſcẽdiſſe, quia ipſe & rex regum, & dñs dominantium eſt, & ſacerdos cui dicitur: Tu es ſacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedech. *Et hic menſis ſextus eſt illi*, id eſt Elizabeth, *qui vocatur ſterilis, quia nõ eſt impoßile apud Deũ omne verbũ* .i. omne op⁹. *Et dixit Maria ad angelum: Ecce ancilla domini.* Dominus eligebat eã ad matrẽ, & illa quare appellat ſe ancillã? Vt illius Sapien. dictum obſeruet, qui dicit: Quãtò magnus es humilia te in omnib⁹ & corã deo inuenies gratiã. *Fiat mihi ſecundũ verbum tuum*. Ac ſi diceret: Vtinã accipiã de ſpũ ſancto, ſicut tu dicis, vtinam veniat ſpiritus ſanctus, & obũbret mihi, & pa-

riā filium Dei. Superius dictum eſt: Ne timeas Maria, quare ergo extimuit? Quia non viderat anteà ſic viſibiliter angelum, ſicut tunc vidit. Mos eſt angelorum bonorum, vt quando apparent hominibus, exterreant eos, & ſtatim cōſolationem adhibeant. Habemus inde teſtimonium in Domini natiuitate, quando apparuit paſtoribus, & claritas Dei circunfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere, conſolatus eſt eos. Similiter in dominica reſurrectione, quando apparuit mulieribus ad ſepulchrum, & extimuerunt timore magno. Tunc dixit illis angelus: Nolite timere vos, & conſolationem ſtatim adhibuit illis. Econtrà ſpiritus maligni quando apparent hominibus, exterrent eos, & vt amplius timeāt laborare non deſiſtunt. *Et ingreſſus angelus ad eam dixit.* Forſitan aut legebat, aut operabatur: nō inuenit eam per plateas vagantem, ſicut vagæ & garrulæ virgines faciunt. Antiquitus apud Iudæos ſub magna cuſtodia patris & matris tenebantur, vſq; quò traderentur maritis. Hæc Deo obtulerat virginitatem ſuam, ideò filium Dei gignere meruit Deū & hominē, vnde Dei genitrix appellatur.

In natiuitate Ioannis Baptiſtæ.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Lucæ primo.

Elis

E*Lizabeth impletum eſt tempus pariendi*, &c. Elizabeth impletum eſt tempus pariendi, &c. ¶ Audiamus ſub breuitate ſenſum huius lectionis, quatenus ad laudem hodiernę ſolennitatis citius tranſeamus. Conſyderemus primũ verbum iſtud quod ſanctus euang. hic poſuit: Elizabeth, inquit, impletum eſt tempus pariendi. Scire debemus quod verbum iſtud, id eſt, verbum impletionis in bonorum hominum ortu.i. natiuitate: & obitu, id eſt, morte, & in conſummatione operis, ſancta ſcriptura cõſueuit ponere. Quod in ortu ponatur hoc verbum, habemus hic exemplum: Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi. Et alibi: Impleti ſunt dies Mariæ vt pareret, & peperit ſuum primogenitum Item quod in obitu ponatur, habemus plura exempla; vt defunctus eſt Abraham, vel aliquis alius patrum, dictum eſt ſenex & plenus dierum. Item quod in impletione operis ponatur: habemus exemplum vbi ſcriptũ eſt: Impleuit autem Salomõ ædificare domũ dñi. Hoc verbo etiam Apoſto. Paul. vſus eſt, vbi ait: Poſtquàm venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum in mundum. De malis verò hominibus, quorũ dies vani ſunt & vacui, ſcriptum eſt: Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabũt dies ſuos. Tũc nos noſtros dimidiamus

dies, quando per pœnitentiam emendamus delicta quę fecimus. *Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei.* Ideò verò vicini & parentes, natiuitate Ioannis audita, Elizabeth congratulabantur: quia Elizabeth ſterili anteà permanente, natus fuiſſet ſine ſuſpicione filius. Quia ideò deſperati erant omnes quòd vix à nunquam natus filius fuiſſet Elizabeth, maximè quum ipſa & vir eius ſenes eſſent: etiam euangeliſta teſtante qui dicit, quòd erāt ambo ſenes, incedentes in omnibus iuſtificationib⁹ Domini ſine querela, proptereà congratulabantur ei .ſ. quia magnificauit.i. magnam fecit miſericordiā ſuam cū illa, vt ei filius in ſenectute naſceretur. *Et factū eſt in die octauo, venerunt circuncidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam. Et reſpondit mater eius: Nequaquam ſed vocabitur Ioannes.* Pulchrè vicini & parentes Ioannis, cum legis præceptū impleuiſſent, die octauo venerunt circuncidere puerum. Qui parentes & vicini ſecundum ſuam conſuetudinem, nomen patris puero imponere volebant. Sed mater pueri, id eſt, Elizabeth inſpirata à ſpiritu ſancto reſpōdit. Nequaquā ſed vocabitur Ioānes. Et quidem Zacharias ſuæ vxori nomē pueri quod ab angelo audierat, dicere non

poſ

poterat, quia adhuc mutus erat: ſed per ſpiritum ſanctũ didicit Elizabeth, quod non didicerat à marito. *Et dixerunt ad illam, quia nemo in cognatione tua eſt, qui vocetur hoc nomine.* Ideo ſic reſponderunt, quia conſuetudo erat, vt nomina parentum accepiſſent filij. Et hæc conſuetudo à nonnullis adhuc obſeruatur. *Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. Et poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen eius, & mirati ſunt vniuerſi.* Quia igitur adhuc mutus erat Zac. & loqui non valebat, ideo illud nomen filij ſui, quod ab angelo didicerat, ſcribere voluit. Et pulchrè ſcripſit: *Ioannes eſt nomen eius*, acſi dixiſſet: Iam habet nomen quod agnouimus, ſed non quod eligimus. Nos enim nomen non imponimus, qui iam à Deo nomen angelo nobis narrante accepit. *Apertum eſt autem illico os eius & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum, & factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum.* Legimus in alio euan. quòd Ioan. inquiſitus quis eſſet, reſpõdit: Ego vox clamantis in deſerto. Et rectè quia vox in deſerto nata eſt, lingua parẽtis ſoluta eſt, lingua verò Zachariæ per fidẽ ſoluta eſt, quæ ꝓpter infidelitatẽ fuerat vincta. Et nõ decebat vt ipſe à laude dei taceret, qui de natiuitate filij ſui dominiq́ꝫ præcurſoris gaudebat. *Et ſuper omnia montana diuulgabãtur*

verba hæc. Et ſeſaerunt omnes qui audierũt in corde ſuo dicentes : Quis putas puer iſte erit? Et enim manus domini erat cũ illo. Quia Elizabeth ſterilis erat & anus .i. vetula iam facta : ideo timor factus eſt ſuper vicinos & cognatos eius de eius natiuitate, ſiue quia pater eius qui mutus erat, vt nomen eius ſcripſit loquelam ſuam recipere meruit. Hęc verò verba diuulgabantur ſuper omnia montana Iudęę ꝙ ſterili matri natus fuiſſet filius, & pater mutus in eius natiuitate nõ loquelã tantum ſed ſpiritũ prophetię recepiſſet. Et qui hæc audiebant dicebant in cordibus ſuis. *Quis putas puer iſte erit*. i. cuius magnitudinis? cuius dignitatis? *Etenim manus domini erat cum illo*. i. diuinum adiutorium. Allegoricè verò Ioannes qui gratia Dei dicitur ſanctum euangelium ſignat. Ioannis natiuitate celebrata, noui teſtamẽti eſt inchoata ſublimitas. Per parentes & vicinos qui nomen patris Ioanni volebant imponere, ſignantur Iudæi, qui quaſi iuncti affinitate magis iuſtitiam legis cupiebant ſectari, quàm gratiam ſancti euangelij recipere. Et per hoc quod mater verbis, & pater ſcriptis puerum Ioannem nuncupant, deſignatur quod ipſa lex & Pſalm. & Prophetæ apertiſsimis ſententijs gratiã Chriſti .i. nouum teſtamentum prædicãt, & per illud vetus ſacrificium teſtimonium ei per-

perhibet. Et per hoc quod Zacharias q mutus erat, octauo die natiuitatis filij ſui loquitur, deſignatur quòd per domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem, quæ die octaua facta poſt ſeptimam ſabbati illa myſteria quę erant occulta, manifeſta fuerunt. Et linguam ſacerdotum Iudæorum, quam perfidia & infidelitas abſoluit. *Et Zacharias pater eius repletus ſpiritu ſancto prophetauit dicens: Benedictus dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Penſemus quàm magna ſit pietas Dei, & quantus ſit ille ad dandum ſi nos fuerimus parati ad accipiendũ. A Zacharia nanq; oblata fuit ſola loquela, quæ nõ ſola, ſed cũ ſpiritu prophetiæ ei eſt reddita. Ait enĩ: *Benedictus dominus Deus Iſrael,* &c. Viſitauit plebẽ ſuã, quaſi lõga infirmitate languentẽ. Redemit verò per ſanguinẽ filij ſui, quaſi venditã ſub peccato. Viſitatio pertinet ad infirmum, redemptio ad captiuum. Attendẽdum eſt nobis quod plebem ſuam viſitaſſe & redemiſſe dicitur. Non ideo dicit ſuã, vt ille ſuã ipſam plebem inueniſſet, ſed viſitando & redimendo illam fecit ſuã. Simile eſt huic rationi illud quod de ſancta eccleſia ſcriptum eſt in Prou. Mulierẽ fortem quis inueniet? Nõ enim dominus mulierem, id eſt, ſanctam eccleſiam fortem inuenit, id eſt, firmiſsimam in fide, ſed redimendo

& ſponſando eam ſibi fortiſsimam feſcit in fide. Ideo & beatus Zacharias præteritum tempus poſuit, viſitauit redemptionem, qui citò videbat hoc eſſe implendum. Conſuetudo fuit ſanctorum patrum vt quod citò videbant implendum, quaſi iam factum fuiſſet, ſic narrarent.

In feſto apoſtolorum Petri & Pauli.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi decimoſexto.

VEnit Ieſus in partes Cæſareæ Philippi. Philippus iſte fuit frater Herodis iunioris, ſub quo Dominus paſſus eſt, & filius Herodis maioris, ſub quo Dominus natus eſt. Qui Philippus ædificauit ciuitatem Cæſaream, quæ nunc Paneas appellatur, in honorem Tyberij Cæſaris, & à Cæſare appellauit eam Cæſaream, ex ſuo autem nomine vocauit eam Cæſaream Philippi. Compoſitum nomen. Et ipſa ciuitas in prouincia Phœnicis, ad radicem montis Libani ædificata, vbi oriuntur duo fontes, vnum nomine Ior, & alterum Dan, quorum fontium riui copulati Iordanem fluuium faciunt. Ad quam ciuitatem dominus cùm appropinquaſſet interrogauit diſcipulos ſuos, dicens: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Non ideo interrogauit quaſi neſciret, quem eum dicerent homines, ſed vt eorum

rum confeſsionem digna mercede re-muneraret. Et non dixit, quem me di-cunt homines eſſe, ne iactãter de ſe quæ-rere videretur, ſed quem dicunt homi-nes eſſe filium hominis, ſic de ſe quaſi de alio loquens. Ita debent agere præla-ti ſanctæ eccleſiæ, debent interrogare ſubiectos ſuos, cuiꝰ opinionis habeãtur à populo. Si bonæ opiniones ſunt, creſ-cant ſemper in melius: ſi verò malam fa-mam habent, corrigant quæ correctio-ne digna ſunt. Illa ciuitas Philippi ſcili-cet Cæſarea regalis erat, vbi rex terre-nus à ſuis ſubiectis cenſum exigebat. Et vbi rex terrenus à ſuis ſubiectis cẽſum exigebat, ibi rex cœleſtis cenſum fidei à ſuis fidelibus exigere voluit, *quem dicũt homines eſſe filium hominis?* Homines hic appellantur qui terrena ſapiunt qui ve-rò diuina intelligunt, non homines ſed dij appellantur, iuxta illud Pſalm. Ego dixi dij eſtis. Et alibi: Deus ſtetit in ſy-nagoga deorum, in medio autem deos dijudicat. Et dominus ad Moſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, vt flagel-les eum more Dei. Et in lege Moſi. Si quis hoc vel illud fecerit, applica illum ad deos, id eſt, ſacerdotes. Sed iſti nũcu-patiuè dij ſunt, non eſſentialiter, *filium hominis*. Vbicunque in noſtris codicibus habetur, filium hominis vel filij homi-num, in Hebræo habetur, filij Adam. Vn-

dè legimus ſpiritum ſanctum frequen-
ter dixiſſe ad Ezechielem prophetam: Fi
li hominis, id eſt, filij Adã, vide ne cor
ruas, ſicut ille corruit. *At illi reſponde-
runt, alij Ioannem*. Alij dicebant Ioan-
nem dominum noſtrum Ieſum Chri-
ſtum eſſe, *alij Heliam*, qui curru igneo
vectus eſt in cœlum, & aduentum fi-
lij Dei debet præuenire ad iudicium,
alij Hieremiam, cuius mors in prophe-
tia illius non legitur. *Aut vnum ex pro-
phetis*. Si iſti omnes ita errabant in He-
lia & Hieremia, quomodo Herodes au-
dita fama Ieſu, errauit in Ioanne dicẽs:
Quem ergo decollaui Ioannem, ipſe ſur
rexit à mortuis, & virtutes operantur
in eo. *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Ac
ſi diceret: Illi qui homines ſunt huma-
na opinantur. Vos autem qui dij eſtis,
qui plus quàm homines eſtis, qui me-
am diuinitatem cognoſcitis, quem me
eſſe arbitramini? Dicite mihi. Vnus pro
omnibus reſpondit, id eſt, Petrus pro
omnibus Apoſtolis. Sicut ergo Petrus
ex perſona omnium ipſorum Apoſto-
lorum reſpondit. *Tu es Chriſtus filius Dei
viui*. Ita dominus quod Petro dixit,
in Petro cæteris Apoſtolis dixit. *Tu
es Chriſtus* in lege promiſſus, quem De-
us pater vnxit oleo lætitiæ præ con-
ſortibus eius, id eſt, plenitudine ſpi-
ritus ſancti. Deum viuum appellat ad
dif-

diſtinctionem falſorum Deorum, qui vocantur dij, ſed mortui ſunt, ques gentiles venerabantur vt Deos, ſicut fuit Hercules, Iupiter, Ceres, Mercurius, Saturnus, &c. idolorum portenta de quibus dicit Pſal. Simulachra gentium argentum & aurum opera manuum hominum & cætera, vſq; neq; eſt ſpiritus in ore ipſorum. *Et ait illi Ieſus. Beatus es Simon Bariona* primum B. Petrus vocatus eſt Simon. Simon interpretatur obediens. Quare obediēs? Quia ſtatim vt audiuit à domino cum Andrea fratre ſuo: Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum, continuò relictis omnibus ſequuti ſunt eum. Bariona Syriace, Latine dicitur filius columbæ, bar interpretatur filius, iona columba. Colūba ſimplex animal eſt, & ab amaritudine fellis extraneum. Et recte beatus Petrus filius columbæ, id eſt, filius ſimplicitatis appellatur à domino, quia ſimplex homo fuit, & ſimplici corde Deum ſequebatur, non duplici, ſicut Iudas. Vel certe per columbam deſignatur ſpiritus ſanctus, qui ſuper dominum requieuit tempore baptiſmatis in ſpecie columbę. Bariona. i. filius ſpiritus ſancti appellatur Petrus, quia iā renatus erat ex aqua & ſpiritu ſancto, *quia caro & ſanguis non reuelauit tibi.* Carnē appellat hic doctrinā phariſiacā, qa caro & ſanguis. i. carnales

ſes propinqui tui ſcribę & phariſęi, *Non reuelauerunt tibi*, quod ego ſum filiꝰ Dei, *ſed pater meus qui in cœlis eſt, ipſe aperuit* tibi ſenſum, vt intelligeres me filiũ Dei eſſe. *Et ego dico tibi*, quia tu dixiſti mihi: Tu es Chriſtus filius Dei viui, reddam tibi vicem, *quia tu es Petrus*. Sicut lux vera Chriſtus omnibus donauit Apoſtolis vt lux mundi dicerentur, & eſſent, dicens: vos eſtis lux mundi, ſimiliter & à petra hoc eſt à ſeipſo, de quo dicit Paulus Apoſtol. Petra autem erat Chriſtus, dedit nomẽ Petro vt vocaretur Petrus. *Quia tu es Petrus*, id eſt, firmitas fidei, quoniam veraciter me proteſtatus es verum filium dei eſſe. *Et ſuper hanc petram*, id eſt, ſuper me quem confeſſus es filiũ Dei eſſe, *ædificabo eccleſiam meam*. Quomodo ædificamur ſuper Chriſtum? Dũ credimus eum ante omnia ſecula genitum à patre, & in fine temporum natũ ex Maria virgine, dum credimus veraciter eum paſſum, reſurrexiſſe à mortuis, aſcendiſſe ad cœlos, & venturum ad iudicium, taliter ędificamur ſuper Chriſtum. *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. Per portas inferi poſſumus intelligere hæreſim, blandimenta perſecutorum: atque terrores, vitia atque peccata. Hæretici ideo vocantur portæ inferi, quia multos ſuis falſis doctrinis ad clauſtra inferni perduxerunt. Similiter
&

& peccata. Sed quid dicit dominus? *Et portæ inferi, non præualebunt aduerſus eã*, id eſt, aduerſus eccleſiam: quia licet pugnent hæretici, licet pugnent pagani, licet pugnent vitia & peccata contra ſanctam eccleſiam, tamen non præualebũt, quia electos ad vitam æternam prædeſtinatos, regit & gubernat Deus omnipotens in fide ſua. *Et tibi dabo claues regni cœlorum* Per claues debemus intelligere ſcientiam potentiamque diſcernendi inter bonos & malos. *Et tibi dabo claues regni cœlorum*, id eſt, tibi dabo ſcientiam potentiamq; diſcernendi inter bonos & malos: vt eos quos videris in fide recta permanere, dignos iudices cœlo quos verò videris à rectitudine fidei deuiare: dignos iudices pœnis inferni. Hanc poteſtatem non ſolum dominus contulit petro, ſed etiam omnibus Apoſtolis, quia ſicut Petrus fidẽ omniũ Apoſtolorum expreſsit, dicendo: Tu es Chriſtus filius Dei viui: Sicut dominus quod Petro dixit, omnibus dixit. Poſſumus hoc cõfirmare ex verbis ipſius domini, quibus dixit die reſurrectionis ſuæ eiſdem Apoſtolis: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. In veteri teſtamento ſacerdotes Iudæorum poteſtatem habebant diſcernẽdi inter leproſos & non leproſos. Ille qui

qui erat leproſus veniebat ad eos, & per iudicium illorum ſequeſtrabatur à ſocietate ſanorum. Qui autem mundus erat à lepra, iterum per iudicium illorũ recipiebatur intra caſtra. Non habebant tamen poteſtatem, vt de leproſis facerẽt mundos, aut de immundis leproſos. Similiter in ſancta eccleſia modo epiſcopi, & presbyteri, poteſtatem habent diſcernendi inter bonos & malos, vt eos quos viderint humiliter confiteri & plãgere peccata ſua, ſoluãt à peccatis, quos verò viderint in peccatis priſtinis permanere, dimittant eos ligatos, quia in conſpectu Dei omnipotentis ligati ſunt. Non tamen habent poteſtatẽ vt de non leproſis, id eſt, iuſtis faciant leproſos peccatores, aut de peccatoribus abſque confeſsione & pœnitentia faciãt iuſtos. *Et quodcunque* peccatum *ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*. Tuam ſententiam in terra ego confirmabo in cœlo. *Et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*. Ligat modo epiſcopus aliquem, cùm de ſocietate eccleſiæ ſanctæ eum abijcit, & à corpore & ſanguine domini ſeparat: ſoluit verò, cùm poſt dignam pœnitentiam peractam recipit eum in conſortium ſanctæ eccleſiæ, & reconciliat ſacro altari.

In

In commemoratione beati Pauli Apoſtoli.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi decimonono.

DIxit Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. Superiùs dixit dominus de diuitibus huius ſeculi, quam difficilè intrabunt in regnum cœlorum. Facilius eſt enim camelũ per foramen acus trãſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Quibus auditis Apoſtoli mirabantur valde, dicentes: & quis poterit ſaluus fieri? Quid pertinet hoc quod diſcipuli dixerunt: & quis poterit ſaluus fieri? At illud quod dominus dixerat, quàm difficilè intrabunt diuites in regnum cœlorum: cùm plures ſunt in præſenti ſeculo pauperes, qui poſſunt ſaluari quàm ſint diuites, & ipſi Apoſtoli pauperes erant? Sed ſciendum eſt, quia Apoſtoli rectè intellexerunt verba domini de diuitibus. Intellexerunt enim quod non ſolum appellaret dominus diuites qui diuitias habent & amant, verumetiam illos qui licet non habeãt, ſemper tamen deſyderant habere, quorũ infinitus eſt numerus. Dominus dicit alibi: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eã in corde ſuo. Si ille qui adhuc non tetigit mulierem, propter concupiſcentiam ta-

tamen iam quaſi adulter in conſpectu Dei habetur, ergo & ille qui cùm non habeat diuitias, in deſyderio tamen illarum ſemper anhelat: quaſi diues apud Deum reputatur. Tunc audiens à domino quod dixerat, quòd difficilè intrabunt diuites in regnum cœlorum, reſpondit beatus Petrus. *Ecce nos reliquimus omnia.* Ac ſi diceret: Fecimus quod iuſsiſti, tu dixiſti, ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Hoc præceptum adimplentes reliquimus omnia. Si conſyderemus cenſum, beatus Petrus parum reliquit, id eſt, rete, & nauim, ſed multum reliquit, qui ipſam voluntatem habendi deſeruit, cuncta enim & quæ habere poterat ac deſyderare, pro Chriſti amore poſtpoſuit. Grandis fiducia, dicit B. Hieronymus, Petrus piſcator erat, diues non fuerat, manu & arte cibum quęrebat, & tamen fiducialiter dicit: Ecce nos reliquimus omnia. Et quia non ſufficit tantummodo ſua relinquere, niſi & ſequatur Chriſtum, iungit quod perfectum eſt. *Et ſecuti ſumus te*, id eſt, imitati ſumus paupertatem tuam, pauperes effecti ſumus, ſicut tu pauper es. Pauper erat dominus, quia neque hoc habebat vbi caput ſuum reclinaret, iuxta quod ipſe dicit alibi: Vulpes foueas habent & volucres

cres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. Et tantæ paupertatis fuerunt parentes eius B. Ioſeph & B. Maria, vt in oblatione illius non potuiſſent inuenire agnũ quem offerrent pro eo, ſicut B. Lucas euangeliſta dicit obtulerunt pro eo par turturum aut duos pullos columbarũ. Ipſe etiam humilem locum elegit, vbi naſceretur, id eſt, Bethleem. *Quid ergo erit nobis*, id eſt, quid dabis nobis pręmij? quia ſequuti ſumus te. *Ieſus autem dixit illis: Amen dico vobis*, id eſt, verum dico vobis. *Quòd vos qui ſequuti eſtis me.* Non dixit vos qui reliquiſtis omnia, quia multi reliquerunt ſua, ſicut fecit Diogenes philoſophus, qui omnes diuitias ſuas ob amorem philoſophiæ proiecit in mare, vt liberius poſſet philoſophiæ inſeruire. Sed iſte talis non eſt ſequutus Chriſtum, quia non fecit hoc pro amore eius, ſed pro laude humana. *In regeneratione*, id eſt, in reſurrectione iuſtorum cũ ſancti Dei fuerint regenerati de morte ad vitam. *Cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ*, id eſt, in ſede claritatis ſuæ, quia maieſtas aliquando pro claritate ponitur, aliquando pro diuinitate. Vel in ſede maieſtatis ſuæ, hoc eſt, in nube, quia in nube dominus aſcendit in cœlum, & in nube reuertetur ad iudicium, ſicut angeli dixerunt ad Apoſto-

ſtolos in die aſcenſionis ſuæ, Viri Gali-
læi quid ſtatis aſpiciẽtes in cœlum? Hic
Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlũ,
ſic veniet in eadem carne, vel in eadem
nube, quemadmodum vidiſtis eum eun-
tem in cœlum. *Sedebitis & vos ſuper ſe-
des duodecim.* Per ſedes deſignatur iu-
diciaria poteſtas, quia iudices in malis
quando debent iudicia proferre contra
reos, non dant illa iudicia ſtando, ſed ſe-
dendo Et non eſt intelligendum, quod
ita ſedeant Apoſtoli iuxta dominum ad
iudicandum, ſicut iudices iuxta comi-
tem, vel iuxta principem aliquem, ſed
ſtabunt & iudicabunt non voce, ſed cõ-
paratione. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duo-
decim iudicantes.* Duodecim Apoſtoli fue-
runt. Vnus periit ſcilicet Iudas, & alter
in loco eius ordinatus eſt, id eſt, Mat-
thias. Sed iſti duodecim Apoſtoli, duo-
decim ſedes habebũt in die iudicii. Quã
ſedem habiturus eſt Paulus, in cuius fe-
ſtiuitate hoc euangelium legitur, qui di-
cit: Neſcitis quoniam angelos iudica-
mus, id eſt, ſacerdotes, quantò magis ſe-
cularia? Certe aut ſedebit primus in or-
dine Apoſtolorum: quia plus omnibus
laborauit: aut ſecundus. Sciendum eſt,
quia in duodenario numero omnes vi-
ri perfecti comprehenduntur, imitato-
res Apoſtolorum ab initio mundi vſq;
ad nouiſsimum electum. Duodenarius
nu-

mes: Cur tacetis? Quid inde vobis videtur? Reſpondent illi: Legem dixit. Similiter in die iudicij cùm dominus dixerit electis: Venite benedicti patris mei, dicent Apoſtoli & cæteri perfecti in corde ſuo: Certè iuſto iudicio facit Deus, quia bonos remunerat. Et cùm dixit reprobis Ite in ignem æternum, iuſto iudicio facit Deus: quia malos punit. Secundus ordo bonorum erit, qui non venerunt ad perfectionem Apoſtolorum, ſicut ſunt boni coniugati: qui proprias vxores habent in præſenti ſeculo, iuſtè viuunt, & de facultatibus pauperibus eleemoſynas erogant: iſti iudicabuntur & regnabunt. Quomodo iudicabũtur? Dicet illis dominus: Venite benedicti patris mei, quia eſuriui & dediſtis mihi manducare, ſitiui & dediſtis mihi bibere, &c. Tunc hi ibunt in vitam æternã. Iudicatio illorum nulla erit, niſi ſeparatio à malis, tranſlatio in vitam æternã. Duo etiam ordines erunt, vnus credentium & alter incredulorum, quorum diſtantiam faciens Pſalmiſta dicit: Ideo non reſurgunt impij in iudicio, neque peccatores in conſilio iuſtorum Impios appellauit Paganos, Turcas, Sclauos, Sarracenos, qui pietatem, hoc eſt fidem Dei omnipotentis non habuerunt: Peccatores appellauit, qui fidem Dei acceperunt in baptiſmo, & poſtmodũ ipſam
fidem

numerus ex ternario, & quaternario cõſtat, ſiue enim dicatur ter quaterni, ſeu quaterni ter, duodecim faciunt. Per ternarium numerum deſignatur fides ſanctæ Trinitatis, per quaternarium quatuor mundi partes, oriens, occidens, ſeptentrio, & meridies. Et ideo per duodenarium numerum, qui quaſi prælatiuus, id eſt, excellens ſemper deſignantur omnes ſancti, qui inter quatuor mũdi climata nati ſanctæ Trinitatis fidem ſeruauerunt: & perfectionem Apoſtolorum imitati ſunt, relinquentes omnia pro Chriſti amore: ſicut fecerunt ſancti patriarchæ, vt B. Abraham, qui audiens à domino: Exi de terra tua & de cognatione tua, & reliquit omnia quæ habebat, & ſequutus eſt dominum. Sicut fecerunt ſancti martyres, confeſſores, virgines, necnon & Heremitæ. Sicut per duodenarium numerum Apoſtolorum deſignantur omnes perfecti ſicut diximus: & ſicut per ſeptem milia virorum, de quibus dicitur à domino Heliæ: Reliqui mihi ſeptem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal, deſignantur multa milia. Et ſicut per quinq; fratres illi9 diuitis, q torquebatur apud inferos, intelligitur innumera multitudo Iudæorum quotidie propter incredulitatem pereuntium. Et ſicut in quinque virginibus prudentibus

bus deſignantur omnes animæ ſanctæ: ita & per duodecim tribus Iſraël, deſignantur oẽs gentes iudicantes duodecim tribus Iſraël. Certe & tribus Leui, quæ terriadecima eſt, iudicabitur. Tribus Iſraël iudicabunt ſancti Apoſtoli, quia illis credentibus, illæ tribus credere noluerunt. Tunc dicet perfidus Iudæis. O vos miſeri Iudæi, iſti diſcipuli mei, qui ſimiliter Iudæi fuerunt vt vos, crediderunt in me, & vos ergo quia non credidiſtis in me, ite in ignem ęternum. Quatuor ordines erũt in die iudicij: duo ordines bonorũ, & duo malorũ. Vnus ordo erit bonorũ perfectorum ſicut ſancti Apoſtoli, qui iudicabunt & non iudicabuntur. Qua ratione iudicandus eſt Petrus in die iudicij, qui in præſenti ſeculo eſt dãnatus? Crucifixus eſt Pet. Paul. eſt decollatus, quomodo iudicabũt tũc iſti? Non voce ſed comparatione melioris facti. Verbi gratia. Sedens comes in mallo, adducuntur ante eum rei, homicidæ, latrones & cæteris criminalibus peccatis grauati, præcipit comes iudicibus vt iudicent, qua pœna debent puniri. Dicit vnus ex iudicibus. Certe talis pœnæ eſt dignus, capite debet plecti. Tacẽt cæteri iudices. Quare vt ſuo ſilentio cõprobent eum verum iudicium protuliſſe. Dicit illis comes. Cur tacetis? Quid inde vobis videtur? Reſpondent illi. Legem

gem dixit. Similiter in die iudicij cũ do minus dixerit electis: Venite benedicti patris mei, dicent Apoſtoli & cæteri perfecti in corde ſuo: Certè iuſto iudicio facit Deus, quia bonos remunerat. Et cũ dixit reprobis: Ite in ignem æternum, iuſto iudicio facit Deus: quia malos punit. Secundus ordo bonorum erit, qui non venerunt ad perfectionem Apoſtolorum, ſicut ſunt boni coniugati: qui proprias vxores habent in præſenti ſeculo, iuſte viuũt, & de facultatibus pauperibus eleemoſynas erogant: iſti iudicabuntur & regnabunt. Quomodo iudicabuntur? Dicet illis dominus: Venite benedicti patris mei, quia eſuriui & dediſtis mihi manducare, ſitiui & dediſtis mihi bibere, & cæt. Tunc hi ibunt in vitam æternam. Iudicatio illorum nulla erit, niſi ſeparatio à malis, tranſlatio in vitam æternam. Duo etiam ordines erunt, vnus credentium & alter incredulorum, quorum diſtantiam faciens Pſalmiſta dicit: Ideo non reſurgunt impij in iudicio, neque peccatores in conſilio iuſtorum. Impios appellauit Paganos, Turcas, Sclauos, Sarracenos, qui pietatem, hoc eſt, fidem Dei omnipotentis non habuerunt. Peccatores appellauit, qui fidem Dei acceperunt in baptiſmo, & poſtmodum ipſam fidem malis operibus deſtruxerunt. Iſtis

dicet dominus: Ite maledicti in ignem æternum, quia mea præcepta non eſtis ſequuti: Eſuriui & nõ dediſtis mihi mãducare, &c. Hæc erit iudicatio illorum. Et ibunt hi in ignem æternum. Illi autẽ qui notitiam Dei non habuerunt, ſicut ſunt Turcæ, non erunt digni allocu-
Rom. 2. tione Dei, ſed ſicut ſine lege peccauerũt:
Ioan. 3. ita & ſine lege peribunt. De talibus dicit dominus: Qui non credit iam iudicatus eſt, id eſt, condemnatus, quia non credit in vnigenitum filium Dei. Iam iudicati ſunt infideles, id eſt, damnati, ideo non iudicabuntur, ſed ibunt cũ illis in pœnas perpetuas qui Chriſtiani fuerũt, ſed opera Chriſtianitatis non fecerunt. *Et omnis qui reliquerit domum, aut vxorem, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Male quidam hunc locum intellexerunt dicentes, quod omnis qui reliquerit in præſenti ſeculo vnã vxorem, aut domum, aut agrum, centuplum habiturus ſit in futuro per mille annos, ſicut adhuc credunt Iudæi. Sed iſtorum aſſertio non eſt vera, quia dominus dicit: In reſurrectione enim neque nubent, neq; nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei in cœlo. Erunt quidem ibi genitalia membra & virorum & mulierum, ſed non erit voluntas coeundi. Si enim (quod falſum eſt) illic recepiſſet homo centum vxo-

vxores, qui hîc vnam pro domino reliquerit, & ſi in cæteris rebus eſſet pulchritudo, in vxoribus tamen eſſet turpitudo. Sed nos aliter debemus intelligere. *Omnis qui reliquerit domum.* Multi ſunt qui reliquerunt ſeculum, ſicut fecit B. Gregorius, Auguſtin Martin. & multi alij poſtponunt ſeculum ob amorem Dei, & ſecreta monaſteriorum adeunt. Iſti tales ſolent relinquere vnum agrũ, aut vnum manſum, & recipiunt centũ in congregatione Monachorum. Relinquunt vnum patrem, & inueniunt centum patres ſpirituales. Relinquunt vnũ filium aut fratrem, & inueniunt cẽtum fratres qui eis glutino charitatis adhæ rent. Hoc ſecundum literam. Secundum verò ſpiritualem intelligentiam omnis qui reliquerit temporalia pro amore nominis Chriſti, cẽtuplum accipiet, id eſt, perfectionem mentis à domino conſequetur in præſenti, vt ea quæ ſemel deſeruit, vlterius repetere nolit. Et poſt hanc perfectionem mentis vitam æternam apud dominum obtinebit. Quanta diſtantia eſt inter centenarium & quemlibet paruum, aut quinarium, aut ternarium, aut binarium, tanta diſtantia eſt inter ſpiritualia bona quæ hic percipiunt electi, & carnalia quæ hic deſeruerunt. Qui ergo ex toto corde temporalia & carnalia reliquerit pro Chriſto, &

in præſenti recipiet ſpiritualia bona, id eſt, virtutes, charitatem, fidem, ſpem, & in futuro vitam æternam poſsidebit. i. Deum omnipotentem habebit, qui eſt vita æterna, iuxta quod ipſe dicit: Hæc eſt vita æterna, & cæ. Ille talis veraciter poteſt dicere: Dominus pars hæreditatis meæ.

In feſto decollationis Ioan. Baptiſtę.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Marci ſexto Capitulo.

M*iſit Herodes & tenuit Ioannem & alligauit eum in carcerem*, &c. Ex occaſione commemorationis Ioannis inſerit euãgeliſta qualiter idem præcurſor paſsionem ſuſtinuerit. Vetus enim narrat hiſtoria Philippũ iſtius Herodis fratrem, filium autem maioris Herodis ſub quo dominus natus eſt, duxiſſe in coniugium filiam Arethæ regis Arabum, ſed poſteà quibuſdam ſimultatibus & diſcordijs inter Philippum & Arethem ortis, abſtulit ab eo filiam ſuã, & dedit Herodi adhuc viuente Philippo fratre eius. Ergo Ioannes qui in ſpiritu Helias erat eadem authoritate qua Helias, Achab & Ieſabel pro fornicatione, eadem ipſe authoritate fultus, corripuit Herodem & Herodiadem, mallens pro·

pro veritate periculum ſubire, quàm ipſius veritatis notitiã reticere. Ipſe autem eſt Philippus de quo legimus in euangelio ſecundum Lucam.3. Anno.15. imperij Tiberij Cæſaris procurante Põtio Pilato Iudæam, Tetrarcha autẽ Galilææ Herode Philippo autem fratre eius Tetrarcha Itureæ, & Traconitidis. Maior enim Herodes ſub quo dominus natus eſt, qui & infantes occidit, legitur quatuor filios habuiſſe. Sed illo mortuo, ſucceſsit Archelaus in principatũ. Quo accuſato apud Tiberium propter inſolentiam morum, exilio apud Viennem ciuitatem Galliarum deputatus perijt. Auguſtus autem vt infirmius faceret regnum Iudæorũ, diuiſit imperiũ in quatuor Tetrarchas.i. in quatuor principatus, & quartam partem dedit ſingulis filijs Herodis. Poteſtatem autem quę erat Iudæa, quartam dedit Pontio Pilato. Iſte eſt Philippꝰ filius Herodis, cuius vxorem Herodes duxerat. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eã, ſubauditur fratre tuo viuente. Mortuo autem fratre, concedebatur in lege fratre defuncto vxorem illius accipere. *Et volens illum occidere timuit populũ, quia ſicut prophetam eũ habebãt.* Non ſolũ Herodes, ſed etiam omnis populus Ioannẽ ſicut prophetã habebant. Quod Marcus euangeliſta plenius manifeſtat, dicens:

Herodes enim metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum & ſanctum: & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Sed qui in cauſis plus homines quàm Deum timet, facilè labitur, quia enim Herodes amorem adulteræ mulieris prætulerit amori præcurſoris domini, diuino iudicio & permittente Deo de peccato fornicationis & adulterij, peruenit ad peccatum homicidij, vt adimpleretur in eo quod Ioannes dicit: Apocalyp. 22. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: cùm enim Herodes eſſet in ſordibus, in peccatis præteritis adhuc ſorduit, cùm manus in præcurſorē domini ad interficiendum miſit. Quod verò ſubſequutus eſt: Et qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc, in Ioanne adimpletū eſt: qui quū eſſet ſanctus præteritæ conuerſationis longinquitate, ſanctior effect⁹ eſt perfuſus proprio ſanguinis cruore. *Die autem natalis Herodis, ſaltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi*, &c. In tota ſerie veteris teſtamenti ſolos iſtos duos Herodē videlicet & Pharaonem legimus diem natalis ſui gaudijs celebraſſe. Sed vterque eorum epulas natiuitatis ſuæ miniſterio infauſto officio fœdauerunt. Herodes præcurſorem dñi interficiēdo, Pharao miniſtrum ſuum patibulo ſuſpendendo. Sed tantò iſte amplius peccauit,

quan-

quantò magis maiorem cognitionem Dei habēs, præcurſorem & Baptiſtam domini interfecit. Ex qua re datur nobis intelligi, quia vnuſquiſque diē mortis ſuæ cum lachrymis & fletu debet expectare, quam diem natiuitatis votiuis gaudijs recolere. Quia homo ad laborem naſcitur in mundo, & electi ad gloriam per mortem tranſeunt ex hoc mundo. *Vnde cum iuramento pollicitus eſt ei dare quodcunque poſtulaſſet ab eo.* Non excuſatur Herodes quod iuramento cō ſtrictus necē præcurſori dñi inferret. Forſitā eñ ad hoc iurauerat, vt occaſionē futuræ malitię præpararet, quin potius ſi peteretur à puella caput patris vel matris nulli dubiū eſt, ꝙ nō erat ei daturus. Sed quod repudiaturus erat in illis, ſine dubio debuit repudiare & in præcurſore domini. *At illa præmonita puella à matre ſua, da mihi* (inquit) *in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Metuens Herodias ne illicitæ nuptiæ ſoluerentur prædicationes Ioannis, & Herodes monitis illius acquieſceret, petiuit vt illa lingua ſua, ſuis manibus traderetur, quę ſcelus illicitum prohibebat, ſciens ſe licitè optato coniugio poſtmodum frui. *Et contriſtatus eſt rex.* Conſuetudo eſt eorum qui hiſtorias ſcribunt, vt quomodo rex tunc temporis apud homines putabatur, ita etiam ſua narratione inſerant.

Sicut & ſæpe legimus ab euangeliſtis Ioſeph patrem dñi appellari, non quia ſic erat, ſed quia ſic putabatur. Sic Matth. euangel.dicit cõtriſtatum Herodẽ, quia ſic putabãt illi qui cũ eo veſcebãtur. Tamẽ ille rex vt erat perfidus, & omni calliditate fraudulentus, cùm triſtitiã perferret in vultu, lætitiã tamen in corde tenebat, gaudens ſe occaſionem inueniſſe patrandi quod diu deliberauerat. *Miſitq́; & decollauit Ioannẽ in carcere.* In hoc loco datur intelligi, quia inculpabiles nõ ſunt cõiuiuæ Herodis de morte Ioannis Baptiſtæ. Si enim regem impijſsimũ ꝓhibere voluiſſent, à ſcelere nequaquã in conuiuio caput abſciſſum Ioannis ferre præcepiſſet. Nunc autem conſortes eiuſdem ſceleris extiterunt, vt omnium epulæ præcurſoris ſanguine fœdarentur. Allegoricè in decollatione Ioannis, minorationem famæ illius ſignificat, quia Chriſtus credebatur. In exaltatione Chriſti in cruce diffamationem illius ſignificat, quia is qui tantummodo propheta putabatur, Chriſtus & dominus totius orbis eſſe innotuit. Caput Ioannis Chriſtum ſignificat, quia per corpus illius prophetæ intelliguntur. In decollatione Ioannis, figuratur quod Iudæi Chriſtum, qui eſt caput omnium prophetarum, amiſſuri erant. *Et allatum eſt caput eius in diſco, & datum eſt puellæ,*

& tulit matri ſuæ. Allegoricè puella ſignificat eccleſiam ex gentibus, mater eius ſynagogam. Nõ enim ſemper bonis boni figurantur, nec malis mali, ſed aliquando boni malis, & mali bonis. Vndè & in libris patrum legimus in Dauid Chriſtum figurari, qui Vriam occidit, & vxorem eius abſtulit. Et in Vria viro ſancto & innocenti diabolus intelligitur, quum potius congruum eſſet, vt per Dauid contraria fortitudo intelligeretur, & per Vriã Chriſtus. Si enim ſemper boni bonis figurarentur, nunquam liceret nomen Chriſti, niſi aureis ſcribi literis. Et ſi ſemper mali malis figurarentur, nunquam nomen diaboli liceret niſi teterrimo fuco depingi. Sic per adulteram ſynagoga, & laſciuam puellam eccleſia intelligitur. Caput ergo Ioannis puella ſuſceptum matri ſuæ dedit, quia videlicet eccleſia gentium quæ modò Chriſti fidem & operationem habet, eandem fidem circa finem ſeculi eccleſia largitura eſt ſynagogæ. *Et accedentes diſcipuli Ioannis tulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in monumento.* Sepultura Ioannis abolitionem legis ſignat. Sepulto Ioanne Chriſtus prædicabat, quia lex finem accepit, & euangelium in toto mundo prædicari cœpit.

In feſto Michaëlis & ſanct. Angelorum.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi decimooctauo.

A*Cceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Quis putas eſt maior in regno, & cæt:* Quid pertinet hæc interrogatio ad præcedentem narrationem, videamus. Viderant enim Apoſtoli pro Petro & domino tributum fuiſſe redditũ. Viderant etiam Petrum domino in redditione tributi coæquatum, & ideo æſtimauerũt quòd Petrus præ cæteris Apoſtolis maior eſſet in regno cœlorũ, hoc eſt, in præſenti eccleſia. Qui ſi bene intellexiſent, ſcirent vtique quod quando pro ſe & Petro ac cæteris Apoſtolis dedit, ſiue quando Petro dixit: Beatus es Simon Bariona, Et tibi dabo claues regni cœlorum, Et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, Ita etiam quòd pro Petro dedit tributum, pro omnibus Apoſtolis fecit. *Et aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eorum.* Vel ſimpliciter quendam paruulum dominus in medio diſcipulorũ ſtatuit, vt eis exemplum innocentiæ demonſtraret Vel etiam paruulum, id eſt, ſemetipſum in medio ſtatuit: qui quũ eſſet magnus & Deus, factus eſt pauper & egenus, vt nos ſua paupertate ditaret. *Amen dico vobis, niſi cõuerſi fueritis & efficiamini ſi-*

cut

ſut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Hoc eſt, niſi eandem innocentiam quam iſte puer ſeruat per annos ſuos, ſeruaueritis per induſtriam, non eritis apti regno cœlorum. *Quicunque igitur humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cœlorum*. Sicut hic paruulus videns pulchram mulierem non concupiſcit eam, non alienam ambit, & laſus non meminit, non iraſcitur, ſic vos niſi ſtudueritis per mores ſeruare, quod iſte habet per naturam, non intrabitis in regnum cœlorum. Vel ita: *Quicunque ergo ſe humiliauerit ſicut paruulus iſte*, id eſt, quicunque ſe humiliauerit ad exemplũ mei qui cũ eſſem Deus, factus ſum obediens vſque ad mortem *Hic eſt maior in regno cœlorũ*, hoc eſt, in præſenti eccleſia. *Et qui ſuſceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit*. Qui talē ſe exhibuerit, vt Chriſti innocētiam imitetur, in eo Chriſtus ſuſcipitur. Vnde & dominus dixit: *Qui ſuſceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit*. Talis qualis ego ſum imitator eſt mei Et cautè dominus dicit: Qui talem paruulum ſuſceperit in nomine meo, me ſuſcipit, ne videlicet Apoſtoli, cum eis honor deferretur pro ſuis meritis & pro ſuo honore, æſtimarent ſibi ab hominibus eſſe honorem collatum. *Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me*

credunt, &c. Licet hæc ſentẽtia generaliſter de omnibus poſsit intelligi, qui vel verbo vel opere fratres ſcandalizant: ſpecialiter tamen de Apoſtolis eſt intelligenda, qui de reuelationis honore contendebant. Si enim Apoſtoli in tali contentione perſiſterent, futurum erat infideles quoſque ſcandalizari, vt inde honoris culmen quærerent, cùm audirent Apoſtolos in eadem quæſtione permanſiſſe. Quod autem dicitur. *Expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Secundum morem Palæſtinorum loquitur. Mos enim erat eius gentis, vt grauibus peccatis obnoxij, patricidæ vel etiam matricidæ, & cæteris talibus preſsi molam aſinariam in collum acciperent, & ſic demergerentur in profundum maris, vt videlicet breui pœna diuturnos cruciatus vitarent. Molam aſinariam dico, quam nũquam aſinus ferre ſolebat, ſed quam aſinus vertere conſueuerat, ſecundum morem quarundam prouinciarum. *Expedit ei vt mola aſinaria ſuſpendatur in collo eius.* Reuera quia melius & vtilius eſt homini pro ſuis ſceleribus breues cruciatus pati, quam ad æterna & perpetua tormenta ſeruari, quia non iudicabit Deus bis in idipſum. *Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim vt veniant ſcãdala*, quia fieri oportet, vt quorundã im-

improbitate ſcãdala oriãtur. *Veruntamen væ homini illi per quẽ ſcandalũ venit*. Sed væ illi eſt, qui ſuo vitio ſcãdalis patet, vt in eo impleatur quod aliter fieri nõ poteſt. In hac ſententia propriè Iudas carpitur, qui iam in proditionem Saluatoris animum præparabat. *Si autem manus tua vel pes tuus ſcãdalizat te, abſcinde eum & proijce abs te*, &c. Excidit Deus oẽm affectum propinquitatis. In manu enim & pede amici deſignantur neceſſarij. In manu propter opera, in pede ꝓpter diſcurſum. Si ergo talis amicus qui ita eſt neceſſarius tibi, ſcandalizauerit te vel verbo vel exẽplo, erue eum à tua ſocietate, & proijce abs te. Melius eſt tibi ſolitario, & ſine cõſortio alterius ſoli ſaluari quàm in cõmuni iniquitate dãnari, & pœnis æternis mancipari. *Et ſi oculus tuus ſcandalizat te*, &c. Per oculũ, amicũ vtilem & cõſiliariũ intellige, qui ita prouidet neceſſarijs noſtris, quemadmodũ oculus corpori. Si autẽ talis amicus ſcãdalizat te, vel exemplo vel opere, amputa eum à tua ſocietate, ſciens melius vt ſalueris cũ paucis quàm cum pluribus damneris. *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis*. Ad ſuperiora hæc ſententia pertinet, vbi dñs ait: Qui aũt ſcandalizauerit vnũ de puſillis iſtis, qui in me credũt, &c. *Videte*, inquit, *Ne contẽnatis vnũ ex his puſillis*. Puſilli ſunt, q in fide & opere

opere imperfecti ſunt. Iſti etenim non ſunt contemnendi, ſed potius exemplo ad virtutes ſanctas prouocandi. *Dico etenim vobis, quia angeli eorum*, id eſt, paruulorum *ſemper vident faciem patris mei qui in cœlis eſt*, Magna dignitas eſt animarum vt ex eo tempore quo naſcitur, vel quo per baptiſmum regeneratur, angelus ei ad cuſtodiam adhibeatur. Vndè & Paulus Apoſt. dicit: Nónne omnes adminiſtratorij ſpiritus miſsi ſunt propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis? Et angelo Smirneæ Ioannes ſcribit, & angelo Philadelphiæ, & angelo Tyatiræ, & cæterarum eccleſiarum, quos ſine dubio debemus intelligere angelos cuſtodes eccleſiæ deputatos Iſti etenim angeli ſemper vident faciem patris mei qui in cœlis eſt, hoc eſt aſsidua contemplatione Dei perfruuntur, & ideo non ſcandalizandi ſunt puſilli Venit enim filius hominis ſaluare quod perierat, & perdita reparare & inualida quæq; reſtaurare. Et ideo nolite paruipendere ſalutem paruulorum, propter quos reparandos Dei filius aduenit.

In feſtiuitate omnium ſanctorum.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi quinto capitulo.

V*Idens Ieſus turbas aſcendit in montem* &c. Prædicãte domino euangeliũ regni

regni per vniuerſam Iudæam, & ſanante vniuerſos languores, & infirmitates eorum, cōueniebant ad eum vndiq;, nō ſolum ex Iudæa, ſed ex externis nationibus. *Videns ergo dominus turbas* circa ſe confluentium *aſcendit in montem*, docturus dominus diſcipulos aſcendit in mōtem, vt monſtraret mandata ſublimia eſſe, quæ ſuis Apoſtolis erat mandaturus. *Et quum ſediſſet* Seſsio Dei humilitatem incarnationis eius deſignat. Qui enim ſedet contracta videtur habere mēbra. Dominus enim quandiu ab initio ſtetit, id eſt, quandiu in deitate patris inuiſibilis māſit, nequaquam turbæ multæ ad eum acceſſerunt, quia tantummodo notus erat in Iudæa Deus. Pòſtquā ſedit. i. pòſtquā humiliauit ſemetipſum, factus patri ſuo obediens vſq; ad mortem, *acceſſerunt ad eum diſcipuli eius*, ſcilicet in eum credentes, cupientes doctrinæ eius participes exiſtere. Vel ſeſsio dignitatem magiſterij ſignat, quia ſedere magiſtri eſt acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, tanquā mites & familiares & cōſcij ſecretorum illius. Dignum enim erat vt qui verbum Dei deuotius & famîliariùs erant impleturi, propius & vicinius ei apparerēt. *Et aperiēs os ſuū*. Nō ſine cauſa tali circumloquutione euangelium vtitur. Poterat enim abſolutè dicere, docebat eos ſed non fruſtra addit:

Aperiens os ſuum. Quotienſcunque in ſacro eloquio apertio oris præmittitur, ſequens ſermo prolixior fore deſignatur, ſicut in Iob dicitur: Tunc aperuit Iob os ſuum, quia multa ſcilicet in ſequentibus loquitur. Et in multis aliĳs locis tale quid inuenitur. Vndè & Pſalmiſta dicit: Aperiam in parabolis os meum, quum multa eſſet loquuturus de miraculis Dei in populo Iudæorum. Siue apertio oris deſignat domini ſermonem aptum eſſe futurum, quia apertum eſt ad intelligendum. *Beati pauperes ſpiritu.* Niſi euang. addidiſſet ſpiritu, dubium eſſet, de quibus pauperibus dixiſſet. Nũc autẽ addens ſpiritu, oẽm ambiguitatem abſtulit. Pauperes ſpiritu ſunt humiles, mãſueti, qui erecta ceruice cõtra dominũ non gradiuntur. Multi enim pauperes ſunt, quos ipſa paupertas beatos non facit, quia nõ ſponte ſed coacti eandem paupertatem ſuſtinent nec etiã in paupertate diuitĳs diuitum carent. Et multi ſunt diuites, quos ipſa paupertas reficit, qui à paupertatis nomine nõ excluduntur. Qualis pauper erat Abraham, qui dicebat: Loquar ad dñm meũ. quum ſim puluis & cinis. Talis etiam fuit Dauid, qui licet ampliſsimæ poteſtatis fuit: tamen in Pſal. 69. Cantabat: Ego vero egenus & pauper ſum. *Quoniã ipſorum eſt regnum cœlorum.* Hanc mercedem

dem cōſequentur pauperes Chriſti. Nō dicit: Quoniā ipſorū erit regnum cœlorum, quia licet adhuc mole carnis grauētur, tamē iā per fidem & ſpē regni cœlorum ſunt poſſeſſores. *Beati mites*. Mites ſunt māſueti nō reddentes malū pro malo, ſed vincentes in bono malū. In bono etenim malū vincunt, quia illatas proximi iniurias non reprehendunt, ſed ęquanimiter tolerant. *Quoniā ipſi poſſidebunt terram*. Nō hanc terram quā oculis corporeis videmus quæ ſpinas & tribulos gignit, ſed terram viuentiū dicit, ad quā ſuſpirans Pſ. 118 dicebat: Credo videre bona dñi in terra viuentium. Et, Portio mea in terra viuētium. Beatitudo enim cœleſtis terra dicitur, nō quod ibi terra ſit, ſed propter ſoliditatē. Terra etenim ſicut cunctis elementis ſolidius elementū eſt, ita etiam cœleſtis beatitudo omnibus poſſidentibus ſolida & perpetua permanebit, Vel mites .i. māſueti, qui aduerſa æquanimiter tolerant, poſſidebūt terram, hoc eſt, peracto die iudicij recipient corpora ſua incorrupta, vt ſicut dño corpore & anima ſeruierunt, ita etiam poſt hanc vitam & anima & corpore beatificentur. *Beati qui lugent*. Multi ſunt qui bona tēporalium rerū & amiſſiones parentū deflent, quos talis luctus beatos nō efficit, quin potiꝰ triſtitia huius ſeculi mortē operatur. Sed ipſi ſunt

beati lugentes, qui propria peccata deſ flent, vel etiam proximorum, ſicut lugebat Samuel Saulem eò quod Deus abiecisset eum. Sicut & Paulus Cor. eò quòd poſt fornicationem pœnitentiam nō egiſſent. *Quoniā ipſi conſolabuntur*. Cōſolatione. ſ. illa quæ dabit ſanctis cùm viderint dñm facie ad faciem. Vnde & ſpiritus ſanctus per quē mentes electorū cōſolabuntur paracletus. i. conſolator dicitur. Quicunq; ergo ſemetipſos deflent, vel qui fratribus digna cōpaſsione condeſcendunt, & in præſenti & in futuro æterna conſolatione donabuntur. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam*. Congrua differentia addidit iuſtitiā. Multi ſunt qui temporales cibos eſuriunt & temporales potus ſitiunt, quos beatitudo iſta non conſecrat, ſed beati ſunt illi qui eſuriunt iuſtitiam. Iuſtitiam in hoc loco duobus modis poſſumus intelligere. Iuſtitia quidem prima intelligentia dominum Ieſum Chriſtum ſignat, de quo Paul. Apo. dicit. Qui factus eſt nobis iuſtitia & ſanctificatio. Vel etiam iuſtitiam poſſumus iuſta omnipotētis Dei mādata intelligere. Quæ ideo iuſta dicūtur, quia iuſtos obſeruant, & res ſuas faciūt. Beati ſunt enim illi qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiā, qui quantūlibet iuſti ſunt, non ſatis ſe eſſe iuſtos æſtimant, ſed quotidiano profectu iuſti eſſe laborāt, vt cāt

de

de virtute ad virtutẽ, donec videãt Deũ deorum in Syõ, *quoniã ipſi ſaturabuntur.* Nõ illa ſaturitate quam fames ſubſequitur, ſed poti⁹ quã Pſ. ſuſpirãs aiebat: Ego in iuſtitia apparebo cõſpectui tuo, ſatiabor cũ apparuerit gloria tua, cõtemplatione. ſ. ſanctæ trinitatis, *beati miſericordes*, miſericors dicitur à miſero corde. Cũ enim aliquis miſereſcit alterius imbecillitati, vel etiam compatitur, miſericors dicitur. Miſericors etenim oĩs homo primũ in ſemetipſo debet eſſe, ne qd ſ. admittat propter quod poſtmodũ crucietur, iuxta quod per virum ſapientem dicitur. Fili miſerere animæ tuę placens Deo. Cùm ergo in ſemetipſo didicerit miſericordiã habere, tũc ipſum fontem miſericordię in aliĵs extẽdat, vt quibuſcunqꝫ potuerit per paſsionẽ ſubueniat *quoniã ipſi miſericordiam conſequentur*, dignũ nanqꝫ eſt vt ipſi à Deo miſericordię largitate donentur, qui aliĵs miſereſcũt, *beati mũdo corde* mũdũ cor eſt & ſimplex, & nulla malitię duplicitate fœdatũ, *quoniã ipſi Deum videbũt.* Dñs enim ſpũs eſt. Deum ergo niſi cor mundum homo habuerit, videre non poteſt, quia purus eſt ſpiritus & ſpiritualibus oculis. i. munditia videri poteſt. Videbũt enim eum oẽs ſancti in ſubſtantiæ ſuæ humanitatis oculis corporeis, diuinitatem verò eius, nequaquam, niſi oculis cordis intuebun-

buntur, nam humanitas nequaquam poteſt videre diuinitatem. *Beati pacifici.* Pacifici dicuntur qui pacem faciunt ad primum in ſemetipſis, deinde in cæteris. Et pacifici dicuntur, qui in ſemetipſis pacem faciunt, ne regnet peccatum in eorum mortali corpore, deinde vero inter diſsidentes curant facere pacem, qui poſſunt dicere cum Pſalmiſt. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. *Beati ſunt ergo huiuſmodi pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, qui enim filium Dei ſpecialiter in pacis obſeruatione imitãtur, rectè filij illius vocantur. Quoniam ſicut filius Dei patienter cuncta ſuſtinuit, ita & illi pro modulo ſuæ fragilitatis inter proximos laborant vt pacem poſsint facere inter virtutes & vitia inter fratrem & proximum. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Signanter addidit dominus, propter iuſtitiam. Multi enim ſunt qui perſecutionem patiuntur, ſed non propter iuſtitiam eam ſuſtinent, ſed propter ſua peccata, ſicut paſsi ſunt falſi prophetæ ab Helia, quos non ſolum perſecutus eſt, ſed etiam ſuper vnum lapidem putei eos interfecit. Sicut latrones & adulteri, qui non ſolum pro ſceleribus in præſenti puniuntur, ſed etiam futuris ſupplicijs cruciantur. Et beati non ſunt, quia non propter iuſtitiam patiuntur,
ſed

ſed illi ſolūmodo beati ſunt qui propter iuſtitiā. i. propter Deū & pręcepta illius ea patiuntur ſicut Apoſto. & martyres, multa paſsi ſunt ꝑ noīe Chriſti, *quoniā ipſorū eſt regnum cœlorū.* Dignum eſt itaq; vt pro Deo temporalia bona abnegant, regni cœlorum hæredes efficiātur. *Beati eſtis quū maledixerint vobis homines.* Superiores octo beatitudines generaliter ad vniuerſorum ordinē pertinent. Iſta aūt nona quæ à dño additur, ſpecialiter ſanctis Apo. & martyrib⁹ cōuenit. *Beati,* inquit, *eſtis quū maledixerint vobis homines.* Super ꝙ notandū, quia aliud eſt maledicere, & aliud eſt malum dicere: maledicere, eſt pręſentibus iniurias inferre: malū dicere, eſt abſentibus derogare. Quia ergo perſequutores martyrū & præſentibus illis malū inferrēt, & abſentibus detraherēt, ideo vtranq; dixit, *quū maledixerint vobis, & dixerint omne malū aduerſum vos mētientes. Et perſequuti vos fuerint.* Perſequi, eſt vim inferre. *Mētientes.* Oſtēdit quare ſancti martyres beati eſſent. ſ. ideo, quia perſequutores mēdaciter de eis maledicerēt Illi eñi de quibus veraciter mala dicūtur, non ſunt beati. Quare diceret beatos, & perſequutionem paſſuros, ſubiunxit: *Propter me.* Ac ſi diceret: Hæc omnia nō veſtri odij cauſa ſed vobis ingerunt cauſa nominis mei. *Gaudete & exultate,* quando ſocietati ſanctorū

ad-

adiuncti fueritis, *quoniã merces veſtra*, id eſt, merces veſtri laboris, *copioſa eſt in cælis*, quia quò plura certamina pro nominis mei amore pertuleritis, eò copioſioribus à me coronis poſt finitos iſtius ſeculi labores donabimini.

De Apoſtolis.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi decimo.

Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum, &c. Exponit hic dominus quid ſit Apoſtolus, Apoſtolus eñ Græcè, Latinè dicitur miſſus Propterea dominus ait: *Ecce ego mitto vos*. Cùm dixit: Ecce ego mitto, authoritatem regiã & imperij commendat, ac ſi diceret alijs verbis. Cùm ad prædicandum pergitis, nolite frangi aduerſitatibus cunctis, quia ego ſum qui mitto vos, qui etiam inter ſcandala perſecutorum vos ſeruo, *ſicut oues in medio luporum*. Apoſtolos vocat oues, lupos verò ſcribas & phariſæos. Quoniam ſicut lupi quicquid tetigerint, dilaniãt: ita & illi animarum laniatores erãt. *Eſtote ergo prudentes.* Præcepit nobis dominus vt ſimus prudentes ad vitãda mala, & ſimus ſimplices ne nos mala inferamus alijs. Prudentia enim ſerpẽtis eſt, vt totũ obijciat corpus ſuũ pro capite ſuo, vt poſsit caput illæſum ſeruare. Ipſa eñ prudẽtia in nobis de-

bet eſſe, vt totum corpus noſtrū pro ca-
pite noſtro obijciamus. i. pro Chriſto,
quatenus ipſum incorruptum ſeruare
poſsimus. Item prudentia ſerpentis eſt,
per angelos foraminum cū ſenuerit in-
trare, & pelle veteri depoſita iterum no
uo corio circūdari. Pari modo quos vi-
tæ veteris hominis tædet, per anguſtiā
pœnitentiæ debemus ingredi, & veteris
conuerſationis pelle exui, & indumen-
tum noui hominis nobis aſſumere. *Ca-
uete autem ab hominibus*. Quos ſuperiùs
appellauit dominus lupos, eoſdē nunc
appellat homines. Lupos eos vocat pro-
pter voracitatem, homines propter in-
firmitatem. *Tradent enim vos in concilijs,
& ſinagogis ſuis flagellabunt vos, & ad re-
ges & præſides ducemini propter me*, hoc eſt,
propter odium nominis mei vos ducēt
ante reges, ſiue propter me talia ſuſtine-
bitis. *In teſtimoniū illis & gentibus*. Mors
& paſsio ſanctorum apoſtolorum in te-
ſtimonium illis fuit. Dupliciter in teſti-
monium illis fuit, non ſolùm vt perſe-
quutorum eorum qui interfecerunt in
teſtimonium illis fuit, ſed etiam marty-
ribus, qui eandē paſsionem pro deo ſu-
ſceperunt. In teſtimonium nobis erit, vi
delicet noſtræ remunerationis, vel etiā
illorum damnationis. *Cū autem tradent
vos nolite cogitare quomodo aut quid loqua-
mini, dabitur enim vobis in illa hora quid*

 loqua-

loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini Quando aliquis pro fide ad perſecutionem ducitur, ſemetipſum læto animo debet efferre, cætera omnipotens Deus ſubminiſtrabit ei & facultatē ſuſtinendi, & facultatem reſpondendi. *Nō enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Ac ſi diceret dn̄s membris ſuis infirmantibus. Vos ad prælium acceditis, ego ſum qui prælior: vos verba loquimini, ego ſum qui eloquentiam vobis miniſtro. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient.* i. affligent. In exordio fidei, & in initio naſcentis eccleſiæ, pater incredulus filium credentem prodebat: frater incredulus fratrem ſuum credentem tradebat, & amicus amicum ſuum, quia nullus eſt inter eos fidus affectus quorū diuerſa eſt fides, duplici cauſa hæc facientes, vel cupiditate ducti præmiorum promiſſorum, vel etiam terrore pœnarū, proponebant etiam vel pœnas qui eos celabant, vel etiam munera prodentibus proponebant. *Et eritis odio omnibus hominibus propter nomē meū*, non cauſa meriti veſtri ſed cauſa noīs mei Et eritis odio omnibus hominibus i incredulis. *Qui autē perſeuerauerit vſq; in finē hic ſaluus erit.* Omnis ſcriptura non initium laudat, ſed potius finē. Nō qui cœperit,

ſed

ſed qui perſeuerauerit vſq; in finem hic ſaluus erit Non enim cœpiſſe, ſed perfeciſſe virtutis eſt. Hinc eſt quod in lege caput victimæ cum cauda offerri præcipiebatur. Caput quidem cum cauda offerre eſt, cœptum bonum vſque ad conſummationem perducere.

De martyribus.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi decimo.

Nihil *opertum eſt quod non reueletur,* &c. Quomodo autem multa abſcõdita ſunt in præſenti tempore, quę minimè ſciunt? Sed dominus de die iudicij potius voluit intelligi, quando apparebit dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cõſilia cordium, tunc enim conſcientiæ mutuò patebunt. Ac ſi alijs verbis dominus diceret, Nolite modo timere perſequutores, quia veniet tempus quãdo & veſtra patientia remunerabitur, & illorum ſæuitia condẽnabitur, *Quod dico vobis in tenebris*. i. in ſecreto, *dicite in lumine,* hoc eſt, in claritate, & apertè omnibus auditoribus prædicate. *Et quod in aure auditis prædicate ſuper tecta.* More paleſtinorum loquitur hic dominus, quorũ tecta plano ſcemate ſunt deſuper facta, ita vt quis ſine periculo in eis poſsit incedere. Super quibus ſcribæ & phariſæi ſtantes populo ſubiecto verbum

prędicationis impendebant. *Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autẽ non poſſunt occidere.* Si corpus occidi poteſt, & anima nõ poteſt. Clarũ eſt igitur animam incorpoream eſſe, quantũ pertinet ad iſtam craſsiorem corporis ſubſtãtiam. *Sed potiùs eũ timete, qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam, Nónne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis nõ cadet ſuper terram ſine patre veſtro?* Aſsis genus ponderis eſt minimum & exiguũ. Paſſeres pro quibuſlibet auibus paruis poſuit. Duo paſſeres eo tempore aſſe vẽdebantur, vt in templo domini immolarentur. Et eſt ſenſus. Si illa parua animalia quæ citò decidũt & commoriuntur, corpore deficiunt & anima, ſine dei prouidentia mori & labi non poſſunt, quantò magis vos qui ad imaginem dei facti eſtis & rationabiles, & immortales futuri eritis, ſiue ad gloriam, ſiue etiã ad pœnam? Non diſcordat ab hac ſententia quod Lucas ait: Nunquid quinque paſſeres dipondio veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terrã ſine patre veſtro? Congruũ enim erat, vt duo paſſeres aſſe venderentur, & quinque paſſeres dipondio. Sed quærendum eſt, cur Paulus apoſtolus dicat Nunquid de bobus cura eſt deo? Et hîc dicit dominus. Vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro. Ad quod dicendum eſt quia aliud

eſt

eſt cura, atque aliud eſt prouidentia: *Veſtri autē capilli capitis omnes numerati ſunt* magna cura & prouidentia dei circa homines eſt, quia quod apud nos vile & contemptibile eſt, apud ipſum numerabile eſt. Iſta ergo numeratio non eſt in actu computantis, ſed in præſcientia dei omnipotentis. Quod enim dicit: *Veſtri autē capilli capitis numerati ſunt*. Tale eſt, ac ſi diceret: Nō ſolum maiora membra veſtri corporis ſine meo iudicio à perſequutoribus perire nō poſſunt: ſed capilli capitis veſtri ſine mea prouidentia nō poſſunt minui. *Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos.* i. carioris & valentioris prætij. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus.* Confeſsio duplici ſenſu in ſcriptura accipitur. Signat enim laudem & confeſsionē peccatorū. Peccatorū confeſsionē ſignat, vt illud Danielis prophetæ: Cumq; orarem & cōfiterer peccata populi mei. Signat etiā laudem, ſicut in Pſal. Cōfitebor tibi domine, id eſt, laudabo te. *Omnis ergo qui cōfitebitur me coram hominibus.* Cōfiteri dominum eſt fidem rectam congruis operibus adornare. Confeſſorem ſuum dominus corā patre ſuo confitebitur, hoc ad viſionem patris ſui perducet, cū quo regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In feſto vnius martyris.

Homilia ſuper eo verbo, Ioan. XII.

A*men amen dico vobis: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*, &c. Senſus iſtius lectionis ex ſuperioribus dñi verbis pendet. Nã ſcribit ſupra Ioan. euan. ꝙ veniens dñs Hieroſolymã, occurrerit ei turba multa cũ folijs & ramis palmarum, clamantes: oſanna. Benedictus qui venit in nomine dñi. Quę nõ ſolum ex Iudaica plebe, verùm ex gẽtilitate (ſicut in eodẽ euãgelio legitur) audita eſſe creditur. Audientes itaq; phariſęi qui inuidebant ei, dixerunt ad ſemetipſos: Ecce totus mundus poſt eũ abijt. Quorũ venefica intuens corda ait: Venit hora vt clarificetur filius hominis. Et poſt paululũ ſubintulit, *Amen amen dico vobis: Niſi granũ frumenti cadẽs in terrã mortuũ fuerit, ipſum ſolũ manet. Si autẽ mortuũ fuerit, multũ fructũ affert.* Granũ frumenti corpus Chriſti humanũ ꝙ ex virgine ſumpſit accipere poſſumus: quod dicebat ſine dubio mortificandum & multiplicandum. Mortificandum vtiq; infidelitate Iudæorũ, multiplicandũ fide omnium populorum. Hic apertiſsimè reprobatio Iudæorum, & collectio gentium exprimitur, ſicut & alibi, vbi dicitur: Non eſt inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena: Animaduertendum quia exhortãs multos

tos ad paſsionis ſuæ ſectanda veſtigia protinus ſubinfert. *Qui amat animam ſuam perdet eam*. Animam in hoc loco vitam præſentem appellat ſiue delectationem huius vitæ, ſicut & alias dicit: Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Paſtor eccleſiæ ouibus ſuis debet impendere exteriora bona, id eſt, victum & veſtitum, deinde ſi neceſſe ſit etiam ipſam animam ponere, ſicut ipſe dominus egit. Quod dicit: Qui amat animam ſuam perdet eam. Duplicē habet intellectũ, id eſt, ſi amas perde, quia non debes mori timere pro Chriſto, ſi velis vitam tenere cum eo. Vel aliter: Qui amat animam ſuam perdet eam, hoc eſt, noli amare plus iuſto in præſenti ſeculo, ne perdas in futuro, ſicut fecerunt multi quos apoſtatas legimus nominatos. *Et qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam* Hæc & his ſimilia adimplentes ſancti Dei, videlicet maluerunt hanc vitam præſentē amittere, quàm Chriſtũ negare. Poſſunt occidi, ſed non non poſſunt flecti, in cœleſtibus à dño lucidiſsimos accipiũt tropheos martyrii, & nõ tam victores, quã amici Dei vocari dicente proph. Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis Pſ. 138. confortatus eſt principatus eorum. Cõſtitues eos principes ſuper omnē terrã. Attamen vide ne tibi ſubrepat quatenus

nus teipſum interimas. Propterea quod dicitur odiſſe animam tuam in hoc mū-do, volunt quidam maligni & in ſeipſis crudeliores homicidę flāmis ſe mittunt, aquis præfocant, præcipitio collidunt, imitantes patrem ſuum diabolū, qui de ſupernis lapſus eſt, non habēs autorem
Ioā. 21. criminis. Quod fieri nō debere ſatis docet nos ſaluator cum dicit Petro: Cū ſe-nueris alius te cinget, & feret quò non vis. Vbi certeſsimè elucidat qui veſtigia Chriſti ſequitur, nō à ſeipſo, ſed ab alio debere occidi, velut occiſi ſunt apoſtoli & apoſtolici viri. Neceſſe eſt vnicuique vt magis eligat dilecto deo mori carne, quàm viuens offendat timore. *Si quis mi-hi miniſtrat me ſequatur.* Sequi eſt imi-tari. Sequimur Chriſtum quando eius ſermones tota cordis intentione perfi-cimus. Baptizatis, vt baptiſmi gratiam nobis cōferret, iuxta qđ Pau. ait. Quot-quot in Chriſto baptizati eſtis, Chri-ſtum induiſtis. Cum dicit: Si quis mihi miniſtrat me ſequatur, tale eſt quod di-cit: Vias ambulat meas nō ſuas. Qui tūc verè Chriſto miniſtramus, ſi non noſtra quæramus, ſed ea quæ ſunt Ieſu Chri-ſti ſecundum illud apoſtoli. Qui ſe dicit in Chriſto manere, debet ſicut ipſe am-bulauit & ipſe ambulare. Nam eſurienti das panem, ex meo debes facere, non è iactantia, ne dicatur tibi in iudicio: Re-

cepiſti

cepiſti mercedem tuam.i.gloriã quęſiſti. Non aliud ibi quæras niſi bonũ opus, & neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextra tua. Hi tales audituri ſunt à domino. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, & nec tantũmodo qua ad me pertinent corporaliter, ſed omnia opera bona propter Chriſtũ facias cognoſcẽs quia Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret deo *Et vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Dominus Ieſus Chriſtus, deus & homo eſt. Deus per æternam ſapientiã, homo per humanitatẽ aſſumptã. Ideo vnus idẽq; omnia donans cũ patre, dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, quã poſſeſsionẽ ſuis promittit fidelibus & cõuenienter, quia qui miniſtrat Chriſto debet gloriari cũ illo. Ergo quãta ſit remuneratio, quis fructus, quę retributio ſequentia præmonſtrant. *Si quis mihi miniſtrauerit honorificabit eũ pater meus qui eſt in cœlis.* Iſto honore ditabuntur, qui Chriſto miniſtrant, de quo diſcipulis ait: Sedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Nam quem maiorem accipere poterit honorem ille qui per gratiam adoptiuus eſt filius, niſi vt ſit vbi eſt per naturam filius dei, nõ per æqualitatẽ, ſed per coniunctionem deitatis, dicente Euan. Quotquot crediderunt in eum, dedit

tis poteſtatem filios Dei fieri, Amen.

In feſto vnius confeſſoris.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi vigeſimoquinto.

Homo quidam peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & dedit illis bona ſua.

In ſimilitudinibus quas ad noſtrã ignorantiam inſtruendã dominus propoſuit, ſolicite conſyderandum eſt, quia ſicut quædam ad noſtram admonitionem proponuntur, vt ſpecialiter ad ipſum mediatorem Dei & hominum pertineant, quod in huius lectionis ſerie cõprobatur cùm dicitur. *Homo quidam peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos.* Homo iſte per ſimilitudinẽ dñs Ieſus Chriſtus accipiendus eſt: qui cũ Deus ſit ante oĩa ſecula, homo factus eſt in fine ſeculorũ.
Pſa. 86 De quo ſcriptum eſt, Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſsimus. Ipſe peregrè proficiſcẽs vel ꝓfect⁹ eſt, quã ab hominibus aſſumpſit, aſcendẽdo in cœlũ eleuauit. Ex eo eñ tẽpore, quo primo homini dictũ eſt: Terra es & in terrã ibis, locus carnis propriè terra eſt. Sed iſte homo peregrè profectus eſt, quia carnem quam aſſumpſit non corruptionẽ vidit, ſed poſt reſurrectionẽ in cœlũ aſcendit. Huius autẽ hominis ſerui homines ſunt, quos ſibi ad ſeruiẽdum, ſeq; laudãdum rationabiles cõdidit. Huic autẽ ſeruire ſumma libertas eſt, ab huius ſeruitute

tute recedere, turpiſsima ſeruitus. Huius ſeruuū gloriabatur ſe Pau. Apoſt. cū dicebat: Paulus ſeruus Ieſu Chriſti. Et iterū: Gratias ago Deo meo, cui ſeruio á ꝓgenitoribus meis. Et Pſal. Ego ſeruus tuus. Bona aūt huius hominis bona ſpiritualia ſunt. i. virtutes animæ, quæ de eius bonitate & ipſius largitate nobis ſunt collatę Quę ſunt, charitas, gaudiū, pax, patientia, bonitas, benignitas, &c. quæ ſequuntur Ergo peregre profectus vocauit ſeruos ſuos & tradidit illis bona ſua, quia ſpiritualibus ſpiritualia cōceſsit. Et quia eadē dona nō oēs æqualiter accipiunt, ſed ſecundum datis diſtributionē, alius plus, alius minus percipit. *Vni dedit quinq; talēta, alij verò duo, alij autē vnū, vnicuiq; ſecundū propriā virtutem, & profectus eſt ſtatim.* Sicut ſenſus diuerſis modis dabatur apud antiquos, ita ſpūs ſancti dona diuerſa ſunt iuxta accipiētium merita, nō in ſe ſed in illis qui accipiunt Nā ab vno dño diuerſa dona ſeruis dantur, iuxta illud quod ait Apoſt. Aliȷ̄ quidē per ſpiritū datur ſermo ſapientiæ, aliȷ̄ aūt ſermo ſcientiæ ſecundū eundē ſpiritū Alteri fides in eodē ſpiritu, aliȷ̄ gratia ſanitatū in vno ſpiritu, aliȷ̄ operatio virtutum, aliȷ̄ prophetia, aliȷ̄ diſcretio ſpirituum, aliȷ̄ genera linguarum, aliȷ̄ interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque Pſa. 115

Idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. In quinq; talētis quinq; ſenſus corporis deſignantur per quos exterior homo cōditur. Viſus, videlicet, auditus, guſtus, odoratus, & tactus. In duobus autē intellectus & operatio deſignatur. Et vnius quidem talenti nomine intellectus ſolūmodo exprimitur. Plus ergo accipit cui duo, quam cui quinque talenta cōmiſſa ſunt. Quia ſunt nonnulli qui per exteriorem ſenſum bona quæ poſſunt operantur, & tamen intellectu ſpirituali minus proficiunt. Sunt verò aliqui qui exteriùs magna agunt, & interiùs maiora intelligunt. Sunt etiam alij qui vnum tantummodo talentun accipiūt, qui bona quidem intelligunt, ſed operari minimè ſtudent, de quibus ſcriptum eſt: Sapiētes ſunt vt faciāt mala, bene autē neſcierūt facere. Quāto autē ſtudio in multiplicandis bonis operibus inſiſtere debeamus manifeſtatur, cū ſubditur. *Abijt autem qui quinq; talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque. Similiter qui duo acceperat, lucratus eſt alia duo.* Iam ſuperiùs per quinque talenta quinque ſenſus corporis, & per duo intellectū & operationē diximus figurari. Quinq; ergo talenta geminare, eſt per exteriores ſenſus deuotiſsimè Deo ſeruire, tribuere eſurienti cibū, ſitienti potū, requirere in carcere, infirmum viſitare,

ſtare, mortuum ſepelire, fraternæ pieta-tis opera implere. Quaſi enim talenta multiplicando geminantur, quando nonnulli tardiores ſenſu per conſuetu-dinem boni operis ſpiritualiter profici-unt. Duo quoq; talenta geminant qui bene viuendo & bene docendo eccleſi-am Dei non negligunt, illud attenden-tes quod ad Timot. ſcribit: Doctrinam quam à me accepiſtis fideles doce homi-nes qui idonei ſunt alios docere. Tali-ter accepta talẽta ſeruis ſpiritualibus ge-minans ſuadebat Paulus quum dicebãt. *Rom. 12* Habentes donationes ſecundum grati-am, quæ data eſt nobis differentes ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei, &c. Vſq; miſeretur in hilaritate. *Qui au-tem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui.* Qua-ſi enim vnum talentum in terram ab-ſcondit, qui ingenium quod à Deo acce-pit, in terrenis actibus implicat, ſeſeq; in mũdi amore obligat. Sed veniet quando ſpirituales de acquiſito lucro gaudeant, & mũdi amatores pro ſuis cupiditatibus erubeſcant. Vndè & ſubditur. *Poſt mul-tum verò temporũ venit dominus ſeruorum illorum, & poſuit rationem cum eis.* Poſt multum tempus redire dicitur, quia lõ-gum ſpatium eſt inter domini aſcenſio-nem, & ſecundum eius aduentum. Tũc ratio cum ſeruis ponetur, quia diſtricte

exiget à nobis dona quæ modo miſericorditer tribuit, quando aſtabimus ante tribunal Chriſti, vt ait Paul. Apo. rationem de his quæ geſsimus reddituri. Fœlix autem qui in illa hora diſcutiõis talis inuẽtus fuerit, qualis iſte memoratur: de quo ſubditur. *Et accedẽs qui quinque talẽta acceperat, obtulit alia quinq; talenta dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinq; lucratus ſum.* Ex quinque enim talentis alia quinque lucratur qui per quinq; ſenſus corporeos, quos ſupra diximus bona quę poteſt operatur. Sunt enim nonnulli in eccleſia qui cum tardiores videãtur ingenio, tamen per exterius miniſterium fideliter dño ſeruiũt ad ſpirituale intellectũ perducuntur, in tantũ vt etiã aliquando in eccleſiaſticũ miniſterium eligãtur. Qualem autem mercedem ſit recepturus manifeſtatur, cum ſubditur *Ait illi dominus eius: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituã intra in gaudium domini tui.* Pauca ſunt enim omnia præſentis vitæ ad comparationem futurorum bonorum, quamuis magna eſſe videantur. Qui ergo ſuper pauca fidelis fuerit, ſuper multa conſtituetur, quia hic qui terrenam ſubſtantiam bene diſpenſauit pro rebus tranſitorijs, perpetuam accipiet mercedem, audiens ab ipſo iudice. Venite benedicti pa

tris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſuriui enim, &c. *Acceſsit ad eum qui duo talenta acceperat, & ait: Domine duo talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo lucratus ſum.* Similiter qui duo acceperat, lucratus eſt alia duo, quia qui intellectum, & operationem habet, non ſolum bene viuendo, ſed etiam bene docendo plurimos ad amorem Dei vocat. Notandum autem quod is qui de quinque talentis decẽ, & is qui de duobus quatuor reportauit, æquali voce collaudantur, cùm vtriſq; dicitur: *Euge*, quod eſt gaude. Et quare ſeruis congaudeat declaratur, cùm ſubinfertur. *Quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituã.* Quibus rectè dicitur. *Intra in gaudium domini tui* Qui cum tantis & pro tantis mercedem accipiet, quantos bene docendo, & bene viuẽdo lucratus eſt. In quibus verbis intelligimus, quia illi maiora recepturi ſunt à domino in vita æterna, qui bene viuendo (vt diximus) & bene docendo, ad aliorum eruditionem vel doctrinam ſpiritualiter inuigilant. Quod alibi apertiùs dominus declarat cum dicentibus Apoſtolis: Domine ad nos dicis parabolam, an & ad omnes? Reſpondit: Quiſputas eſt fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit dominus ſuper familiã ſuã, vt det illis in tempore tritici men- *Luc.12.*

ſuram? *Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Cum enim ſuper omnia bona conſtituerit, duplicem mercedem accipiet, non ſolum quia ſanctè vixit, ſed etiam quod dignè docuit. Vndè Daniel cum de reſurrectione mortuorū
Da.12. loqueretur, vt oſtenderet ſpirituales magiſtros ſuper omnia conſtituendos ait: Qui autem docti fuerint, fulgebunt ſicut ſol in regno patris mei: Et qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſicut ſtellæ perpetuitatis. Quam deſyderabilem vocem audire, & ineffabile gaudium videre deſyderans B. pater noſter N. cuius hodie feſtum celebramus, talentum ſibi creditum bene docendo & bene viuendo, non ſolum in hac vrbe, ſed in multis regionibus ſtuduit erogare, vt geminatum illud domino reportaret, non tantum docendo pios, ſed & reprimendo reprobos. Et ideo quia iuxta ſcripturę vocem, gaudium patris eſt filius ſapiens, tātò huius accreſcunt merita gaudiorum, quantò incrementa proficiunt ſpiritualium filiorum. Vndè neceſſe eſt, vt vnuſquiſq; noſtrum huius B. patris veſtigia ſequatur, talentum quod à domino accepimus, non in terram abſcondamus, ſed cum magno deſyderio ſtudeamus erogare, & geminatum domino deferamus. Et quia alius artem legendi, alius canendi, alius pingendi,

gendi, alius quæ ad ornamentum eccle-ſiæ pertinent fabricandi, talentum acce-pit, alius hoc quod didicit ſtudeat ero-gare, non ſolum in eccleſiaſticis miniſte-rijs, ſicut etiam nonnulli in hoc populo qui diuerſas habent artes, quibus victi-tant: alij cementarij, alij lignarij, alij fa-bri, alij ſutores, vt vnicuique ars qua paſ-citur, pro talenti commutatione repu-tabitur, & ſi in hoc quod ſcit alios in-ſtruit, mercedem in futuro recipiet. Qua-liter autem huiuſmodi talentum debeat erogare dominus in euãgelio oſtendit, cùm dicit: Gratis accepiſtis, gratis date. Vndè neceſſe eſt vnicuique noſtrum vt cum ſumma diligentia cogitet, quate-nus talentum quod accepit duplicatum domino præſentet. Si autem vtilitati a-liorum prodeſſe non vult, timeat incre-pationem quam is qui vnum talentum in terra abſcondit, audiet à domino. *Ser-ue male & piger, quare non dediſti pecuniã meam nummularijs, & ego veniens recepiſ-ſem vtique cum menſura?* Et implebitur illud quod ſubditur: Tollite ab eo talen-tum, & date illi qui habet decem talen-ta. Quoniam quæcunque ſine charitate o-peratus eſt, bona in conſpectu Dei non ſunt quamuis coram hominibus bona videantur. Tanto enim quiſque am-pliorem gloriam cum domino poſside-bit, quantò largius talentum acceptum

pro

pro eius amore erogauerit.

In feſto vnius confeſſoris & epiſcopi.

Homilia ſuper eo verbo, Luc. XII.

SInt lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Luxuria virorum in lumbis eſt, mulierum verò in vmbilico ventris. Quod manifeſtat dñs, cum loquitur ad B. Iob de diabolo, dicens: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Quando verò diabolus virum decipit per libidinem in lumbis dicitur habere virtutem, & quando mulierem decipit per libidinem, in vmbilico dicitur habere virtutem. *Sint lumbi veſtri præcincti*, id eſt, antè cincti. Lũbos præcingim⁹, cum carnis luxuriam per continentiam vel abſtinentiam coartamus vel refrenamus. Lucernas in manibus tenemus, cũ per bona opera proximis noſtris lucis exempla mõſtramus, iuxta quod dominus alibi dicit: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificẽt patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Cur præcepit dominus lumbos reſtringere, & lucernas in manibus tenere? Quia vnum ſine altero nequaquã Deo placere poteſt. Si enim bona opera habueris, & tamen luxurioſus ſis, tua bona opera nõ multum placent Deo.

Deo. Si autẽ caſtitatẽ ſeruaueris, & bonis operib⁹ nõ inſudaueris, caſtitas tua non multum tibi proderit. Ecõtrà ſi vtrunq; habueris in vtroq; placebis. *Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando reuertatur à nuptijs.* Ad nuptias quippe dominus abijt cũ reſurgens à mortuis nouus homo factus eſt immortalis, & aſcendendo in cœlum ſupernam angelorum multitudinem ſibi copulauit. A nuptijs autẽ reuertetur cũ preſens per iudiciũ manifeſtabitur quando eum omnis oculus videbit, iuxta ꝙ ſcriptum eſt Et videbit omnis caro ſalutare Dei, & plangent ſe ſuper eũ omnes gentes terræ, *Vt cum venerit & pulſauerit confeſtim aperiant ei.* Quotidie venit dominus, quia quotidie appropinquat dies iudicij. Quotidie venit, quia quotidie ſe venturum denunciat dicens: Iam venio, iam venio, pulſat verò cùm per ægritudinem mortem eſſe vicinam corporis deſignat. Cui confeſtim aperimus ſi eius aduentum cũ lætitia excipimus. Sed nos non ita agimus, cùm dies mortis appropinquat exire de corpore formidamus, quia pro peccatis noſtris ab eo punire timemus. Qui verò perfectus eſt in fide & opere ſicut beatus Antonius, in cuius exitu mortis angeli ſtabant ad caput & pedes, ridentes cum viro ſancto. Ille talis aduentum filij Dei cum

gaudio ſuſcepit, quia ſe remunerandum ab eo credidit. *Beati ſerui illi quos cum venerit dominus inuenerit vigilantes.* Et ſecundum literam poſſumus intelligere hæc. Quia beati ſerui illi, maximè qui Deo ſunt dicati ſicut Monachi & Canonici, qui vigilant in laudibus Dei omnipotentis, in nocturnalibus officijs, videlicet, beatum, officium canunt. Et ſecundum ſpiritualem intelligentiam, ille vigilat, qui bona deſyderabiliter prouidet, & mala ſolerter cauet. Vigilat qui ad aſpectum veri luminis oculos mentis apertos tenet, vbiq; præſentiam Dei cogitat eſſe & quantum poteſt ſe immunem à peccatis cuſtodit. Deo iuuante vigilat, qui ſeruat operando quod credit. Habe fidem, habeto bonam operationẽ, tunc vigilas. *Beati ergo ſunt ſerui illi quos cùm venerit dominus* in die mortis vel in die iudicij, *inuenerit vigilantes*, id eſt, præcepta ſua ſeruantes. *Amen dico vobis, quod præcinget ſe & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Præcingere eſt linteum ante ſe ponere, ſicut fecit dominus quando lauit pedes diſcipulorum. Præcinget ſe dominus cùm ad retributionem ſe præparat, vt reddat bonis bona & malis mala. Facit illos diſcumbere, id eſt, electos in æterna beatitudine requieſcere: *Et tranſiens miniſtrabit illis.* Tranſit dominus, cùm de-

ius

iudicio redit ad regnum.

In feſto vnius epiſcopi non confeſſoris.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt, Matthæi vigeſimoquarto.

V*Igilate, quia neſcitis qua hora dominus veſter venturus ſit.* Perſpicuè oſtendit quare ſuperiùs dixerat: De die autem illa nemo ſcit, videlicet quia non expedit eam ſcire fidelibus, vt pendula expectatione ſemper credant eſſe venturum, quem ignorant quando venturus ſit. Ideo, inquit, quia ignoratis quando dominus venturus ſit ad iudicium *vigilate*, id eſt, in bonis operibus perſeuerate. *Vt cùm venerit dominus veſter, paratos vos inueniat*. Ille vigilat qui ad aſpectum veri luminis mentis oculos apertos tenet, vigilat qui fidem quã tenet in corde, exercet in opere. *Hoc autem ſcitote, quia ſi ſciret paterfamiliàs qua hora fur venturus eſſet, vigilaret vtique vt nõ ſineret perfodi domum ſuam*. Paterfamiliàs iſte, noſter eſt animus, dormiente igitur Paterfamiliàs, fur domum perfodit, quia torpente anima negligentia, mors improuiſa domum corporis noſtri irrepit, atque animã ad ſupplicia trahit. Furi reſiſteret ſi vigilaret, quia aduentum iudicis qui occultè animam rapit præcauens, & pœnitendo occurreret, ne impœnitens periret. *Ideo & vos*

eſtote

eſtote parati, quia qua hora nō putatis filius hominis veniet. Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiā ſuam, vt det illis cibum in tempore? Quis in hoc loco, non ſignificat impoſſibilitatem ſed potiùs difficultatē perficiendæ virtutis. Per hunc fidelem ſeruū omnis ordo doctorum vel prælatorum eccleſiæ ſignatur, quibus dñs. i. Chriſt' de ſeipſo dicit: *Vos vocatis me Magiſter & domine*: & bene dicitis, ſum etenim. Super familiā ſuam cōſtituit, vt eis congruo tempore cibum diuinæ ſcientiæ fideliter miniſtraret. Hi primum fuerūt Apoſtoli, deinde ſucceſſores eorum viri Apoſtolici, quos Chriſtus Eccleſiæ ſuæ præfecit. Attendendum eſt ꝙ dicit: Fidelis & prudens, fidelis. ſ. in diſpenſando fideliter & deuotè verbum prædicationis. Prudens verò in diſcernēdo quibus & quando vel qualiter prædicare debeat. De his vnus erat Paulus Apoſt. qui dicebat. Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Alius Euange. dicit: Vt det illis in tempore tritici menſuram, Quia iuxta capacitatem auditorum, cū menſura tribuendus eſt ſermo doctorum. *Beatus ille ſeruus, quem cùm venerit dominus eius, inuenerit ſic facientem. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*, id eſt, ſuper omnia cœle-

ſtis

ſtis regni gaudia, non vtique vt illi ſoli dominum teneant, ſed vt ipſi cæteris ſanctis abundantius æterna poſſeſsione perfruantur. Qui enim docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. *Si autem dixerit malus ſeruus in corde ſuo.* Sicut per bonos ſeruos oĩs Orthodoxorũ numerus accipitur, ſic in hoc loco per malum ſeruum, mali doctores ſeu ſacerdotes intelliguntur. Qui non ſolum ea quæ verbis docent, operibus deſtruunt, ſed & conſeruos ſuos in eccleſia deſpiciunt, atque opprimunt, & malis exemplis conſcientiam illorum percutiunt, atque in luxuria atque voluptatibus corda ſua enutriunt. Huic ergo, id eſt, contra hũc *veniet dominus die qua ignorat,* id eſt, ex improuiſo & cum de ſalute ſua non cogitat. Et diuidet eum à conſortio, id eſt, à conſortio electorum ſeparabit partem illius cum hypocritis ponet, id eſt, cum illis, qui ſuperius operantes in agro relicti ſunt. Et bene tales hypocritas vocat, id eſt, ſimulatores, quia ſub religioſo habitu ſanctitatem mentiuntur ſimulantes ſe eſſe quod non ſunt.

De virginibus.

Homilia ſuper eo verbo quod ſcriptum eſt. Matthæi decimotertio.

S*Imile eſt regnum cælorum theſauro abſconditu in agro.* Virtus & ſapientia Dei dominus Ieſus Chriſtus, non ſolùm ad ſuſcipiendam humanam naturam, hominibus compati dignatus eſt, ſed etiam humanæ ignorantiæ condeſcendens, ſuis ſanctis ſermonibus rerum temporalium ſimilitudines frequenter adhibuit, vt ex collatione rerum viſibilium, ad inuiſibilium amorem animos audientium incitaret. Vndè cum cœleſtem gloriam ſtudioſe amandam doceret, illam rerum ſimilitudinē adhibuit, quem homines diligere plurimum ſolent, dicens: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo abſcondit.* Vbi theſauri nomine ſpiritualiter cœleſtis patriæ amorem intelligere debemus vbi ſunt diuitiæ quæ non deficiunt, theſaurus qui nunquam marceſsit, vbi nos dominus theſaurizare admonet, iuxta quod alibi loquitur dicens: Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi neq; erugo, neq; tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur, & vbi theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Qui profectò theſaurus tantò magis cumulatur: quantò magis temporalis theſaurus, atq; facultas ſtudioſiùs pro Deo expenditur. Vndè de

eo

eo qui theſaurũ inuenit dicitur: *Et præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum*. Ager in quo theſaurus abſconditus inuenitur, nos ſumus, ſi tamen in nobis manet cœleſte deſiderium. Quem ille venditis omnib⁹ comparat: qui corpus ſuum per cœleſtis patriæ diſciplinam affligit in ieiunijs, vigilijs & orationibus. Sed & ille agrũ cum theſauro inuento datis omnibus emit, qui crucifigens membra ſua cum vitijs & concupiſcentijs, Chriſtum ſequitur & quodam modo ſpirituali emũdatione ſeipſum mutat, declinando à malo, & faciendo bonum. Hunc enim theſaurum abſconditum in agro, cuidã Dominus emere perſuadebat cùm dicebat: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni ſequere me. Illud aũt notandũ, quòd theſaurus inuentus cuſtoditur vt ſeruetur: quatenus intelligamus, quàm ſtudioſè in bono opere, vanam gloriam cauere debeam⁹. Sic eſt enim præſens vita quaſi via, latrones autem iuxta viam, & immundi ſunt ſpiritus qui illis maximè inuident, quos cum ſpirituali theſauro ad cœleſtem patriam tendere cognoſcunt. Sicut per prophetam de eorum capite dicitur: Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocen-

tem. Illorum ergo diuitias iſti latrones rapiunt, qui per inanem iactantiam bona ſua opera coram hominibus denudant. Vndè neceſſe eſt, vt cùm opus bonum exterius agimus, intentionem deo placendi ſemper in occulto teneamus, iuxta quod ipſe nos admonet dicens: Cùm facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra, quid faciat dextera tua. Et iterum: Tu autem quum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum, & pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi, ad accendendam autẽ mentem in amorem cœleſtis deſyderij, alia ſimilitudo datur, cùm ſubinfertur. *Iterum ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna precioſa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eã.* Vbi prætioſæ margaritæ nomine dulcedo vel claritas æternæ patriæ intelligitur, quę precioſior eſt cunctis precioſis rebus & ſuauior cunctis delectationibus. Negociatores autem ſpiritualiter nos ſumus, qui de terrenis facultatibus cœleſtem gloriam mercari iubemur. Notandum aũt quod ait: Vendidit omnia quæ habuit, & emit eam, quia ille margaritam precioſam vnam, id eſt, cœleſtem patriam datis omnibus emit, qui non ſolum terrenis facultatibus, ſed etiam proprijs renunciat voluntatibus.

Qui

Qui verò ſua pauperibus tribuit, ſed ad huc proprijs voluntatibus ſeruit, preciosam margaritam nondum emit, quia quod charius Deo offerre poterat, retinuit. Non enim Deus noſtra, ſed nos quærit, qui terrenam ſubſtantiam non niſi propter lucrum animarum dare præcepit. Quia ergo negociatori quærenti bonas margaritas, boniſque margaritis ſumus comparati, ſeruare debemus in opere, quod accepimus in nomine. Et ſicut terrenos negociatores, non maris pericula ab officio negociandi prohibent, nõ latronum inſidiæ terrent, nõ aſperi caſus itineris vetant, non hyemis frigus, non æſtatis calor retinet, tantum vt terrenum lucrum acquirere poſſint. Ita & nos qui ſpirituales ſumus negociatores, ab amore cœleſtis patriæ, nulla mundi blandimenta retineant, nulla eius aduerſitas terreat, nec aliqua tribulatio prohibeat, vt præcioſam margaritam amantes, cum Apoſtolo dicere valeamus. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus ſum autem, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neq; altitudo, neque profundum, neque crea

tura alia poterit nos ſeparare à chari-tate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu do-mino noſtro. Imitemur & aliud ne-gotiatorum opus. Habent enim hoc proprium hi qui negotiandi operibus inſiſtunt, vt ſi in vno negocio dam-na incurrerint, ſtudioſiùs negociandi operibus inſiſtant, quouſque quod in vna re perdiderunt, in alia acquirant. Ita ergo & nos ſi in aliquo caſu dam-num animæ inciderimus, ſtudioſiùs incepto bono operi inſiſtamus, vt quod per negligentiam amiſimus, per bonum opus recuperemus: quatenus ad pre-cioſæ Margaritæ lucrum peruenire poſ-ſimus, & vocem domini audire me-reamur, dicentis: Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſu-pra multa te conſtituam, intra in gau-dium Domini tui. Hæc autem Mar-garita tam chara eſt, vt nullis terre-nis diuitiis poſsit comparari, tam vi-lis vt ſola bona voluntate poſsit acqui-ri. Hanc Margaritam præcioſam mul-tis facultatibus Zachæus comparare ſtu-duit, quia cum huius Margaritæ lar-gitorem in domo ſua recepiſſet, præ ni-mio gaudio dixit: Domine dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi cui aliquid tuli, in quadruplum reddo tuo. Hanc quoque Margaritam vidua illa duobus æris minutis in Gazophy-

lacio

latio iactatis comparauit. Cuius pręciũ ipſe teſtis conſcientiæ dominus ſcilicet collaudauit, dicens. Amen amẽ dico vobis, quia vidua hæc pauper plus omnibus miſit qui miſerunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundauit illis miſerunt, hæc verò de penuria ſua quod habuit, miſit totum victum ſuum. Huius Margaritæ pulchritudinem, B. N. cuius hodie feſtiuam celebramus feſtiuitatem, multis diuitijs datis comparauit, quando pro eius amore regni potentiam derelinquens, & thorum regalis matrimonij ſpernens ad ſpontaneam paupertatem ſe contulit. Vnde ſine dubio, quia regis terreni cõiugiũ cõtemptũ, ſponſa effecta eſt regis cœleſtis: & quæ noluit cum terreno regnare in mundo, regnat cum Chriſto in cœlo. Et quia ſalutationes & officia refugit regalium miniſtrorum, miniſtrat nunc cũ Chriſto, coniuncta cœtibus angelorũ. Et ideo dignum eſt, vt qui temporalem reginã honore debito veneramur, hanc Deo acceptam reginam deuotis precibus ſupplicemus: vt quia nos ſuo exemplo in nomine Chriſti cõgregauit, ſuis nos meritis & orationibus in præſenti vita iucundos efficiat, & in futuro acceptos reddat. *Iterum ſimile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti.* Pulchrè ſagenæ

Mar. 12
Luc. 21

 aſſi-

aſſimilatur eccleſia, quia & piſcatori eſt commiſſa, & intra rete fidei quotidie homines capit. Sicut enim piſcatorum eſt cum ſagena de profundis gurgitibus piſces ad litus trahere. Sic quotidie eccleſia per doctrinam prędicatorum, de turbulentis & amaris gurgitibus mundi, mentes hominum ad veram lucem retrahere ſtudet. Et quoniam quamdiu in præſenti vita, ex eccleſia cum bonis colligit & malos, rectè de cadē ſagena ſubditur. *Quam quum impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerūt.* Vbi cum boni & mali nominantur, præſentis tēporis eccleſia deſignatur. Boni enim ſoli nuſquam ſunt, niſi in cœlo: mali autem nuſquam ſoli ſunt, niſi in inferno. Hæc autem eccleſia, quæ in medio conſiſtit, vtriuſque patriæ ciues recipit, ſicut per Pſalmiſt. dicitur: Annunciaui & loquutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Vbi conſyderādum eſt, quia ſuper numerum electorum modò in eccleſia multi reprobi intrare poſſunt, ſed regnum cœlorum non poſſunt. Vndè bene dicitur: *Elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt.* In quibus verbis manifeſtè diſcretio bonorum & reproborum in fine ſeculi futura eſſe oſtēditur. Sicut enim mare ſeculum, ſic littus maris finem ſignificat ſeculi. In lit-

littore enim ſedentes, eligerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt, quia in fine ſeculi electi aſſumentur ad gloriam, & reprobi ſeparabuntur ad pœnam, iuxta quod alibi dominus in euangelio: In illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus aſſumetur, & vnus relinquetur. *Sic erit in conſummatione ſeculi. Exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum & mittent eos in caminum ignis: Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Hoc eſt quod dominus alibi in euangelio dicit: Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala. Et item de zizaniis, quæ inimicus homo ſuper ſeminauit tritico, interrogatus ait: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſsis dicam meſſoribus. Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. Idipſum eſt, quod alibi dicitur â domino. Cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, congregabuntur ad eum omnes gentes & ſeparabit eos ab inuicem ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. In eo autem quod ſubiungitur Ibi erit fletus & ſtridor dentium, manifeſte qualitas pœnarum deſcribitur. Oculi enim præ nimio fumo fluere lachrymas ſolent, dentes vehementi frigore

Luc. 17
Mat. 13
Mat. 23

ſtrideſcere. Cùm verò ait: Ibi erit fletus & ſtridor dentium, oſtendit quia reprobi in gehenna, & frigus intolerabile & calorem inæſtimabilem ſuſtinebunt: iuxta illud quod per beatum Iob dicitur: Ad calorem nimium tranſibunt ab aquis niuium, & vſque ad inferos peccatum illius, obliuiſcatur eius miſericordia, dulcedo illius vermis. Finita autem ſimilitudine, de eius intellectu ſaluator diſcipulos requirit, oſtendens piis magiſtris vt alios poſſint erudire aliquando interrogare debere. Ait enim: *Intellexiſtis hæc omnia?* illiſque dicentibus, *etiam*, de profectu illorum glo riabatur dicens: *Ideo omnis ſcriba doctus in regno cœlorum ſimilis eſt homini patriſfamiliàs, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera.* Quod ſpecialiter ad Apoſtolos pertinere, ex eo manifeſtum eſt, quod homini patriſamiliàs comparantur proferenti de theſauro ſuo noua & vetera. Si enim per noua & vetera vetus & nouum teſtamentum accipimus, Abraham & Moſen cæteroſque patres, quam ante aduentum domini fuerunt, noua cũ veteribus non protuliſſe cognoſcimus, quia & ſi noua narrauerunt, domini tamen incarnationem nouam corporalibus oculis non viderunt, ſicut ipſe diſcipulis ſuis ait: Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non

non viderunt,& audire quæ auditis, & non audierunt. Apoſtoli autem noua & vetera ſpiritualiter intellexerunt, & noua corporalibus oculis viderunt. Quibus ipſe ait: Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicẽ. Siue aliter Vetera ad pœnam, noua pertinent ad gloriam. Vetuſtum enim erat homini poſt peccatum ire ad pœnam cui aliquid nouum per redemptoris aduentum contigit, quando bene operantibus gloria eſt re promiſſa. Cùm ergo dominus diſcipulos collaudauit dicens: *Omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera.* Oſtendit hunc ordinem doctoribus in prædicatione ſeruandum, vt vetera proferant de terrore ſupplicij, & noua de promiſsione præmij. Quod etiam in lege figuratè oſtendit, quando per Moſen tale præceptum dedit dominus: Non accipies loco pignoris ſuperiorem, & inferiorem molam, quia appoſuit tibi animam ſuam. Superior enim & inferior mola, ſpes & timor accipitur. Quaſi enim à debitoribus pignus accipimus, cùm confeſsionem peccatoris recipimus. Cui ſi pœnitenti ſpẽ non repromittimus, veniam negamus, ſuperiorem molam tollimus. Si autem peccatori ſecuritatem damus, inferiorem abſtrahimus. Sed vtrunque obſeruan-

uandum eſt, vt ſic pœnitentibus promittamus veniam, quatenus in peccato perſeuerantibus comminemur pœnam: vt quos non prouocant ad bene agendum pramia promiſſa, ſaltem denunciata terreant ſupplicia.

HOMILIARVM HAYmonis Epiſcopi Halberſtatēſis ſuper Euangelia dominicalia totius anni, & de ſanctis quibuſdam præcipuis,

FINIS.

ANTVERPIÆ.
Typis Ioannis VVithagij.
1559.

facta est autem quadam
dies & transibat Eli
seus per Sunam civi
tatem erat autem mulier
magna quae tenuit eum
ut comederet panem cum
que frequenter inde transi
ret divertebat ad eam ut
comederet panem: quae
dixit ad virum suum, Animad
verto quod vir Dei sanctus
est iste qui transit per
nos frequenter faciamus
ergo ei cenaculum parvum
& ponamus ei in eo lectu
lum & mensam & sellam

H cadamagin in cā
cenerij āi noj ma
ncat ila q° rsgā cap:

C18942865

42

1


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm